thé, café, chocolat etc ---
vin, cervoise et tabac —

E. Compain, Blois
250 f. fr.
2/10/29

Libris Petri Caroli Valen Medici
fol. 208

MEDICUS SUI IPSIUS,

THEORETICUS & PRACTICUS,

SEU

EXEGESIS DIÆTETICI REGIMINIS,

USUS & ABUSUS

Sex Rerum necessariarum non Naturalium:

I. Aeris. II. Assumendorum Cibi et Potus. III. Motus et Quietis. IV. Vigiliarum et Somni. V. Excernendorum, et Retinendorum. VI. Animi Pathematum,

Nec non, & singulariter

Potuum et Sorbitionum Thee, Caffee, et Chocolatæ, Spiritus Vini, Rosoli, Cerevisiæ, et Nicotianæ,

Præcipue vero

VINI AQUIS DILUENDI,

Atque Rerum dictarum non Necessariarum:

Purgationis nempe corporis per Vomitum, Alvum, Urinam, Insensibilem Perspirationem et Sudorem, Venæ-Sectionem, Scarificationem, Fonticulos, Vesicatoria, Acidulas, Balnea et Thermas.

In commune bonum, præsentem scilicet sanitatem conservandam, morbos avertendos, & vitæ longævitatem conciliandam congesta, salutis suæ amantibus perquam utilis & necessaria.

Principiis Physico-Medicis, & Anatomicis dilucidata, solidisque firmata rationibus; atque non ad usum modo Medicinæ Tyronum & Philiatrorum, verum etiam aliorum quorumvis Litteratorum captum, commodumque accommodata, & luce donata publica.

AUCTORE

IOANNE CASPARO HEYRENBACH,

Acroniano-Austriaco Wasserburgensi, Philosoph. & Medicinæ Doctore, Incytorum Superioris Austriæ Statuum Physico, & p. t. Celeberrimi, & Antiquissimi Cremifanensis O. S. P. B. Monasterii Medico Ordinario.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO, & FACULTATE SUPERIORUM.

Styræ, typis Gregorii Menhardt, Anno reparatæ Salutis M. DCC. LIII.

Valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis ; & obſervatione, quæ res aut prodeſſe ſoleant aut obeſſe ; & continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi cauſſa, & prætermittendis voluptatibus ; poſtremo arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. CICERO DE OFFICIIS, LIB. II. c. 24.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

NOS FRANCISCVS Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, & Hierosolymarum Rex, Dux Lotharingiæ, & Barri, Magnus Hetruriæ Dux, Princeps Carolopolis, Marchio Nomenei, Comes Falckensteinii, &c. &c. Agnoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis: quod, cum Nobis Noster, Sacrique Romani Imperii fidelis dilectus JOANNES CASPARVS HEYRENBACH, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, Superioris Austriæ Statuum Physicus, & Cremisanensis Monasterii Medicus Ordinarius humillime exponi curarit, se quodpiam novum opus, a semetipso singulari studio elaboratum, cui Titulus: *Medicus Sui Ipsius Theoreticus & Practicus, seu Exegesis Diætetici Regiminis, &c.* rite iam iam facta Censura, obtentaque Approbatione in Quarto proxime editurum, vereri autem, ne alii in suum ingens detrimentum idem Opus prælo quoque mandare, imitarive conentur, proinde Nobis demississime supplicarit, ut Cæsareo Nostro Privilegio Impressorio ipsum contra quascunque eiusmodi quæstui inhiantium æmulorum machinationes præmunire benignissime dignaremur: Nos submissis pariter, ac æquis suis precibus clementer annuendum censuerimus: ac proinde Authoritate Nostra Cæsarea omnibus, & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, ac aliis quibuscunque librariam negotiationem exercentibus serio inhibemus, ne quis prædictum Librum per decem annorum decursum ab hodierna die computandum in Sacro Romano Imperio, in simili vel alio typo, modo aut forma, sive in toto, sive in parte, mutatisve titulis recudere, vel alio recudendum dare, alibive impressum apportare, vendere, vel distrahere, clam vel palam, citra prædicti Autoris, aut eiusdem Hæredum voluntatem scripto firmatam præsumat; si quis vero Interdictum hoc Nostrum Cæsareum violare, aut transgredi ausus fuerit, cum non modo eiusmodi libris perperam quippe recusis, & adductis a memorato Autore, eiusque hæredibus ubicunque sive propria authoritate, sive

 Magi-

Magiſtratus auxilio vindicandis de facto privandum, ſed & mulctæ inſuper decem Marcarum auri puri Fiſco, ſeu Ærario Noſtro Cæſareo, & parti læſæ ex æquo pendenda irremiſſibiliter decernimus puniendum, dummodo tamen huius Privilegii Noſtri Cæſarei tenor pro publica notitia in fronte libri exhibeatur, & quinque Exemplaria ad ConſiliumNoſtrum Imperiale Aulicum ſumptibus impetrantis quamprimum transmittantur. Mandamus igitur omnibus & ſingulis Noſtris, Sacrique Romani Imperii ſubditis & fidelibus dilectis cuiuscunque ſtatus, gradus, Ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, præſertim vero in Magiſtratu conſtitutis, aliisve Ius & Iuſtitiam adminiſtrantibus, ne Privilegium hoc Noſtrum quemquam temere, & impune transgredi patiantur; quin potius transgreſſuros præſcripta pœna plecti, aliisque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum teſtimonio literarum Manu Noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur Viennæ die ſecunda Octobris, Anno Milleſimo, Septingenteſimo quinquageſimo tertio, Regni Noſtri nono.

FRANCISCVS.

(L.S.)

Vt R. Comes COLLOREDO.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Maie-
ſtatis proprium
MATTH. WILHELM. HAAN.

EMINENTISSIMO,
ET
CELSISSIMO
PRINCIPI
DOMINO, DOMINO
IOSEPHO
DOMINICO,
S. R. E.
CARDINALI,
Exemptæ Paſſavienſis Eccleſiæ
EPISCOPO,
ET
S. R. I. PRINCIPI,
Ex Antiquiſſima, & Illuſtriſſima Prosapia
S. R. I. COMITVM DE LAMBERG
&c. &c.
DOMINO DOMINO
SVO CLEMENTISSIMO.

EMINENTISSIME
PRINCEPS!

DVdum quidem hic *MEDICVS SV*
IPSIVS de tutelari quodam no
mine & numine ſolicitus exſtitit
cujus præſidio lucem aſpiceret publicam : a
non niſi ut TVO id fieret, EMINEN
TISSIME PRINCEPS ! in votis ſempe
habuit, ac vehementius identidem ſuſpiravit
Et ecce! damnatus voti, ſecurus jam prodi
in medium, EMINENTISSIMI TV
NOMINIS fulgore adverſa quælibet faci
le eliſurus.

Prodit geſtiens, dicturus orbi ſubmiſſiſ
ſimum grati animi affectum, humillimamque
erga OPTIMVM PRINCIPEM, u
quidem par eſt, reverentiam ſignificaturus.

Enim

Enim vero, quot nominibus LAMBERGICÆ Excelſæ Stirpi obſtrictus ſim ego, facile quisque intelliget, quum ex his pagellis leget, inde omnem vitæ, fortunæque meæ rationem pendere, ex quo medendi muneri indignum me admovere, primumque mihi conferre phyſicatum Stirps longe Clementiſſima non eſt dedignata. Vt iam neſcire queat nemo, ad fontem ſuum, & ſcaturiginem repetere rivos, & hanc Medicam lucubrationem TIBI, PRINCEPS EMINENTISSIME! ceu æternum gratæ mentis monimentum iure optimo maximo deberi, ceu im̃ortale pignus animi devotiſſimi conſecrari.

Et ſane, quodnam aptius, quod convenientius EMINENTIÆ TVÆ argumentum inſcriberem, quam quod præſenti opella complexus ſum? Maximum namque illa, quod ſub ſole eſt, humanæ felicitatis momentum exhibet, dum artem pertractat, methodumque tradit, qua valere poſſimus integre, diesque ſanos vivere, immo Neſtoreos

aſ-

assequi annos: quos TE PRINCIPEM immortali vita Dignissimum, re ipsa cernimus assecutum. Cernimus, inquam, & cernendo suffundimur communi lætitia, immenso afficimur gaudio.

Nec est, qui gaudere vetet de longæva prosperrimaque valetudine PRINCIPIS BENIGNISSIMI, cui pro imperio amor, pro mandato nutus, pro regula favor, pro lege gratia, pro norma exemplum: PRINCIPIS, quem amant subditi, mirantur exteri, & omnes, quot quot norunt (quis autem non norit) summo, quod cadat in hominem, amoris & reverentiæ studio prosequuntur: PRINCIPIS denique, cuius virtute & sapientia utraque respublica ita regitur, ut de sua sibi applaudendi felicitate materiam longe uberrimam, segetemque lætissimam, sese reperire, iustissime arbitretur. Atque hunc amorem, hanc benignitatem, ita diffundis in omnes, ut deriventur in singulos, supremos æque ac infimos, tantisque

præ-

præluces tum PRINCIPIS SAPIENTISSIMI, tum EPISCOPI FERVIDISSIMI exemplis, quæ ad imitandum perpetuo prodis, ut in TE veri effigiem PRINCIPIS suspiciant omnes, nec non exemplar Episcoporum perfectissimum universi admirentur.

Non ibo longius, PRINCEPS EMINENTISSIME! in Laudum TVARVM præconiis celebrandis, ex quo, quæ Europæ imperant, coronata capita, ipsique summi in terris CHRISTI VICARII eo dicendi munere defuncti sunt, suarumque esse partium existimarunt, dignum TVIS Meritis panegyricum adornare.

Patere modo PVRPVRATE PRINCEPS, ut me, opellamque meam TVIS sacratissimis pedibus adponam. Patere, ut certum TE esse velim, me vota pro incolumitate TVA concipere ardentissima. Patere, ut, quod imminet, bonis omnibus, orbique Christiadum universo optatissimum Iu-

 bilæi

bilæi TVI Sacerdotii festum, iunctis cum plaudente cœlo vocibus TIBI gratuler, eamque porro annorum seriem, quæ par sit TVORVM explendis desideriis, apprecer humillimo æque, ac intensissimo animi sensu.

Igitur vale PRINCIPVM IVBAR, EPISCOPORVM SPECVLVM, APOSTOLICÆ VIRTVTIS EXEMPLAR, ECCLESIÆ, & IMPERII DECVS IMMORTALE! Vale, & inter TVOS numerare cultores, TVISQVE fovere gratiis nunquam dedignare

EMINENTISSIMO
NOMINI TVO

Devotissimum, devinctissimumque Auctorem.

FACVLTAS COMMISSIONIS CÆSAREO-AVLICÆ AD CENSVRAM LIBRORVM DEPVTATÆ.

Imprimatur. Viennæ die 22. *Iulii*, 1753.

FRANCISCVS FERDINANDVS COMES
A SCHRATTENBACH, PRÆSES.

Licet, 22. *Iulii*, 1753.

GERARDVS VAN SWIETEN, ARCHI-
ATER CÆSAREVS.

APPROBATIO MEDICA.

Perlegi hanc lucubrationem: *Medicus sui ipsius*, cum non exigua animi voluptate. Gratulor certe primum Lectori, qui insignem exinde referet fructum: hinc Auctori applaudo, qui non parum laboris, & operæ insumpsit: ut eam eligeret scribendi Methodum, qua quivis, ut ut alias in Medicina rudis, modo linguæ Latinæ callens sit, non tantum in conservanda sanitate, sed in amissa quoque, ut cum ea in gratiam redeat, sibimet consulere possit. Hac ipsa lucubratione remotissimum se Auctor demonstrat a sordido avaritiæ vitio illaque intercludit vulgi scommata, atque convitia, quæ Medicis Clinicis obiici solent, scilicet: *Medico nunquam bene, nisi aliis male.* Is etenim animus, hic scopus Auctoris est, ut qui eius obsecundat monitis, quietas Medico concedat ferias. Dictavit hoc ipsi Christiana in proximum charitas, qua benedictionem Divinam, unde humana salus unice dependet, sibi propriam faciet: quam & uberrimam eidem ex animo apprecor.

Oenipenti die 24. Aug. 1753.

FRANCISCUS FRIDERICUS PAYR AD TURRIM, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, nec non in Alma Cæsareo-Archiducali Universitate Oenipontana Aphorismorum Hippocratis Professor Publicus, Ordinarius, & Facultatis Medicæ Senior.

PRÆFATIO.

Universam Medicinam *Sanitatis præsentis conservationem, & perditæ valetudinis instaurationem*, ceu unicam metam, scopumque, sibi præfigere, quum ex saluberrimæ artis natura, & indole liquido constat, tum ex ipsis naturæ votis, & communibus hominum desideriis facile est ad colligendum.

Eo enim universorum, eo singulorum suspiria tendunt, eum in finem a Supremo rerum omnium Authore DEO Medicina condita, infusa primo homini, & culta ab Adami posteris fuit, atque in hæc usque tempora effloruit, ut præsens humani corporis sanitas sarta tecta servaretur, vacillans, & amissa restauraretur salus.

Finis igitur Medicinæ in præsentis sanitatis *tuitione*, & læsæ, perditæque salutis *reparatione* constituitur: quarum illa plerumque in manu Medici est, justoque Diætæ regimine, seu legitimo usu VI. RERVM NON NATVRALIVM obtineri potest: hæc vero non semper a Medici arbitrio pendet; quum morbi quandoque insanabiles corpus infestent, qui nulla arte, nulloque antidoto possunt depelli, qui generosissima æque, ac validissima Medicæ artis præsidia frequentius sua pertinacia elidunt.

Atque adeo in id genus *conservandæ sanitatis* ratione Dissertationis meæ posui terminum, & *conciliandam vitæ longævitatem* scriptionis hujus constitui argumentum; quippe sanitate nihil prius, nihil dignius, beatius & pro-

ſperius, nihil utilius, & excellentius ſub ſole eſſe, ante oculos poſita res eſt, unaque omnium voce & conſenſione ſtabilitur.

Dic enim amabo! quid te juvent commoda vitæ, quid bona fortunæ, rerum omnium affluentiæ, & deliciæ absque valetudine? cujus bono orbatum rerum ſuarum uſus fallit, & commoda fugiunt, neque hunc valetudinis theſaurum Crœſi opes, & opulentiæ, neque Lydius aurifer amnis adæquat; ut adeo Pyrrhus Epyrotarum Rex templa ingreſſus, Diis immolaturus, nil præter ſanitatem ab iis ſolicitarit; Amphion Poeta Syconius valetudinis pretium meditatus, attonitus exclamarit:

O beata ſanitas! te præſente amœnum
Gratiis ver floret, absque te nemo beatus.

Græciæ Gentes magna dona, magna valetudinis commoda reſpicientes, ſanitatem Deam crediderunt, atque Græcorum unus nomine Critias Deos inter, Deasque eam excellere, in ſuum induxit animum. Nil igitur mirum, Majoribus noſtris in publicis, privatisque ſympoſiis, unitis vocibus exclamare ſolemne fuiſſe: *O ſanitas, tu hominibus maximum bonum!*

PLATO Athenienſium Philoſophus ſapientiſſimus non raro ajebat: *Nihil eſſe nobilius in vita, quam bonam valetudinem.*

THALES MILESIVS olim rogatus, quis mortalium felix dicendus eſſet? reſpondiſſe fertur: *Qui corpore, animoque ſanus eſt.*

PLVTARCHVS Scriptor ſane graviſſimus, quando tuendæ valetudinis meminit, in hæc expreſſa ſtatuit verba:

ba:

ba: *Bona valetudo est maxime Divinum bonum, longeque blandissimum totius vitæ condimentum.*

Nec aliud quidquam Vir sensit Divinus, & admirandæ sapientiæ oraculum, dum conceptis vocibus de sanitate pronunciavit: *Melior est pauper sanus & fortis viribus, quam dives imbecillis, & flagellatus malitia; non est census super censum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium.* ECCLESIAST. XXX.

Vere quoque, & sapienter Albertus Austriæ, & Belgarum Dux aliquando interrogatus, cujusnam rei jucundissima possessio esset? respondit: Sanitatis. Duci assensit HORATIVS:

Si ventri bene, si lateri, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt Regales addere majus.

Vt adeo profecto florente, vigenteque valetudine, firma stet, floreatque omnis humana felicitas, & deficiente, languenteque salute, omne bonum cadere, omnemque emarcescere felicitatem, necesse esse, jure meritissimo existimetur.

Dum igitur nihil, quod orbis sub sole condit, sanitate pretiosius, utilius, & præstabilius est, quando inæstimabile inviolatæ valetudinis bonum omnia inter hujus mundi bona, & commoda præcellere, animo, oculisque cerni potest: mirum sane! præcipuum hoc valetudinis bonum a plerisque, quos nulla suæ salutis cura, nullaque sollicitudo tenet, temere negligi, immo non raro perverso Diætæ regimine impudenter despici, & conculcari, id, quod longissime a sana ratione alienum esse videtur.

Porro quis ambigat? id genus valtetudinis ſuæ incurios, animam ſuam, conſcientiamque peccati labe contaminare, atque adeo cum tempore Domino vitæ & necis graviorem rationem reddituros eſſe; eo quod ſanitatis, vitæque (quarum duntaxat depoſitarii ſunt, quasque ab Optimo Conditore DEO ſibi concreditas acceperunt) opes inconſulte diſſipaverint: id, quod in primis helluonum, & epulatorum animis adamantinis monitis inculcetur, qui ſuos vitæ dies minime ad ſanitatis leges inſtituunt, & vel ex ruditate, vel contracta improbæ diætæ conſuetudine, & protervitate, maximum hoc valetudinis bonum, theſaurumque pretioſiſſimum prodigunt, & vitæ terminum maturant: penes quos tamen ſtetiſſet, incolumem, ſeramque ætatem agere, modo tuendæ valetudinis modum, conſiliumque noviſſent, aut ſalubrioribus Diætæ legibus (quas vel ipſa natura dictante, vel arte opitulante docti ſunt, & calluerunt) morem geſſiſſent; quibus neglectis, miſeram, & ærumnoſam degere vitam, paucosque numerare annos, prorſus neceſſe eſt.

Quam obrem ſummum hunc theſaurum omni modo cuſtodiamus, totique in eo ſimus, ut neceſſariis tuendæ valetudinis legibus, intelligentiaque imbuamur, quibus adire Corinthum, maximumque in hac vita bonum licet aſſequi, *proſperam ſcilicet ſanitatem, optatamque vitæ longævitatem*, quas ars ſaluberrima, ut unicam metam, ſcopumque reſpicit.

En modo commoda, en emolumenta ſalubrioris Diætetici regiminis! quæ coram ſiſtere amore valetudinis haud vanus, irritusque conatus fuerit.

Pol-

Pollio Romulus ſenex ille Auguſti hoſpes teſte PLINIO LIB. XXII. *Cap.* 24. poſito centeſimo ætatis ſuæ anno ab Imperatore rogatus, quanam præcipua ratione vigorem illum animi, corporisque cuſtodiiſſet, reſpondit: *Intus mulſo, foris oleo.*

HERODIVS Medicus, referente PLATONE, ſuo tempore omnium infirmiſſimus, miſera prorſus, & imbecilli naturæ indole præditus, Diætetici inſtituti ope, & opera centeſimum annum impleviſſe, fertur. Atque hoc ipſo Diætetici regiminis inſtituto ille priſcæ Philoſophiæ Pater SOCRATES a peſte, quæ frequentius Athenas invaſit, immunis, ſemper, & illæſus ſervatus fuit.

GALENO in confeſſis eſt: quod, licet a teneris valetudinis labem ſubiiſſet, ſalubri tamen victus ratione vitam ſuam absque tædio ad ſeram ſenectutem propagarit; quin immo LIB. V. *de tuend. valetud.* ait: ſe iis, qui nunquam ſecunda valetudinis fortuna utebantur, tam præclara tuendæ valetudinis præcepta inculcaſſe, ut, dum ad arbitrium Æſculapii ſui ambulaſſent, a morbis expediti, vitam ſuam, & ſanitatem ſartam tectam quam diutiſſime conſervarint.

Quæ quum ita ſint, novum, mirumque non immerito utique videtur, arctiorem hodie eſſe Scriptorum numerum, qui id genus utiliſſimum tuendæ valetudinis argumentum ex conſulto tractarunt, luceque donarunt publica, quod tamen ſalus expoſceret publica, efflagitaretque valetudinis inæſtimabile bonum.

Profecto namque memini ego, non ſemel ſalutis ſuæ amantes me in primis de *cibi potus*que genere rogaſſe, num

hoc an illud ſaluti conduceret ferculum, ſalubre, an inſa-
lubre foret hoc obſonium; dum rurſus ajebat alius: id ſibi
in votis eſſe, ut modum, legesque teneret, quibus poſſet
valetudinem ſartam tectam cuſtodire.

Atque inde eſt, anſam me cepiſſe, hunc adornandi
ſui ipſius Medicum, quo, ut memet ipſum perficerem, tum
proximo ſervirem, & Bono Publico, tum horas ſubſeci-
vas otio litterario conſecrarem, *valetudinis conſervandæ*
modum, & *longioris vitæ conciliandæ* methodum, non mi-
nus pro Medicinæ Philiatris, quam aliis Litteratis promere
conſtitui: quod eſt, in quo mihi præcipue in hac Medica
Diſſertatione elaborandum eſſe, exiſtimavi.

Quum igitur non Medicinæ modo Alumnis, verum
etiam aliis quoque Litteratis hæc Opella deſtinata ſit, eo
modo, & eo tenore ſcriptionem proſequi in mente fuit, ut
eam æque in Medicina peregrini & hoſpites, ac Medicinæ
tirones intelligerent, quorum præſtantiſſimo illibatæ va-
letudinis Bono has vigilias conſecramus.

Atque adeo in tria Capita Opella diviſa fuit, quorum
primum hominem anatomice expreſſum, tum quoad par-
tes principes *animam* & *corpus*, tum quoad corporis partes
ſolidas, & *fluidas*, continet, nec non hominis naturam,
temperamentum, *actiones naturales, vitales*, & *animales*, no-
tionem item *ſanitatis*, & *morbi, vitæ*, & *mortis* refert, ut ho-
mo ſuæ tuendæ valetudini intentus, ſibimet ipſi notus, per-
ſpectusque ſit, atque tunc demum ſe ipſum, ſuamque ſalu-
tem regere, & tueri poſſit; quod nunquam præſtiterit, niſi
corpus ſuum, corporis partes, & actiones &c. noverit; in-
de eſt, me Corpus Anatomicis expreſſum coloribus ob ocu-

los

los ponere, quo propriam ſanitatem conſervandi ratio, quæ in ſecundo Opellæ Capite docetur, facilius penetraretur.

Id tamen Benevolum Lectorem, quem forte Anatomiæ peritia fugit, hic monere juverit, ut, dum ei prolixior, & captu difficilior Anatomica corporis humani deſcriptio viſa fuerit, corporis ſaltem partium *definitiones, uſus,* & *officia* legere, ſuæque mandare memoriæ dignetur; quam notionem ad finem ab Erudito Lectore intentum ſufficere, mihi perſuaſiſſimum eſt.

Secundum vero Diſſertationis Caput ſaluberrima æque, ac validiſſima præſidia ſuggerit, nempe VI. RES NECESSARIAS, NON NATVRALES dictas, quæ I. ſunt AER. II. CIBVS & POTVS. III. MOTVS, & QVIES &c. & *Diætæ* nomine veniunt, quarum legitimo uſu corpus humanum ſanum ſervatur, & incolume, ac a morbis, & ægritudinibus præſervatur.

Tertium Caput modum docet, quo, præſente ad morbum diſpoſitione, per RES NON NECESSARIAS, purgationem ſcilicet corporis, per *vomitum, alvum, inſenſibilem perſpirationem, venæ-ſectionem,* &c. harumque legitimum uſum diſpoſitio morbi tollitur, & morbus prohibetur.

His denique GEREOLOGIA accedit, quæ res quum NECESSARIAS, tum NON NECESSARIAS adhibendi methodum tradit, qua optata vitæ longævitas concilietur.

Habes jam Candide Lector! argumentum Diſſertationis meæ Medicæ, habes modum, methodumque, quibus diſcas ſanus, & incolumis degere, canos numerare annos, tibique vitæ conciliare longævitatem, quam toto pectore precor.

Atqui

Atqui hæc modo præfatus non diffiteor, me in hac occupatum lucubratione, ex ipsis fontibus, ipsisque Medicinæ Patribus, & Optimatibus, HIPPOCRATIS in primis, & GALENI, CORNELII CELSI, HOFFMANNI, & WEINHARDII, aliorumque artis Medicæ Atlantum celeberrimis operibus excerpta quædam in succum, & sanguinem vertisse, ratum scilicet, meam equidem fore libertatem, concessam omnibus, mihique, ut aliis, patere viam ad popularem lacum.

Te vero Benevole Lector! id jam in limine obsecravero, quodsi forte in partu hoc primigenio occurrant, quæ minus arrideant, præsertim, dum via hucusque minus trita incedo, ut corrigas, abstergas, & menda emendes, modo a Theonini dentis acerbitate, & contumeliosa carpendi licentia abstineas, a quibus ipse solerter abstinui, voluique a me alienum esse omnem offensionis lapidem, probe mihi gnarus: hominem me esse, labique posse caligine mentis, cui igitur quoque in magnis voluisse sat est.

Porro eo vota eunt, id toto precor animo, ut vitæ & necis Dominus hos meos quoscunque bene vertat conatus, ac in Te amate Lector! expleatur, quod hic sui ipsius docet Medicus, sani nempe, & incolumes vitæ dies, quibus in seros annos fruere, vale, atque saluti Tuæ, mihique favere dignare; hoc Te oro, hoc Te obsecro.

Dabam Cremifani V. Kalend. Junii.
Anno M.DCC.LIII.

CA-



CAPVT I.
De Prolegomenis Opellæ.
SECTIO I.
De Homine, ejusque partibus conſtitutivis Anima & Corpore.

§. I.

Tametſi vel ab origine ſua omni ætati, omni nationi & hominum ſtatui, ſummis & infimis, ac univerſis orbis gentibus ſanitatis ſtudio nihil prius, nihil fuerit antiquius, & etiamnum naturali lumine, & congenita quadam indole ſanitatem conſervare integram mortales omnibus modis conentur: eandem nihilo tamen minus gravius negligunt, quando hominem, humanam naturam, humani corporis partes & actiones, finesque, *Sanitatis* nempe & *vitæ notiones*, propius inſpicere, atque horum omnium plenam planamque intelligentiam imbibere prorſus omittunt.

Quantum ergo ſalvos nos & incolumes ſervaſſe noſtrum intereſt, tantum proprium cognoviſſe domicilium refert, cujus fuiſſe hoſpitem, & in ipſa patria peregrinum, Eruditum certe animum dedecet: quin turpe eſſe nefas, exiſtimamus.

Qua de cauſa *vivum hominis Ectypon* mentis contemplandum acie in lucem dare noſtri inſtituti ratio omnino efflagitare videtur. Unde nobis perſuaſiſſimum eſt, quod

HOMO *ſit totum aliquod Phyſicum naturale vivum, conſtans mente, ſeu ſubſtantia libere, & cum ratione agente, ac corpore vivo organico, intime unitis, miro junctis fœdere, ſumma connexis neceſſitudine & harmonia.*

Duo igitur ſunt, quæ nobis hæc notio hominis ſuis momentis ponderanda ad manus præbet: *corpus* nempe *humanum*, & *hominis animam.* Illud corruptibile eſt, & deſtructioni obnoxium; hæc immortalis eſt, ab omni corruptione alieniſſima, rationis quoque & liberrimæ agendi facultatis capaciſſima.

Atque adeo hominem ex duabus diverſæ prorſus rationis ſubſtantiis, *anima* ſcilicet & *corpore* intime unitis conſiſtere, quæ unita hominem & naturam humanam conſtituunt, nullam dubitationis ſubit aleam.

Quum igitur, hominem quoad omnes ſui partes & actiones phyſicas ponere ob oculos, ſubit animum, principes hominis partes *anima*, & *corpus* his prolegomenis cum primis argumento erunt. Sit igitur

§. II.

De Animæ Exiſtentia, Origine & Dotibus.

Id nobis certum, & expeditum eſt, a nemine ullo poſt homines natos dubitari unquam cœptum fuiſſe, in homine non modo ſtupendam compagem organicam, & admirandam partium organicarum congeriem, conſenſionemque ordinatiſſimam, quæ ab altiore certe origine natales ducunt,

cunt, verum etiam pulcherrimos actionum quum *necessariarum*, tum *liberarum* ordines, quarum haud secus ac angeli nobis conscii sumus, perpetuo resplendescere, nec non in eodem homine præclarissimos concipiendi, operandique modos radiare, quibus homo spirituum & angelorum more (ut novissimis utamur terminis) adperceptiones, seu notiones clarissimas, & distinctissimas elicit, unum ab alio cum ratione distinguit, finitum nempe ab infinito, res creatas ab increatis, Divinas ab humanis, singulare ab universali, substantiam ab accidente &c. quæ omnia non modo percipit, & intelligit, verum percepta quoque & intellecta confert & æstimat, in utramque partem de rebus gestis deliberat, deliberata penetrat & dijudicat, ac demum, quid faciendum, quid omittendum sit, statuit & determinat; tandem actus suos plena cum libertate horaria experientia teste vel ponit, vel omittit: quæ operationes nobilissimæ sicut in angelis producuntur absque ullo vestigio materiæ, sic id ipsum in homine contingere (*minuisti eum paulo minus ab Angelis.* PSALM. VIII.) & actiones liberas, *intellectiones* & *volitiones* a spirituali quodam & pene angelico principio, nempe *anima* procedere, & produci solere, saluberrimis sanæ rationis consiliis consonat, atque uno omnium doctorum & indoctorum ore & calamo, ac generali omnium ætatum, omnium nationum & gentium consensione corroboratur.

Certe animam Ectypon DIVINÆ MENTIS esse, *factum scilicet ad imaginem & similitudinem Sanctissimæ Trinitatis*, pridem veritate ore Divino pronunciata GENES. I. declaratum est, ut adeo, animam a summo rerum omnium Effectore conditam & procreatam, tanquam substantiam plena agendi libertate præditam existere, extra omnem dubitationis aleam positum esse videatur.

Atque adeo hæc substantia tanquam spiritus & anima corpori imperat, & Reginæ instar potentissimum in corpus suum exercet imperium, dum omnes humani corporis partes sive

solidas, sive *fluidas*, partiumque actiones & fines beatius longe, & excellentius alio quovis Rege regere & gubernare novit; quam igitur cum Magno AVGVSTINO recte definimus: quod sit *substantia vi clare & distincte cogitandi prædita, CORPORI organizato regendo destinata.* At vero, ait forte Lockianorum quisquam: nihil videri obstare, materiam, corpusque eousque evehi & subtilisari posse, supremumque Numen enti composito & corporeo vim cogitandi tribuere, qua id, quod anima, præstare queant corpus & materia, atque adeo effingi a nobis existentiam animæ vero similius esse. Verum aio & ego tibi, quisquis impudens ita hallucinaris, rogoque ex te, credasne? naturam tuam humanam, si tamen humana sit, quæ naturam humanam exuit, commutabilem esse in naturam lapidis, hanc rursus in naturam leonis, essentiam leonis in stipitem, & truncum, truncum in Mercurium, sic porro in infinitum? in has inconditas, & ab omni ratione alienissimas sententias dum descenderis, descendes in infinitum, elegantissimos rerum creatarum ordines & terminos evellere moliris, rerum essentias communicabiles esse contendis, id, quod a Prudentum nemine, neque abs te, sed vel a sola scelerum tuorum abysso existimatum iri, nobis persuadetur.

§. III.

De Animæ Libertate, Indivisibiltate & Immortalitate.

Emensis modo animæ origine, existentia, & spirituali dote, alias prærogativas, quæ ex animæ spirituali fonte promanant, *indivisibilitatem* nempe, *libertatem*, & *immortalitatem* sinu meo condere omnino vererer.

Profecto namque per hoc solum & unice natura spiritus differt a natura materiæ, quod hæc extensa sit, & extendi possit, atque adeo sit divisibilis & destruibilis; spiritus vero sit inextensus, & inextensibilis, proinde nullo, vel etiam quovis

exco-

excogitabili modo dividi, & deſtrui queat; unde ſicut ex ratione materiæ diviſionem & deſtructionem, ita ex natura ſpiritus indiviſibilitatem, libertatem & immortalitatem conſequi, plene, planeque colligitur.

Porro & id addam, quod ſi anima in partes diviſa foret, unam nunquid peccare, & mereri alteram, illam damnari, hanc ſalvari poſſe? id, quod non modo fatuus, & mente captus dixerit, verum etiam ſanæ rationi, & ſacræ Fidei dogmatis prorſus repugnat, & refragatur.

At vero, ſi æquitas fortunæ tulerit, ſuum animæ *indiviſionis* ſtatui pretium, eidem quoque deberi *immortalitatis* prærogativam & elogium, clarius quidem, veriusque enitet, quam ut penderet animus, neque ſatis veritas in promptu eſſet. Tametſi enim Epicurus, & Epicurei de grege porcorum ſocii, non homines, ſed immania hominum monſtra, quæ procul dubio ſceleratæ potius vitæ ductu, quam piæ veritatis impulſu in animæ *immortalitatem* diffidere cœperunt, animam, neſcio, quo inſaniæ & improbitatis prodigio, *diviſibilem* & *mortalem* eſſe ſuſtinuerint, quum, Divo GREGORIO NISSENO teſte, nefaria temeritate, & incredibili impietate ultimum commiſere nefas, & hallucinati fuere: animam hominis, juxta trium illud Epicureorum effatum: *Homo bulla*, bullam eſſe, quæ corpus amodo inflaret, propediem rumpendam, & evanituram in auras: nihilo tamen minus animæ immortalitatem illæſam, ſalvamque ſubſtituram eſſe, ocyus experiemur.

Profecto namque dolendæ forent miſerrimæ mortalium vices, qui Oreſte Tragico & Athamante dementiores usque adeo inſanirent, ut delicias, bona fortunæ, commoda vitæ, ac omnium rerum affluentias & proſperitates deſpicerent, & conculcarent, immo quandoque amorem in DEVM ſuo ſanguine conſignarent, ſi iis ne ulla quidem, neque præſentis, neque futuræ ſpes remunerationis affulgeret, dum interea ſceleſtiſſimos quosque, omni ſcelerum luto & ſordibus volutatos, qui & Bac-

cho, & Veneri Deæque Volupiæ ſubarrhabant, idem maner
præmium, eadem remuneratio, quando probi cum improb
paria ſubirent fata, communem nempe vitæ interitum.

Rodit certe præcordia conſcientiæ vermis, reclamat co
ſcientia, reclamat, inquam, quid? DEVM Optimum Max
mum eſſe bonorum, virtutumque Remuneratorem, atque m
lorum, & ſcelerum Vindicem. Unde autem Divino Numi
hæc competeret juſtitia? ſcilicet remuneratio boni, & ma
pœna? quum multi ſceleribus immerſi horrendas inter bla
phemias ſceleſtiſſimam evomant animam; alii contra intege
rimæ vitæ, a fœda peccati contagione immunes intenſiſſim
inter dolores finiant vitam, niſi *cuique ſuum* tribueret, ben
meritis præmia, ſceleratis ſupplicia.

Ais quidem, ne DEVM & juſtitiam Ejus arrodere videaris
quodam ſaltem tempore animam poſt mortem ſuperſtitem fore
ſed ſi ſuperſtes ad tempus eſt, cur non in ſæcula exiſtat:
quid prohibeat æternam ejus exiſtentiam? non agentia con
traria, quorum nulla extant. An dices, defectus cauſæ con
ſervantis? conſervat DEVS. Num ſubjecti abſentia? & ſpiri
tus ſubjecto non indiget. An forte defectus finis? Sed ecc
intellectiones & volitiones, en amorem DEI, & Creatoris;
Quem anima ceu finem ſuum unicum & ultimatum ſpectat
En amorem, quo in DEVM fertur, quem amat ſuper omnia
& æternum amare concupiſcit. Nihil ergo in medium adduc
poteſt, quod animæ diviſæ a corpore interitum minaretur.

De libertate, & liberrima agendi facultate animæ quid cun
ctemur? Nunquid enim libere nos agere, nullo non tempor
experimur, plenæque agendi libertatis ipſi nos oculati teſte
ſumus?

Pono alia arma, quæ contra Lockium, & Epicurum acer
rimos liberæ & immortalis animæ hoſtes (*quorum Deus ven-
ter eſt*) ſtringere poſſem; cui namque iſthæc non ſufficiunt,

aut

aut homo non eſt, aut is ſolum erit, quem niſi fatuum, certe ſaxeum forte Deucalion e duro ſilice progeneraſſe fertur.

SECTIO II.
De Corpore Humano.
§. I.

Bello modo ordine ad alteram Hominis conſtitutivam partem, *corpus* nempe *organicum*, quod cum *anima* arcto jungitur fœdere, deſcendendum erit; cujus non ſolum naturam, & partes quum *ſolidas*, tum *liquidas*, verum etiam partium actiones & fines penitius ſcrutari materiæ ordo, & ordinis ratio expoſcere videntur. Vnde dicimus: quod

CORPVS HVMANVM *ſit machina hydraulico-pnevmatica, ex variis partibus & ſolidis & liquidis, ac impetum facientibus, ſeu ſpiritibus conſtans;* ſtupendo plane Summi Architecti beneficio, & mira ſapientia inter ſe ſe unitis, coordinatis, & conſpirantibus, eum in finem conſtructum, ut certos motus & motiones, quæ ex certa ſtructura, ſitu, proportione, & cohæſione partium variæ figuræ & magnitudinis ſecundum immutabiles naturæ leges enaſcuntur, ſuæque ſtructuræ perpetuo conveniunt, producat in medium, quibus partes æque *ſolidæ* ac *fluidæ* jugi motu moventur, ſicque corpus humanum præſervatur a corruptione, atque hæc admiranda humani corporis machina menti ſuæ, ſeu animæ pro perpetuo ſervit inſtrumento, & domicilio, quo anima non modo actiones quascunque elicere, verum vitam quoque & ſanitatem cuſtodire omnibus modis conatur.

MACHINÆ igitur appellatio corpori tribuitur, quod non ſolum admirabilis ſuæ intuitu ſtructuræ, quæ ex diverſis prorſus partibus *moventibus*, & *mobilibus* miro ordine unitis & conſentientibus conflatur, ad diverſos edendos, & concitandos mo-

tus

tus deſtinatur, verum etiam alias machinas humana induſtri elaboratas perfectione longiſſime ſuperet, & maximo intervall antecellat.

HYDRAVLICÆ nomine machina ſalutatur, quum pene tot vaſculoſa ſit, ac innumeris diverſæ magnitudinis, miræ angu ſtiæ & parvitatis vaſis & canaliculis inſtructa fulgeat, per quo varii generis *fluida*, *ſanguis* nempe, *ſerum* & *lympha* ferri ſolen & circumvehi.

PNEVMATICA machina nuncupatur, quum *impetum fa ci ntia*, fluida ſcilicet ſubtiliora movendi potentiæ capa cia (quæ nomine *ſpiritus* veniunt) in *muſculis*, *fibris* & *nerv* foveat, quibus partes ſolidas, hos ipſos muſculos, nervos & fibras impellit, impetus facit, & animat; atque adeo hæ par tes *ſolidæ* a ſubtilioribus *fluidis*, ſeu ſpiritibus in motum concitata *liquidorum*, *ſanguinis*, *ſeri* & *lymphæ* curſum & circulum adjuvant itum, & reditum regunt & moderantur.

Quam ob rem admirandam humani corporis machinam tri plicis generis partibus, quibus ſuo tanquam fundamento inniti tur, præcipue conſtare: *ſolidis*, I. *duris* & *renitentibus*, variis nem pe vaſis, canalibus & cavitatibus, per quas *liquida* vehuntur motus item inſtrumentis, *muſculis* ſcilicet, *fibris* & *nervis*, pe quos feruntur ſpiritus; nec non *oſſibus ligamentis*, & *cartilagini bus*, quibus univerſa machinæ moles incumbit, fulcitur & ſu ſtentatur. II. *Liquidis* & *fluidis*, *chylo* nempe, *ſanguine*, *ſero* & *lympha* &c., quæ concinno ordine per vaſa & canales circulan tur. III. Denique *impetum facientibus*, ſeu fluidis tenuiſſimi viſus aciem fugientibus ſive *ſpiritibus*, qui ab optima *ſanguinis ſeri*, & *lymphæ*, ac ſubtiliore aeris & ætheris parte ſuos natale ducunt, nec non humanæ machinæ motus, robur, viresqu conciliant, res ipſa loqui videtur. His

Igitur partibus *ſolidis*, *liquidis* & *fluidis* perfectiſſima homi nis machina conſtat, quæ quouſque recte inter ſe ſe cohæſerint ac *ſolida* cum *liquidis* & *fluidis*, hæc item cum *ſolidis* rite con

ſpira-

ſpiraverint, eousque machina motus ſuos & actiones præſtat, excretiones ad vota fluent, integra ſtabit ſalus & ſanitas. At vero vel una læſa parte, partisque unione & conſenſione violata, ceteræ mox partes ob nimiam ſui conſenſionem & harmoniam ſimul læduntur & vulnerantur, atque adeo motus partium turbari, motuumque ordines & conſenſiones, haud ſecus ac in aliis humano marte confectis machinis fieri ſolet, ex mechanismi legibus conſequitur; læſis itaque partibus, partiumque ordine, conſenſione & motibus, ſimul læſum & vulneratum iri partium actiones, & excretiones, adeoque vitam & ſanitatem, prorſus eſſe neceſſe videtur. Vnde e re modo fore viſum fuit, quo pede cœptum eſt, pergere, atque partes, quæ humanum corpus conſtituunt, tum *internas*, tum *externas* legibus anatomes perſequi, ac una ſerie pro exigentia Diſſertationis noſtræ earum actiones & fines quam brevi licet, recenſere calamo.

§. II.

De externis humani corporis partibus.

Anatomes Periti ad unum omnes cumprimis corpus humanum in duas partes, *truncum* ſcilicet & *artus* dividunt.

Per *truncum* ea pars, quæ a ſupremo vertice ad crura usque ſe ſe extendit; per *artus* vero brachia & manus, crura, pedesque intelliguntur.

Truncus rurſum in tres ventres, ſeu regiones, in *ſupremam* nempe, *mediam* & *infimam* amat dividi.

SVPREMA REGIO rationis regia, & intelligentiæ ſedes, caput eſt, quod in ſe *cerebrum* & *cerebellum*, *meninges*, & *principium nervorum* &c. complectitur.

Primam vero inter, & mediam regionem *collum* præſto eſt, quod caput a thorace dividit.

MEDIA REGIO *thorax* dicta a collo ad cartilagionem mucronatam, aut ad ſcrobiculum cordis usque extenſa, *cor*, *pulmones*, *mediaſtinum*, *partem veſophagi*, *aſperæ arteriæ*, & *majora ſanguifera vaſa* comprehendit.

INFIMA denique & ultima regio *abdomen* dicta, a cartilagine mucronata ad crura usque exporrecta continet *ventriculum*, *hepar*, *lienem*, *inteſtina*, *meſenterium*, *pancreas*, *renes*, *veſicam*, *urinarium*. Reliqua.

Harum trium regionum diverſæ partes diverſas ſortiuntur voces; ſic anteriorem capitis partem *faciem* nominant, cujus ſuperior pars *frons*, ſuprema capillata *ſynciput*, pars poſterior *occiput*; elatior vero pars ſynciput inter & occiput media *vertex* nuncupatur; partes vero ad latera frontis *tempora*, colli pars anterior *jugulum*, poſterior *cervix* nominari ſolent.

THORACIS vero, ſeu mediæ regionis pars anterior *pectus*, laterales *latera*, foſſula illa in medio ſita *ſcrobiculus cordis* vocatur.

INFIMÆ modo regionis pars anterior *abdominis* nomine venit, quod ab Anatomicis in tres plerumque partes ſubdividitur.

PRIMA ſeu ſuperior pars *Epigaſtrica regio* dicitur, & duobus circiter digitis ſupra umbilicum deſinit.

SECVNDA mox ſuccedit regio, & umbilicalis eſt, quæ infra umbilicum terminatur. Has demum *Hypogaſtrica*, quæ tertia regio eſt, excipit, & partes generationi deſtinatas involvit.

EPIGASTRICA regio in duo diſpeſcitur hypochondria, in *dextrum* nempe & *ſiniſtrum*.

Media vero ſeu umbilicalis in *meſaræon*, & *meſacolon*, tertia denique ſeu hypogaſtrica regio in laterales *iliacas*, ſeu *inguina* diſtingui ſolet.

Poſterior abdominis pars *dorſum* vocatur, & ſuperius *lumbos*, inferius continet nates. reliqua.

Priusquam modo dictas partes ſuo ſcrutemur ordine, non abs re ingeritur quæſtio, unde nam omnes humani corporis par-

partes *continentes* & *contentæ solidæ*, *fluidæ* & *impetum facientes* & qua sint origine natæ, atque huic solvendæ quæstioni ocyus ituri sumus obviam.

§. III.

De Principiis, seu partibus similaribus omnium corporis partium constitutivis.

Per principia, seu partes *similares*, quæ humani corporis partes constituunt, illæ intelliguntur, *quæ semper sibi similes in alias differentes partes subdividi nequeunt.*

Constitutæ vero seu *dissimilares* partes sunt, quæ in alias scindi & dividi partes possunt, sic manus in *digitos*, *ungues*, *arterias*, *venas*, *ossa*, *nervos* &c. potest dividi; hinc partes *similares* proprie loquendo solæ fibræ sunt, quum ex his reliquæ omnes corporis partes miro & vario modo unitis, coordinatis, & complicatis enascuntur, suosque natales ducunt. Dicere igitur expedit, quid *fibra* sit, quam hoc modo definimus.

FIBRA est *omnium partium simplicissima, tenuissima*, & *subtilissima fili instar ex semine & succo nutritio oriunda;* ex qua omnes humani corporis partes componuntur, quæ pro varia fibrarum textura, modificatione, complicatione & unione, varioque humorum affluxu in varias partes abeunt, & varias partes constituunt; unde pro discrimine partium, quæ ex fibris conflantur, diversæ quoque rationis esse fibras, alias nempe duras pro ossibus, alias molles pro musculis & carnibus, alterius item esse generis fibras alias pro reliquis corporis partibus constituendis pulcherrime adnotavit HEISTERVS Anatomicus celeberrimus, idque demonstravit palam.

Quam ob rem ex his fibris tenuissime contextis imprimis membranæ fiunt, tanquam telæ & tunicæ, quæ pro diversa sui unione & complicatione jam ad continendum & retinendum, jam ad vehendum & revehendum, modo ad ligandum alias

partes destinantur; pro qua igitur differentia partium & actionum fibræ diversa sortiuntur nomina, & pro diversa compage fibrarum diversæ quoque enascuntur partes diversis actionibus & finibus in humano corpore destinatæ. Vnde cumprimis prodit in medium ARTERIA, quæ *est vas elasticum ex variis fibris certo modo complicatis constans*, eum in finem instituta, ut sanguinem ex corde veheret, & in omnes humani corporis partes dispensaret.

VENA contra *vas est ex fibris suo modo unitis & conjunctis ortum, quod sanginem ex omnibus corporis partibus ad cor revehit.*

MEMBRANA & TVNICA illæ fibrarum congeries sunt, quæ alias partes tegunt, colligant & conjungunt.

LIGAMENTVM parum a membrana differt, nisi respectu finis, dum ossa nectit, & colligat.

MVSCVLVS pars illa rubicunda est, quæ alias *caro* dicitur, & motus instrumentum est, cujus extremitates firmæ, nervosæ, & albicantes *tendines* nuncupantur.

VASA LYMPHATICA & LACTEA sunt canaliculi pellucidi & subtiles; priora liquidum quoddam tenue *lympham* nempe ad massam sanguineam aliasque partes vehunt; posteriora *chylum* in primis viis confectum per suos ductus, viasque ad sanguinem transferunt.

GLANDVLÆ sunt quædam vascula diversæ molis, figuræ & consistentiæ, ex omni vasorum genere & tunicis conflata ad humores secernendos destinata.

Sed e diverticulo ad viam, qua nempe internas corporis partes petemus, nobis redeundum est; priusquam tamen ad has propius contingamus, vela pandere, atque integumenta corporis communia removere præstat.

§. IV.

§. IV.

De integumentis corporis communibus externis, cuticula nempe, & cute, pinguedine & panniculo carnoſo.

Eum in finem natura provida corpus ſuum his munivit involucris, ut internæ corporis partes defenderentur, & ab externis injuriis & læſionibus ſervarentur immunes; læſis enim & vulneratis his integumentis partes tectas plus minus violatum iri, certum & expeditum eſt. Quid igitur cuticula & cutis ſint, brevibus præ ſe ferre ſupereſt. Unde

CVTICVLAM, quæ aliis *Epidermis* dicitur, *pelliculam tenuiſſimam, ſenſus expertem, cuti adhærentem, ex ſemine, fibrisque varie contextis aliarum inſtar partium prognatam eſſe*, pro vero tenemus.

Pertenuis utique cuticula eſt, ut impreſſiones, affectionesque a rebus externis cauſſatæ ad nervos, (qui ſenſuum organa ſunt) per cutim ſparſos promptius ferantur, qua ſenſus tactus efficitur, & adjuvatur. Vnde uſus finisque cuticulæ eſt, *cutem tueri, vaſorum oſcula tegere, hinc ingrati tactus ſenſus, nimiamque perſpirationem & ſudorem moderari.*

Remoto hoc communi cuticulæ involucro mox *cutis* adeſt, quæ duplicis eſſe generis ſtatuitur, *externa* nempe & nervea, pellis dicta, ac *interna* & carnea, quæ mollior exiſtens & rarior *chorion* nuncupatur, nec non retis inſtar mirabilis ex omnis generis capillaribus vaſculis, arteriolis ſcilicet, venulis, vaſis lymphaticis, & fibrillis minimis conſtat; *ut ſit tactus proprium organum & inſtrumentum.*

Illico ſub cute, præſertim ſub ejus textura reticulari copioſæ, exiguæque glandulæ ſubcutaneæ, a MALPIGHIO miliares dictæ in conſpectum prodeunt, quæ vaſculis ſuis excretoriis exteriora verſus nempe ad cuticulam reſpiciunt, quo-

quorum orificiola cutis efformant poros, cutisque meatu constituunt.

Insigne hae glandulae subcutaneae *insensibilis perspirationis* *sudoris* instrumentum praebent. Per has enim glandulas seru a sanguine arterioso, quem vasa arteriosa capillaria (ob sui ex guitatem ita dicta) advehunt, secernitur, sicque *tenuior se salino-sulphurei portio, aliaeque salino-acres & halituosae* sanguinis so des a sanguine separantur, separatae per vascula excretoria fo ras spectantia *insensibilis perspirationis*, aut suo tempore erum pentis *sudoris* ope e corpore eliminantur.

Vnde cutis non modo innumeris poris & meatibus, verum etiam totidem arteriolis, venulis, & nervis scatet, quae & su congerie cutim constituunt, ac sanguine chyloso per arteriola allato eam nutriunt, nec non seri impuri excretionem per dict vascula *insensibilis perspirationis* aut *sudoris* occasione adjuvant ut *adeo non solum corpus tegat, & fibrillis nerveis verum tactus orga num constituat, sed & noxiis inutilibus, & excrementitiis sordibu cutis idem corpus liberet, idemque repurget.*

Detractis modo *cute* & *cuticula* aliud in lucem prodit gene rale corporis integumentum, *pinguedo* nempe, seu *membrana adiposa*, quae totum pene corporis ambitum cingens cellulos est, in qua materia *unctuoso-gelatinosa* colligitur, & in membrana cellulis eo modo, ut succus limonum vel aurantiorum in mem branosis pulpae suae cavernulis, continetur.

Per hanc igitur membranam adiposam arteriae & venae dif funduntur, quibus *chyloso-serosa sanguinis substantia* advehitur quae filtrationis more in dictis reponi cellulis, & coacervari solet

Quo plus itaque *substantiae unctuosae-gelatinosae* affluit, & con geritur, eo magis corpus pinguescit, & in quibusdam in nimiam noxiam, ac immensam corporis accrescit molem.

Is vero finis pinguedinis est, ut *sua unctuositate vicinas partes, musculos scilicet, ligamenta & tendines, vasa ac cutim non nunquam siccas, aridas & ad motum inhabiles humectet, & relaxet, adeo*

que

que ad motus & motuum mutationes habiles reddat; nec non ſpatiola muſculos inter & vaſa ac cutim vacua repleat; hinc corpori æqualitatem, pulchritudinem, & decus conciliet, ac denique corpus a tabe, & extenuatione præſervet, atque a ſævo frigore tueatur.

Proxime pinguedini, ſeu membranæ adipoſæ membrana carnoſa *Panniculus carnoſus* dicta adjacet, quæ omnes corporis partes præcipue muſculoſas ceu commune integumentum ſepit, zonæque more firmare ſolet.

Non ſolum vero firma & valida hæc membrana eſt, & fibris donata carneis, quibus membranæ adipoſæ, cutique firmiter adnectitur; verum etiam exquiſito ſenſu gaudet, unde ab acribus laceſſita humoribus quadam agitatur concurſione, quæ totum corpus rigore, frigore & horrore afficit. Arterias, venas & nervos a ſubcutaneis derivatas habet, atque vicinas partes munit, totumque corpus ambit; pinguedinem, ne ab aſſiduo muſculorum motu diffluat, ſuos intra limites continet, vaſaque fulcit ad cutim abeuntia.

Membranæ huic carnoſæ alia tunica *muſculoſa* dicta vicina eſt, quæ omnes corporis muſculos inveſtit, & ne continente motu corrumpantur, impedit.

§. V.

De partibus continentibus, ſeu integumentis internis, ſpeciatim de Peritonæo, & Omento.

Remotis externis integumentis communibus jam interna corporis involucra *Peritonæum* nempe & *Omentum* nobis adeunda erunt, quæ *partes* ex eo *continentes* vocantur, quod ſubſtrata ſibi viſcera tegant & contineant.

PERITONÆVM *igitur tenuis, mollis, denſa tamen & facile nobilis membrana eſt, quæ totam abdominis cavitatem ſuccingit, omniaque hujus inveſtit viſcera.*

Figu-

Figuræ Peritonæum ovalis est, ventrisque cavitati longitudine & latitudine respondet, atque ab eo singulæ ventris partes externam mutuantur tunicam.

Quibusdam in locis, præcipue, ubi *renes, vesicam, urinariam & vasa deferentia* comprehendit, duplicatur, inde orta est denominatio *duplicaturæ peritonæi.* Superficies ejus externa *aspera*, interna *levis* est, & humore aqueo ad facilitandum motum intestinorum irrigata.

Superius hæc membrana diaphragmati, inferius ossi pubis & ischio, ad latera ossibus ilii, retro ossi sacro, reliquisque abdominis unitur partibus. At quibusdam in locis perforatur superius nempe, ubi diaphragmati connectitur, per *gulam, venam cavam*, & *nervos octavi paris;* inferius ad latera in viris per *suos processus*, utrinque in scrotum descendentes. reliqua.

Arterias suas, venasque hæc membrana fovet, quarum allato chyloso sanguine nutriatur; suosque nervos, quos thoracis, & lumborum vertebris accepit, donatur, quibus sentire valeat.

Finis jam ususque peritonæi est, *viscera suis in locis continere, ea distinguere, & exteriorem omnibus partibus & visceribus largiri tunicam, iisque substratis ad facilitandum motum robori esse & firmamento.*

Discusso modo peritonæo mox se se *omentum* tanquam operimentum, Græcis *Epiploon* dictum, coram sistit, *rete* plerumque vel *reticulum* nuncupatur.

OMENTVM *membrana reticularis est, quæ pinguedine larga instructa sub peritonæo sita proxime incumbit intestinis.* Anfractus intestinorum ingreditur, & ad umbilicum passim terminatur attamen in nonnullis ad os usque pubis extendi solet.

Geminis omentum alis, *superiore* scilicet & *inferiore* instructum est; Prior *ventriculi fundo*, & peritonæi ope *diaphragmati, epatis* & *lienis cavo*, posterior vero intestinis *duodeno* & *colon* connectitur; unde transit ad ventriculi fundum, & tam in dextro,

quam

quam ſiniſtro latere junctis oris deſcendunt alæ, & paulo poſt coadunatæ *manicam Hyppocratis* dictam, aut marſupii repræſentant ſpeciem. In omenti ſubſtantia præter pinguedinem ubivis exiguæ ſparſæ ſunt glandulæ, arteriæ item & venæ, quas a cœliacis, & meſaraicis propaginibus mutuatur.

Finis omenti eſt, *cum primis ſui adipis copia ventriculi fundum & inteſtina blando calore fovere, humorum acrimoniam contemperare, hinc ciborum digeſtioni ſuccurrere; nec non arteriis, venis & vaſis lymphaticis ad ventriculum, inteſtinum duodenum, colon & lienem tendentibus ſecurum præbere tranſitum, dum dicta vaſa fulcit.*

SECTIO III.

De humani corporis partibus contentis internis, in primis coctioni & nutritionii inſervientibus.

§. I.

De Oeſophago.

Expanſis modo velis, & omnibus remotis corporis integumentis jam ad portum ſtamus, quo internas corporis partes accedere, & in his ſummam Summi Numinis providentiam & clementiam non tam animi meditari acie, quam potius obſtupeſcere, omnibus nobis datum fuerat.

Altius igitur jam corpus penetramus, quando mox partes ciborum concoctioni, & corporis nutrioni deſtinatas, *œſophagum* nempe, *ventriculum, hepar, lienem, meſenterium, inteſtina* &c. propius contingimus. Has enim partes Sapientiſſimus humanæ machinæ Artifex eum utique in finem condidit, ut corporis nutritioni & conſervationi conſuleretur; quum enim in dies corpus humanum continua partium deperditione deficiat, partes deperditas reſti-

tuere, & ſuccis nutritiis ex cibo & potu elicitis abſumptas pensare & reparare, quo naturale robur viresque inſtaurentur, aut præſentes conſerventur, prorſus neceſſe fuerat.

Quam ob rem in primis *œſophagum*, ſeu gulam inſpicere juverit, quem eſſe *canalem membranaceum, qui a faucibus exortus recta deorſum aſperæ arteriæ ſubtenſus perforato diaphragmate ad undecimam dorſi vertebram in ſiniſtrum ventriculi orificium inſeritur, ibidemque terminatur.*

Situs eſt a parte poſteriore & membranacea aſperæ arteriæ, figuræ longæ & rotundæ eſt, magnaque cavitate pollet, ut pro re nata & deglutione alimentaria dilatari & conſtringi queat.

Tribus gula conſtat tunicis, duabus propriis, & una communi; hæc oppido tenuis eſt, & in collo a vertebris, in thorace a pleura, in ventriculo a peritonæo oriunda.

Propriarum *externa* muſculi inſtar carnoſa & craſſa eſt, rotundis, transverſiſque fibris intertexta; altera *interna* membranæ oris, palati, faucium continua, tenuis, dura, & nervoſa eſt, fibris ſtipatur rectis, longis, obliquis, quibus motus deglutionis perficitur.

Glandulas obtinuit œſophagus in ſuperiore ſui parte cum larynge communes, *tonſillas*, ſeu *amygdalas* vocatas. In deſcenſu vero ad quintam thoracis vertebram alias glandulas *phaſæolum* referentes videre eſt, quæ humorem ſuppeditant ad humectandam cavitatem, ut promptius & facilius deglutiantur alimenta.

Suis inſtructus eſt arteriis œſophagus, & quidem in collo a carotidibus internis, in thorace ab intercoſtalibus ſortitus eſt arterias; nervos a ſexta conjugatione habet.

Sex muſculos dilatantes, & unum conſtringentem, ſeu *ſphyncterem* gulæ dictum obtinuit, quorum dilatatione & conſtrictione ingeſtorum deglutitio juvatur, & perficitur.

Finis itaque œſophagi eſt, *cibos ore comminutos, & maſticatos dentibus, deglutire, ſuoque mandare ventriculo, ad cujus examen & ſcrutinium ocyus vocamur.*

§. II.

§. II.

De Ventriculo.

Paulo ante dictum fuit, œsophagum terminari in ventriculo; recto igitur ordine expenso œsophago propediem ventriculus suis momentis ponderatur. Quem igitur *corpus membranaceum referens sacculum, omnis cibi, potusque, quos resolvit & concoquit, resolutos & concoctos in omnes corporis partes distribuit, esse receptaculum*, apud omnes in confesso erit.

Figura *utriculam lusoriam pastoriciam* einen Dudl-Sack æmulatur, fundo munitus & duobus orificiis.

Fundus rotunda, major & capacior ventriculi cavitas est, quæ sinistro hypochondrio dextrorsum versus sensim angustatur, chylum retinet, impeditque, ne indigestus in intestina elabatur. Finis angustati fundi dextrum ventriculi orificium, reliqua pars orificium inferius *pilorum* & *janitorem* dictum constituit, qui janitor ex fibris transversis & orbicularibus spincteris more circulum crassiorem format, quo intestino duodeno connecti solet; tamdiu vero hoc orificium clausum manet, donec cibi in cremorem, & substantiam liquidam conversi pededentim in intestina prolabantur. Alterum vero orificium sinistrum & superius ob tenerrimum sensum, & cum corde consensum *cardios*, seu *cor* dictum œsophago & diaphragmati firmiter connectitur, atque continuum cum œsophago ob cibos assumendos dextro orificio latius patet, quibus assumptis amodo ut rursus claudi possit, fibris firmatur carneis & orbicularibus.

Magnitudo ventriculi variat pro varietate *sexus*, *ætatis*, & *corporis magnitudinis*. Helluonum vero & gurgitum plerumque major est ventriculus, quem jugiter helluando, compotando oppido extenuant, enervantque, ut digestionis turbetur negotium, ac innocens ventriculus offendatur & pessumdetur.

Quatuor ventriculus numerat tunicas, quarum prima *communis* a peritonæo ortum trahit. Secunda *carnosa* eſt, quæ omnis generis fibris firmata, robuſta, & protinus ſpectatur valida. Tertia *rugoſa* & *nervoſa* œſophagi, oris & labiorum tunicæ continua eſt, qua ob ſui ſenſibilitatem materiæ ingratæ latitantis in ventriculo adverſus ſapor ore etiam percipi & diſtingui poteſt. Quarta denique & intima ſpongioſo-mucoſa *villoſa cruſta* dicitur, quæ glandulis tunicam verſus nerveam ſpectantibus dives eſt, ex quibus, ſicut ex ſecundæ tunicæ glandulis *liquor ille gaſtricus*, ſeu *lympha ſalino-ſpirituoſa* digeſtioni ciborum deſtinata concoctionis præſertim tempore exſtillare fertur.

Arteriæ & venæ ventriculo propriæ *gaſtricæ* vocantur, quas partim a venæ trunco, partim a venæ trunci ramis *meſenterico* nempe & *ſplenico* accipit. Speciatim vero a trunco venæ portæ gaſtrica dextera, *pylorica* dicta, eo quod pylorum occupet, prodit, e ramo autem ſplenico *gaſtrica major* exit, quæ ſupernam ventriculi regionem coronæ ritu cingens vena nuncupatur *coronaria.*

Rurſus vena major, ſuo nomine *vas breve* dicta, quæ modo extra, modo intra lienem egreditur, patet, quæ in ventriculum multis ſurculis diſpenſatur.

Venæ denique aliæ *gaſtro-epiploicæ* ſiniſtræ, & *gaſtro-epigloicæ* dexteræ dictæ, ab omento & inferiore ramo venæ ſplenicæ exortæ, in ventriculum diſtribuuntur.

Arterias ab arteriæ magnæ ramo cœliaco, ejusque dextera & ſiniſtra propagine, quarum venæ comites ſunt, mutuatur. nervos a vago nervorum pari, & intercoſtali ac ramo ſtomachico recurrente, nec non a prima & ſecunda dorſi vertebra ſtomacho accedere, liquido conſtat.

Finis, uſusque ventriculi eſt, *alimenta, cibum, potumque recipere, illos reſolvere & digerere, atque in materiam chyliformem vertere & transmutare.*

§. III.

§. III.
De inteſtinis generatim ſpectatis.

Sicut œſophago ventriculus, ita ventriculo inteſtina continuantur, de quibus, concoctionis partes proſequuturi, quam brevi tenore licet, diſſeremus.

INTESTINA *igitur corpora oblonga, rotunda, membranacea & concava ſunt.* Seu potius ſunt *canalis quidam membranaceo-oblongus, rotundus, cavus, & varie circumgyratus, a ventriculo una ſerie ad anum usque extenſus, ducendo chylo, fecibus retinendis & emittendis deſtinatus.*

Inteſtina, ſeu potius inteſtinus canalis plerumque ſepties, eo, cujus ſunt, homine, longiora eſſe ſolent, & vel ideo plurimis gyris & convolutionibus donata, ut ingreſſa in inteſtinum canalem alimenta eo usque, donec concocta fuerint, ſervarentur, atque ad tempus, quousque partes inutiles & excrementitiæ a chyloſis & utilibus ſeparatæ ſint, in canale moras agerent.

Quo ad ſtructuram ſuam, penitus cum ventriculi compage conſentiunt, iisdemque tunicis prædita ſunt, quæ nempe in inteſtinis ſenſum & motum præſtant, ciborumque digeſtioni velificantur.

Venis a ramificationibus venæ portæ, arteriis a *cœliaca* & *meſenterica* tum ſuperiore, tum inferiore donantur.

At vero bene multæ iis inſeruntur venæ lacteæ, a quibus chylus in inteſtinis confectus abſorbetur, & defertur ad chyli receptaculum. Nervos ab octavo pari vago recipiunt.

Motu interim proprio, dicto *periſtaltico*, a contractione fibrarum ſpiralium motricium oriundo moventur.

Vſus inteſtinorum eſt, *non modo chymum, ſeu alimenta jam amodo concocta e ventriculo ſuſcepta, amplius reſolvere & digerere, verum etiam chylum a particulis excrementitiis & ſordibus ſeparare, ut*

scilicet portio chyloso-nutritia deferatur ad vasa lactea, inutilis & excrementitia foras per anum excernatur.

§. IV.

De inteſtinis ſpeciatim conſideratis.

Tametſi inteſtina unum & eundem canalem, unamque a ventriculo ad anum usque continuationem una ſerie conſtituant, attamen ſuæ compagis & ſtructuræ ratione differunt, hinc in *tenuia* & *craſſa* dividuntur.

Tenuia ob membranas, quibus conſtant, tenuiores, ita dicta, ad umbilicum usque, quem ſupra, infraque circum circa cingunt, extenduntur.

Munus eorum eſt, *chylum e ventriculo crudiorem ſuſcipere, ſuſceptum amplius digerere & perficere, rite confectum & perfectum chyliferis mandare vaſis & canalibus.*

TENVIA in tria diſtinguuntur inteſtina, nempe in *duodenum*, *jejunum* & *ileon.* Duodenum a longitudine duodecim digitorum ita nuncupatum, omnium primum inteſtinum ab inferiore ventriculi orificio ortum trahit, in quod ductus *choledochus*, & *pancreaticus* in ſui medio tortuoſo ingreſſu inſeruntur. Deorſum paulo flexum hoc duodenum ſpinam verſus fertur, & ſuperius pyloro, poſterius lumborum vertebris, e latere ſiniſtro pancreati alligatur.

Ex utroque ductu *pancreatico* nempe lympha *ſalino-ſpirituoſa*, & ex *choledocho* bilis ad chymum, ſeu ſuccum nutritium e ventriculo allatum, magis reſolvendum, digerendum, & perficiendum, atque in verum chylum permutandum, in inteſtinum duodenum influunt, qua ratione chylus ad ſubeundum vaſa lactea habilior, ad nutritionem vero aptior & perfectior reddetur.

Vena hoc inteſtinum propria *duodena* dicta; arteria a *cœliacæ* ramo; & nervis exiguis a ſtomachicis mutuatis gaudet.

SE-

SECVNDVM inteſtinum tenue, quod *jejunum* ex eo nuncupant, quum a bilis proxime influentis acredine irritatum plerumque vacuum ſit, in fine duodeni incipit duodecim pene palmas longitudine, & latitudine adæquat digitum, multisque intortum gyris ſub pancrente prope ſpinam dorſi in regione umbilicali ſiniſtrum verſus latus collocatur.

Venas a dextera *meſeraica*, arterias a *meſenterico* ramo ſuperiore, nervosque ab octavi vagi paris ramo hæredes accipit.

Porro rurſus in hujus fine inteſtini tertium & ultimum inteſtinorum teniuum incipit, utrinque ſub umbilico ad ilia, & coxas ſitum, vel ex eo aliquantum turget, quod chylus perfectus, omnibusque abſolutus numeris in hujus inteſtini gyrorum multitudine copioſe congeritur, pauliſper ſiſtitur, hinc inteſtino a fibris ſuis carneis non nihil contracto pars chyli purior & tenuior in vaſa lactea, quæ hic copioſe exiſtunt, intruditur, pars vero chyli crudior & nutritioni inidonea ad craſſa inteſtina ablegatur.

Omnia inteſtina longitudine hoc inteſtinum ſuperat, & vel ideo non raro, qua data occaſione in ſcrotum prolabitur, a quo prolapſu *hernia inteſtinalis*, *volvulus* item, ſeu *iliaca paſſio*, *miſerere mei* dicta, ortum trahit.

Ex quibus utique, *inteſtina tenuia chylificationi & nutritioni cum primis deſtinata eſſe*, *plenum*, *planumque conficitur*.

§. V.

De inteſtinis craſſis.

Poſt inteſtina tenuia una ſerie & eadem continuatione craſſa tria inteſtina, a tunicarum ſuarum, & contentæ materiæ craſſitate, *craſſa* nuncupata, ſequuntur.

Primum igitur inteſtinorum craſſorum, quod ex una parte impervium eſt, *cæcum* nominatur. Atqui *quædam parva appendix eſt*, *oblongi inſtar vermis adhærens*, *ac quatuor circiter longum transverſis digitis*, *exigua cavitate plerumque donatur*.

Vſus

Vſus cœci inteſtini eſt, *lympha ſua chylum crudiorem reſiduum magis diluere, ac ad diſtributionem aliquarum chyloſarum partium in inteſtino colon adhuc contentarum contribuere, nec non ſua appendice prohibere, ne excrementa in inteſtina tenuia regurgitarent.*

Huic mox ſecundum craſſum inteſtinum *colon* dictum ſuccedit, quod in dextero latere prope renem dextrum verſus epatis cavam, & veſiculam felleam aſcendendo colore flavo tingitur; atque per transverſam ſub ventriculi fundo tendentiam, ubi omento alligatur, ſiniſtrum hypochondrium verſus & lienem tendit, ibidem flexum & reflexum ſiniſtrum verſus renem, hinc ad os ilion, demum ad os pubis, ad quod ſubſiſtens, & rurſus verſus ſiniſtrum renem aſcendens, iterumque deſcendens ad inteſtini principium, ac denique ad usque anum exporrigitur.

Figura ab omnibus reliquis inteſtinis differt, quippe anfractuoſum, & celluloſum, longiſſimum, latiſſimumque in homine, & duplici ligamento ſtipatum, quorum alterum latum *colon* celluloſum reddit, alterum ad feces ibi hærentes, & genitrices flatuum expellendas deſtinatum eſt.

Variis hoc inteſtinum *colon* alligatur partibus; unde non ſemel in cognoſcendis primarum viarum ægritudinibus, & affectibus in primis lienis, quos mala *hypochondriaco-melancholica* eſſe credunt, & diſcernendo dolores colicos a *ſtomachicis & nephriticis* Medici falluntur Practici, niſi probe dictos inter affectus diſtinguant.

Ad initium vero inteſtini coli valvulæ loco membrana orbicularis ſita eſt, quæ impedit, ne feces & flatus ad inteſtina tenuia regurgitent; inde eſt, clyſteres ad inteſtina tenuia non poſſe pervenire.

Finis uſusque inteſtini *colon* eſt, *quibusdam ſuis vaſis lacteis particulas reſiduas chyloſas recipere, excrementa colligere, & retinere, ac ventriculum & vicinas partes blando fovere calore.*

Por-

Porro inteſtini *colon* finem rectum inteſtinum excipit, ex eo *rectum* dictum, quod recta in anum deſinat, ac oſſi ſacro ab initio ad oſſis coccygis extremum usque incumbat, eique per peritonæum, in viris collo veſicæ, in fœminis cervici uteri muſculoſæ cujusdam ſubſtantiæ ope alligetur. Sesqui palmas longum, & tres circiter digitos hoc inteſtinum latum eſt, craſſitie vero & carnoſitate reliqua inteſtina ſuperat.

Tribus hoc inteſtinum tunicis largiore foris pinguedine obductis ſtipatur. Venas habet *hæmorrhoidales* dictas *internas* & *externas;* illæ a ramo *venæ portæ*, hæ a ramo *hypogaſtrico* enaſcuntur; arteriæ partim a ramo *meſenterico inferiore*, partim ab arteria *hypogaſtrica* prodeunt.

Nervi quatuor ab extremo ſpinæ dorſi, quibus oppido ſenſibile hoc inteſtinum redditur, ut in tenesmo experimur, oriundi recto inſeruntur.

Hujus inteſtini extremum *anus*, ſeu *podex* dictum rotundum eſt, tribusque muſculis, ceu motus inſtrumentis, quorum primum *ſphincterem*, ſeu *conſtrictorem*, reliquos *levatores* nuncupant, eum in finem munitur, ut quoties opus eſſet, & natura exigeret, hoc inteſtinum contrahi, & dilatari, ſicque excrementa e corpore elabi & eliminari poſſent.

Porris is denique generalis ventriculi, & inteſtinorum finis eſt, ut horum *motu periſtaltico* (qui in placido & perpetuo undulatorio dilatationis, & conſtrictionis motu conſiſtit) atque ad anum usque progreditur, chylus, ſeu ſuccus nutritius conficiatur, confectus a vaſis lacteis reſorbeatur, & ad ſanguinem deferatur, chyli vero partes crudiores ad nutritionem corporis inutiles, & excrementitiæ *ipſo hoc motu periſtaltico* e corpore per alvum amandentur.

§. VI.

De mesenterio, vasis lymphaticis, & lacteis.

En undique, quam mireris naturæ providentiam! ne enim intestina sive *tenuia*, sive *crassa*, quippe longissima, & innumeris gyris complicata haud sine animalis læsione conciderent, aut confunderentur, ea mesenterio natura provida alligavit, ut hoc tanquam vinculo lumborum vertebris suspensa intestina in suo loco, sua statione servarentur.

Est autem mesenterium, in medio intestinorum situm, *corpus quoddam membranaceum admodum expansum, plurimisque refertum plicis.*

Figuræ, exceptis processibus, rotundæ est, magnitudinis a centro ad extremum usque unius spitamæ, longitudinis vero in sua rotunditate trium ulnarum, atque gemina forti membrana peritonæo continua, copiosa pinguedine, ac vasis & glandulis instructa plurimis firmatur. Vbi tenuibus alligatur intestinis, *mesaræum*, ubi crassis vincitur, *mesocolon* nominatur. Natales ducit a ligamentis vertebrarum lumbarium, ac validissimo nexu primæ & tertiæ lumborum vertebræ connectitur.

Venas mesenterium a vena portæ, arterias a ramo arteriæ magnæ mesenterico dextero & sinistro, nervos a ramis octavi nervorum cerebri paris obtinuit.

Finis mesenterii est, *ubique firmare intestina, suoque servare situ & ordine, eaque blando fovere calore.*

Præter vasa & glandulas, quibus scatet mesenterium, innumeris adhuc *vasis lymphaticis*, & *venis lacteis* non solum duplicem inter membranam mesenterii, verum in intestinis quoque tenuibus chylum vehentibus instructum in conspectum datur.

Atque hæc vasa lactea lacte turgida in vivis animalibus, canibus nempe, qui cibis bene saturantur, & quatuor post pastum horis vivi dissecantur, videre est, id, quod mihi Medicinæ adhuc tironi non semel vivis aspicere oculis integrum erat.

Vasa

Vasa vero lactea *longa & teretia sunt vascula, tenui membrana prædita pluribus intersepta valvulis, seu totidem janiolis, quibus chyli suscepti regressus ad intestina probibetur.*

Vasa contra lymphatica, subtilem & pellucidam lympham vehentia sunt vascula tenuia, quæ ob sui tenuitatem, & contenti humoris pelluciditatem visus aciem plerumque fugiunt, suam lympham cum chylo commiscent, qui hac mixtione tenuior redditus promptius & facilius ad sanguinem fertur.

Vsus igitur venarum lactearum est, *chylum ab intestinis ad glandulam mesenterii magnam deferre, & ab hac vehere ad cysternam, seu chyli receptaculum.*

§. VII.

De cysterna, seu receptaculo chyli, & ductu thoracico.

NON subsistit chylus in vasis suis lacteis, sed ad suum progreditur terminum, *chyli* nempe *reptaculum*, in quod se exonerare solet.

RECEPTACVLVM vero, seu *cysterna chyli vas quoddam membranaceum cavum, & rotundum est;* situm sub centro mesenterii ad lumbares vertebras, media fere regione musculos inter psoas, renes & capsulas atrabiliarias.

Munus *cysternæ seu chyli receptaculi* est, chylum e venis lacteis mesenterii suscipere, eumque ad *ductum thoracicum*, & abhinc vehere in *venam subclaviam.*

In superiore chyli receptaculi parte sub diaphragmate *ductus thoracicus* velut tubus prodit, qui tenui & pellucida tunica constat, spinæque dorsi mediæ sub arteria magna incumbit; hinc sursum amplius tendens quintam inter & sextam thoracis vertebram sinistrum versus latus deflectit, atque sub pleura & thymi glandula ad *venam subclaviam sinistram* ascendit, in quam prope exortum *venæ jugularis internæ* jam simplici, jam duplici ramo hiat, ac contentum effundit chylum commiscendum sanguini.

Ne vero chylus aſcendens, & venam ſubclaviam ingreſſus recidere poſſit, ad hanc ductus aperturam in interiore venæ ſubclaviæ cavitate ſemilunaris adeſt valvula, qua non modo liber chyli ingreſſus in ſubclaviam conceditur, verum etiam chyli regreſſus in canalem thoracicum prohibetur.

Vt vero chyli aſcenſus per ductum thoracicum adjuvetur, & ejus deſcenſus impediatur, natura provida ductum thoracicum intus propriis & geminatis inſtruxit ſemilunaribus valvulis ad chyli aſcenſum adjuvandum, & deſcenſum prohibendum natis & deſtinatis.

Atque adeo non ſolum ductus thoracici compage, verum etiam & præcipue motu diaphragmatis, muſculorum pſoas, arteriæ magnæ deſcendentis, ac viſcerum & inteſtinorum motu periſtaltico totus chylus ſurſum urgetur in *ſubclaviam*, qui aſcenſus ut amplius ſecundetur, vaſa lymphatica e diverſis locis prodeuntia in *ductum thoracicum* hiant, ſuamque lympham *ſalino-ſpirituoſam* cum chylo permiſcendam exonerant, qua chylus magis diluitur & attenuatur, promptius ſurſum pellitur, & in ſubclaviam urgetur.

Finis igitur ductus thoracici eſt, *chylum ad venam ſubclaviam ſiniſtram, hinc in venam cavam, abhinc in cor vehere, ex corde in omnes corporis partes diſpenſare.*

§. VIII.

De glandulis & pancreate.

Non ſemel hucusque in decurſu materiæ de glandulis mentionem ingeſſimus, ergo glandulæ notionem coram ſiſtere, e re fore viſum fuit.

GLANDVLÆ igitur *corpuſcula ſunt variæ magnitudinis, figuræ tamen plerumque ovalis, quæ ex membrana una vel pluribus (per quas arteriæ, venæ & nervi diſſeminantur) certo modo congeſtis & coadunatis conſtant.*

Du-

Ductum plerumque proprium, *vas excretorium* dictum, quo secretus a glandula succus, seu liquor exoneratur, sortiuntur.

Differunt vero glandulæ pro differentia *figuræ*, *substantiæ* & *compositionis*; cujus ratione diversa obtinent nomina; unde hæ *miliares*, illæ *vesiculares*, aliæ *simplices*, aliæ ex pluribus conflatæ *compositæ* nuncupantur.

Ex compositis, quæ ex pluribus conjunctis glandulis, propriisque ductibus excretoriis in commune vas desinentibus exsurgunt, aliæ *conglomeratæ*, *conglobatæ* aliæ dicuntur, quæ solum diversa compage differunt.

PANCREAS vero id genus *glandula conglomerata est, quæ ex pluribus glandulis vesicularibus, & excretorio ductu invicem connexis, ac membrana ex fibris carneis genita, & plerumque superficie inæquali congeritur.*

Figuræ depressæ, & oblongæ est, tres, quatuor & plures longum transversos digitos, situmque ad primas lumborum vertebras, in posteriore ventriculi parte ad latus sinistrum intestini duodeni, a quo ad lienis usque regionem extensum, ac membrana tenui a peritonæo accepta investitum suspensum tenetur.

Colorem pallidum ubique refert, ac in ejus medio singularis canalis (qui ex minimis glandularum vasculis undique hic concurrentibus enascitur) excurrens secundum longitudinem ad intestinum duodenum tendit, quo liquor *salino-spirituosus* in pancreatis glandulis separatus a sanguine, & effusus in canalem pro *iuvanda chylificatione* in intestinum duodenum vehitur, ubi ductus pancreaticus quinque vel sex digitorum transversorum latitudine a pyloro utramque inter intestini tunicam ad *insertionem ductus choledochi* tortuoso ductu implantatur.

Venas pancreas a ramo *venæ portæ* & *splenicæ*, arterias ab arteriæ *cœliacæ* ramo sinistro, nervos ab octavi paris, & plexu superiore abdominis mutuatur.

Munus igitur pancreatis eſt, *lympham ſalino-ſpirituoſam per arterias ſeparare a ſanguine, ſeparatam per ſuum ductum ad inteſtinum duodenum vehere pro juvanda chylificatione.*

§. IX.

De hepate.

Ad chyli confectionem, perfectionemque non ſolum *ventriculus* & *inteſtina*, verum etiam *hepar* & *lien*, velut majoris momenti abdominis viſcera poni ob oculos merentur.

Quapropter hepar *viſcus eximium vaſculoſo-glanduloſum, in hypochondrio dextro prope coſtas ſpurias, & proxime ſub diaphragmate ſitum, ad humorem bilioſum in primis ſecernendum, eumque ad inteſtina deferendum, deſtinatum eſſe, anatomes optimates ad unum omnes aſſeverant.*

Subſtantiæ hepar mollis, firmæ tamen & rubicundæ eſt, dividendæ in partem ſuperiorem, & rotundam *convexam ſeu gibbam* dictam, qua diaphragma ſpectat, & poſterius ſinum habet, quo venæ cavæ præbet tranſitum, & in inferiorem, inæqualem *cavam*, ſeu *ſimam* dictam, qua ventriculi dexteræ parti incumbit, eumque pro ciborum concoctione ſuo calore fovet.

Duos vero ſinus pars inferior numerat, unum ad dexteram partem pro veſica biliaria, alterum ad ſiniſtram, cedentem adjacenti ſtomacho.

Membrana hepar a peritonæo data tenui, qua diaphragmati alligatur, veſtiri ſolet.

At vero non ſolum diaphragmati, ſed & aliis vicinis partibus, & quidem abdomini per *venam umbilicalem*, quæ poſt partum coaleſcit, & in ligamentum abit, poſterius vero, ubi vena cava tranſit, ac convexa in parte *peritonæo* connectitur.

Nervos hepar quatuor exiguos, duos a *ſexto pari*, tertium a *ſtomachico*, quartum ab *intercoſtali* accepit mutuos.

Arte-

Arterias exiles a *cœliaco ramo dextero*, quarum una *cystidi felleæ* inſeritur, altera *venæ portæ* juncta in innumeros pene ſurculos diſtribuitur, per quos toti hepatis ſubſtantiæ ſanguis affertur (a qua effuſione rubedo pendet hepatis) ſortitur.

Venas ab omnibus fere abdominis viſceribus recipit, quæ in hepatis ſubſtantia in unum truncum coeuntes *venam portæ* dictam conſtituunt, ac proprio quodam privilegio munere fungitur arteriæ, in quinque ramos diviſæ, quorum unus per *gibbum* hepatis, reliqui per totum hepatis viſcus in innumeras ſparſi propagines contentum undique diſtribuunt ſanguinem; refluum vero a ſecretione bilis cruorem totidem venæ cavæ excipiunt ſurculi, quem cavæ denuo mandant trunco.

Porro ſunt & alii canales *pori biliarii* dicti, plurima item vaſa lymphatica lympham ferentia, quæ in omnes hepatis partes diſſeminantur.

Quod ad munus hepatis attinet, altiſſime id veterum inſedit animis, quando hepar non modo humani corporis partem principem, & naturalis facultatis ſedem, verum etiam viſcus ſanguificationis & naturalis ſpiritus eſſe crediderunt, rati, chylum nutritium ex *venis meſaraicis* per *venam portæ* deferri ad hepar, ibidemque converti in ſanguinem ſibi perſuaſum habebant.

Sed vana ſpe ductos illuſosque fuiſſe Veteres hoc modo hepati voventes, recentiorum induſtria commonſtratum fuit, quum primus PECQVETVS magni nominis Anatomicus ignotos antehac & reconditos chyli ductus, *venas* nempe *lacteas* detexerat, per quas chylus nequaquam, ut Veteres putabant, illico ad hepar, ſed ut ſupra dictum, a venis lacteis *primi generis* abſorptus ad glandulam magnam *Pancreas* dictam, in ea novo lymphæ affluxu dilutus chylus per vaſa lactea ſecundi generis ad *cyſternam* ſeu *receptaculum chyli*, ex hoc per ductum thoracicum ſurſum verſus jugulum lege motus mechanica in venam ſubclaviam effunditur, ubi mox commixtus ſanguini ad *venam cavam*, & ex hac (minime in hepar) ſed ad dextrum cordis ventricu-

lum

lum lege circulationis ſanguinis vehitur, ac altius ibi immixtus ſanguini, magisque attenuatus & volatilizatus, demum nutritioni aptus, idoneusque redditur.

Atque adeo ex ſtructura hepatis vaſculoſo-glanduloſa colligitur, munus hujus parenchymatis eſſe, *bilem*, ſeu *liquorem felleum* ex ſanguinis maſſa ſegregare, ſegregatum ad veſiculam felleam per *porum biliarium*, abhinc per *ductum cyſticum* deferre ad inteſtinum duodenum, in quo cum chylo e ventriculo ſuſcepto mixtus, tanquam ſolvens menſtruum chylum magis reſolvit, & digerit, aptumque reddit ad corpus nutriendum & ſuſtentandum.

§. X.

De ductibus biliferis, & veſicula fellea.

Ut hepar vaſculoſo-glanduloſum bilem a ſanguine ſeparatam reciperet, in dextera & ſiniſtra ſui parte duos ſinus format, in quibus *veſica fellea*, & *canalis*, ſeu *porus biliarius* ſe ſe inſinuant, & quidem arcte adeo veſica fellea, ut dimidia prope ejus pars in ipſo conderetur hepate, parte vero altera extra hepar veſica dextro ventriculi lateri, & inteſtino colon incumbat, ubi ventriculum & colon inteſtinum flavo colore tingit.

Magnitudo veſiculæ differt, ita, ut in aliis major præſertim in cholericis, in aliis minor conſpiciatur; longitudine plerumque tres digitos, latitudine pollicem adæquat digitum.

Figuram pyriformem veſicula refert, ac in *fundum* & *cervicem* dividitur; ille ſacculi inſtar pendet, colore flavo a contenta bile tinctus; cervix fundo durior ſurſum ſpectans oblongatur, & anguſtatur, donec in fine in meatum tenuem *ductum cyſticum* dictum terminetur, qui in *communem ductum* inteſtina petentem deſinit.

Duplici membrana inſtructa eſt, una *exteriore* a peritonæo mutuata, quæ partem veſicæ extra hepar pendentem cingit, eamque alligat hepati; *interiore* altera firmiore muco craſſo

intus

intus oblinita, qua bilis acrimonia, ne tunicam arrodat, contemperatur.

Venis & arteriis *gemellis* dictis *cysticis*, illis a *trunco venæ portæ*, his ab *arteria cœliaca dextera* prognatis vesicula donatur. Nervulum exiguum a sexti paris exigua propagine hepatis tunicam ubique perreptante obtinet.

Munus igitur vesiculæ felleæ est, *bilem ad aliquod tempus servare, deinde intestina versus expellere, ut expulsa chylificationi serviat.*

Vas alterum *porus* dictus *biliarius* canalis oblongus, & latus est, qui non procul a *venæ portæ* trunco progreditur ex hepate; hic *porus biliarius* sub ingressu in parenchyma hepatis in ramum *dexterum*, & *sinistrum* dividitur, atque ramo dextero dexteram, sinistro sinistram partem perreptat medius, ubique inter *venarum portæ*, & *cavæ* radices percurrens, bilem ex omnibus hepatis partibus separat, separatam congregat, atque in *ductum communem* exonerat.

Hinc *porus biliarius* extra hepar conspicuus ad differentiam *ductus cystici* ductus dicitur *hepaticus*, tanquam canalis, in quem omnes pori biliarii capillares surculi per hepatis substantiam dispersi bilem tenuiorem ibidem secretam absorbentes effundunt, atque bilem per ductum choledochum ad intestinum duodenum pro juvanda chylificatione vehunt.

Jam ad ductum hepatis *communem* vertimur, qui ibi incipit, ubi ductus *hepaticus* & *cysticus* connectuntur, unumque efformant angulum, vel ex eo *ductum communem* dictum, quod in concursu horum ductuum, ductus, seu *canalis communis* (figuram Y extra hepar referens, cujus linea sinistra *ductum cysticum*, dextera vero *ductum hepaticum* designat) enascatur, atque utriusque ductus conjuncti progressio ductus *communis*, seu *choledochus* nuncupetur, qui ad finem intestini *duodeni*, vel *jejuni* principium, ac quandoque ad ipsum ventriculi fundum (unde non raro nota ventriculi oris amarities oritur) in ipsum intestini duo-

deni cavum liquorem ſuum *alcalino-ſulphureum*, ſeu bilioſum effundit, qui partes præſertim chyloſas præſervat a putredine, viſciditate & aciditate, adjuvat & *motum inteſtinorum periſtalticum*, quo perfectus chylus elaboratur.

§. XI.

De liene.

Aliud modo abdominis viſcus, quod *ſplenis*, ſeu *lienis* nomine venit, attingemus, idque ſiniſtro in hypochondrio ex adverſa regione hepatis ſpurias coſtas inter & ventriculum collocatur.

Figura lien variat, plerumque tamen *linguæ bovinæ* figuram æmulatur, unde & linguoſum viſcus dicitur.

Foras ad latus ſiniſtrum *gibbum* eſt, parte *cava* adjacentem ventriculum reſpicit, qua per mediam longitudinem linea quadam alba quibusdam eminentiis notata obſervatur.

Sicuti vero hominum corpora differunt, ita & lienis longitudo in homine differt, plerumque tamen longitudinem ſex digitorum, latitudinem trium transverſorum, & unius pollicis craſſitiem æquat lienoſum viſcus.

Parte vero *convexa* diaphragmati (unde liene male affecto difficultas reſpirationis) *ſima* vero ſeu *depreſſa* parte ſiniſtro reni, per membranulas a peritonæo derivatas .omento, ventriculo, ac vicinis partibus alligatur.

Duplici igitur membranula, *exteriore* una, a peritonæo, altera *interiore* propria, a vaſis lienem ingredientibus, arteriis nempe, venis, nervis & vaſis lymphaticis mirum implicatis & contextis oriunda, inveſtitur.

Arteriis itidem duabus inſtruitur, una ad ſuperiorem, altera ad inferiorem ſui partem ſita; hæc ab *arteriæ cœliacæ* ſiniſtræ ramo *arteria ſplenica* dicta, illa ab ipſo *aortæ trunco*, flexuoſo ductu ſecundum pancreatis latus continuato derivatur, in plu-

rimas-

rimasque in liene propagines & ramulos diſtribuitur, quibus plus minus tenſis & compreſſis nota illa pulſatio, aut dolor in hypochondrio ſiniſtro, vulgo das Miltz-Stechen natales debent.

Vena magna ramus dicta *ſplenicus* ex ſimæ lienis parte prodit, qui ramus innumeris propaginibus veſiculoſo & vaſculoſo ſplenis parenchymati alligatur; hæ vero propagines ſenſim coaleſcentes modo tres, modo quatuor majores conſtituunt ramos, mox extra lienem in unum ramum dictum ſplenicum coeuntes, qui transverſim ſub ventriculo per omenti alam ſuperiorem in venam portæ tranſit, in quam ſuum effundit ſanguinem, a quo in vaſculoſo hepatis viſcere bilis materia *ſalino-ſulphurea* oleoſa ſegregatur.

Porro in dictis venis prope exitum a liene valvulæ foras ſpectantes eum in finem conſtructæ dantur, ut e ramo ſplenico nihil in lienem, ſed ex liene in *ramum ſplenicum*, & ex hoc ad venam portæ ſanguinis liber fluxus & tranſitus concederetur.

Denique ex ſupra dictis venis earumque propaginibus *vas venoſum breve* exſurgit, quod ramum ſplenicum ingreditur, cujus rami ſplenici radices a ventriculo prodeunt, ejusque fundo annectuntur, atque diverſi ductus duo vel tria vaſa brevia efformant, quæ in ramum terminantur ſplenicum. Vnde Veteres ſanguinem acidum e liene ad ventriculum pro ciendo appetitu refluere, ſed perperam exiſtimarunt. Enim vero ſanguis in vaſis, ſeu venis brevibus contentus non ad ventriculum, ſed a ventriculi tunicis redux in *vas ſplenicum*, abhinc ad *venam portæ*, ex hac in hepar vehitur, in quo ſeparata materia bilioſa a ramulis venæ cavæ reabſorptus per venam cavam ad dextrum cordis ventriculum cum reliquo cruore novo chylo imbuto, & per *venam ſubclaviam* allato defertur.

Rurſus vena quædam ab extremitate inteſtinorum interna inferiore ſurſum aſcendit, quæ ſæpius dictum ramum ſplenicum, ſed in inferiore parte ſubit, ſuumque ſanguinem ab inferioribus partibus revehens in *ramum* effundit *ſplenicum*, atque hu-

jus modo dictæ venæ radices per anum sparsæ venæ *hæmorrhoidales internæ* nuncupantur.

Nervulos lien a *sexti paris ramo intercostali sinistro*, non solum per tunicam, sed etiam per suam sparsos substantiam mutuatur.

§. XII.

De usu & officio lienis.

Quid quid GALENVS, & Medicinæ Majores de lienis usu & munere senserint, eorum tamen sensa & sententias minus ratihabendas esse, Recentiorum anatomica industria, qua vivis oculis dissecta inspiciebant defunctorum corpora, detexit, & ad oculum commonstravit, qua omnino constitit & constat, quod lien nihil per *ramum splenicum* ab hepate, vel per vas *breve venosum* a ventriculo recipiat, adeoque abs ratione eos concludere, qui concludunt, sentiuntque lienis munus esse: *Succos viscidos, crassos, & melancholicos in hepate & stomacho genitos per ramum splenicum, & vas breve attrahere & colligere, eosque coquere, & impurum a puro separare*, tum rursus puriorem partem in ventriculum per *vas breve* pro excitanda fame, impurum vero & crassum partim per *ramum splenicum* ad intestina, partim per *venam hæmorrhoidalem* ad intestinorum extrema amandare.

Frustra igitur, & abs ratione hoc munus lienis a Veteribus adstrui, & valvulæ venarum, legesque circulationis sanguinis sat superque evincunt, commonstrantque.

Ipsa itaque structuræ splenis ratio suadet, aliud munus esse lienis, & quidem longe diversum ab eo, quod GALENVS cum suis esse contendit.

Siquidem nullum in nostro corpore viscus invenitur, in quo tanta *arteriolarum, venarum, nervorum, cellularum, vaporum lymphaticorum & glandularum* textura & congeries, ac in lienoso datur parenchymate.

Vnde

Vnde in primis vero simile est, sanguinem ex venis meseraicis venosum ex defectu lymphæ (quæ in intestinis magna parte pro conservanda chyli tenuitate non solum ad *venas lacteas* & *receptaculum chyli*, verum etiam ad *ductum thoracicum* ablata fuit) crassum & ad circulationem minus aptum in lienem refluum, ibidem ob copiosi *sanguinis arteriosi*, ac *spirituum animalium* per nervos allatorum, nec non *copiosioris lymphæ* per vasa lymphatica affluxum, sanguinem, inquam crassum & crudiorem in splene de novo fermentari, ejus circulationem exaltari, nec non tenuiorem, spirituosum & volatilem, hinc fluidiorem, & ad circulationem aptiorem reddi, magisque idoneum effici.

Atque adeo hunc sanguinem venosum, & a venis meseraicis reducem in splene vi mirabilis structuræ exaltatum & volatilisatum novo vigore indui, ut per *ramum splenicum* non in *venam cavam*, sed *venam portæ*, mox abhinc in hepatis substantiam delatus ad bilis, seu particularum *alcalino-sulphurearum* (ceu chyli, sanguinisque balsami) faciliorem in hepate secretionem prævie disponatur, nec non ob sanguinem in liene ita exaltatum tota sanguinis & humorum massa in motus concitetur, ut alii humores *saliva* nempe, *succus pancreaticus*, & *gastrinus* simul concitentur, & facilius separentur, lege lienis mechanica abunde liquet. Ex quibus utique pronum est colligere, liene male affecto, universam sanguinis massam, *lentam*, *crassam*, *vappidam* & *viscosam*, ut in *hypochondriacis*, *scorbuticis frigidis*, *bachecticis* &c. patet, esse, qui ex defectu debitæ sanguinis circulationis ad obstructiones, hinc ad *chaccexiam* & *hydropem*, aliaque mala chronica plerumque inclinant, & omnino dispositi sunt.

Atque adeo hæc de partibus corporis naturalibus *solidis* & *liquidis* chylificationi in primis & nutritioni destinatis, *ventriculo* nempe *intestinis*, *mesenterio*, *hepate* & *liene*; *vasis lacteis* & *lymphacicis*, *receptaculo chyli*, & *ductu thoracico* di-

cta ſufficiant, quas ideo ordine anatomico expoſitas præmiſimus, ut actiones naturales *chylificatio* & *nutritio* &c. facilius intelligantur.

§. XIII.

De actionibus naturalibus, & in primis de chylificatione.

Chylificationi, ſeu chyli confectioni, a qua corpus noſtrum nutriendi & conſervandi ratio potiſſimum pendet, non tantum partes prius dictas naturales *ſolidas ventriculum, inteſtina* &c. verum etiam naturales *liquidas, lympham* ſcilicet, *ſalivam, ſuccum gaſtricum, fermentum ſtomachale liquorem inteſtinalem, ſuccos pancreaticum, & bilioſum, ſerumque* ſuum addere ſymbolum, dubitari nequit; unde & horum *liquidorum* notionem pro intelligenda chylificatione penitius inſpicere, e re omnino fore exiſtimemus.

Quapropter I. lympha eſt humor naturalis, utilis, inſipidus, ope glandularum conglobatarum in omnibus partibus a ſanguine, & tenuioribus ſucci nutritii reliquiis ſeparatus, & per vaſa propria *lymphatica* dicta ad chyli receptaculum delatus, pro majori chyli reſolutione & fluiditate, partiumque irrigatione deſtinatus. II. Saliva eſt humor naturalis utilis, limpidus aqueus lympha paulo viſcidior, ſubacris, ſubſalſus licet in lingua inſipidus, per glandulas conglomeratas, tonſillas nempe, parotides, glandulas ſublinguales, maxilares, lachrymales &c. a maſſa ſanguinea, ſanguinisque ſero ſegregatus, ac per ſpeciales ductus, *ſalivales* dictos, in oris cavum deportatus, non ſolum ad maſticationem, verum etiam partium humectationem, alioſque corporis uſus ordinatus. III. Liquor, ſeu ſuccus gaſtricus eſt humor naturalis utilis in regione gaſtrica reperibilis, limpidus, ſubacidus, tenuis, ſpirituoſus, ope glandularum conglomeratarum ſtomachicarum a maſſa ſanguinis, & ſero ſecretus, ac per ſingulares ductus & canaliculos

in

in cruſtam ventriculi villoſam terminatos ad cavum ſtomachi delatus ad appetitum excitandum, & ciborum digeſtionem adjuvandam a natura comparatus. IV. *Fermentum ſtomachale* eſt humor naturalis utilis, in ventriculi tunica glanduloſa extillans, & liquore admixto gaſtrico, ac ſaliva cum cibis deglutita conſtans, ut ciborum digeſtioni tanquam ſolvens menſtruum & vehiculum ſerviret. V. *Liquor inteſtinalis* eſt humor naturalis utilis, ſubtilis & limpidus, ſalino-ſpirituoſus, a maſſa ſanguinea per minimas inteſtinales glandulas in inteſtinis ſecretus, ad chyli depurationi & perfectioni ſerviendum natus. VI. *Succus pancreaticus* eſt humor naturalis, utilis, conſiſtentiæ lympham inter & ſalivam mediæ, ſapore ſubacidus, & ſalino-ſpirituoſus, a maſſa ſanguinea per pancreas glanduloſum ſeparatus, vectus per ſuum ductum ad inteſtinum duodenum pro juvanda chyli confectione deſignatus. VII. *Bilis flava*, ſeu liquor bilioſus eſt humor naturalis, utilis conſiſtentiæ mediocris, flavus, ſumme amarus, ſalino-ſulphureus, ſeu particulis abſtergentibus, aromaticis, balſamicis acribus, oleoſis cum aqueis permixtus a maſſa ſanguinea, & ſero in hepate ſeparatus, & per ductum choledochum ad inteſtinum duodenum deportatus, qui chyli confectioni, alvinæ item excretioni deſtinatur. VIII. *Serum* eſt humor naturalis partim utilis, partim inutilis, aqueo-lixivioſus, ac plurimis ſalinis, & ſulphureis particulis refertus ex potulentis liquidis ortus, ut ſit chyli, ſanguinis & ſucci nutritii vehiculum, atque omnium fere ſecretionum naturalium materia, a natura ordinata, & quidem quoad inutilem ſui partem quum per renes & veſicam, tum per ſudorem & inſenſibilem perſpirationem e corpore excernenda. IX. *Chylus*, qui eſt humor naturalis albicans ex ingeſtis alimentis in ventriculo confectus, in inteſtina effuſus, ac per ductum thoracicum venæ ſubclaviæ inſertum ad maſſam ſanguineam delatus, eique immixtus pro generali omnium humorum & ſpirituum materia a natura ordinatus eſt. X. *Sanguis*

eſt

eſt chylus magis elaboratus, & per repetitas fermentationes, reſo- lutiones, circulationes & ſecretiones in maſſam rubicundam flui- dam converſus, per totum arterioſum & venoſum ſyſtema perenni lege circulationis in omnes corporis partes diſpenſatus, ut generalem & proximiorem humoribus & ſpiritibus materiam & pabulum ſubminiſtraret.

Ex quibus igitur nullo negotio colligitur, humorem nutritium *remotum* eſſe *chylum* & *ſanguinem*, utpote communem omnibus humoribus materiam ſuppeditantes; liquorem vero nutritium *proximiorem*, & nutritioni proxime aptum, idoneumque chylum eſſe perfectum, ultimato completum, & omnibus abſolutum numeris, ſerum nempe *chyloſum gelatinoſo-ſpirituoſum* quod modo tranſit in ſubſtantiam aliti, omnesque humani corporis partes ſive *ſolidas*, ſive *fluidas* nutrit, tuetur, atque conſervat.

His prænotatis ſtatuitur

§. XIV.

De hiſtoria chylificationis & nutritionis.

CHYLIFICATIO *eſt alimentorum aſſumptorum & maſticatorum ope motus periſtaltici ventriculi per inteſtina continuati, ac liquoris gaſtrici & ſtomachici, adjuvante quoque naturali calore ſtomachi in maſſam liquidam lacteiformem chylum dictam converſio.*

Quam ob rem ex notione chylificationis pronum utique promptumque eſt colligere, jam in ore chylificationem inchoari, ciboſque debita maſticatione præparari, eo quod alimenta oris cavo mandata non modo dentibus rite frangantur & comminuantur, verum etiam ſaliva tanquam primo ſolvente menſtruo affluente magis ſubigantur, emolliantur, & diſſolvantur, unde prima chylificationis rudimenta & diſpoſitiones in ore poni, ipſa maſticationis ratio apertius enunciat, quam ut ignorari queat.

At

At vero masticata hæc alimenta deglutitione per *œsophagum* intrusa in stomachum ab accedentibus *motu ventriculi peristaltico, ac salino-spirituosis liquoribus fermento stomachali & succo gastrico, coadjuvante quoque naturali ventriculi calore* magis magisque resolvuntur, & subtilisantur, donec in moleculas minimas, ac partes fluidas, seu in massam plus, minus liquidam, *cremorem hordei* referentem, convertuntur, quæ continuato motu peristaltico per *pylorum* sub chyli specie in intestina amandantur.

Vnde cœpta quidem modo est chylificatio, nec tamen absoluta, & ad suum perducta terminum, quum utique chylus in intestinis tenuibus, in quæ modo allisit, ab affluentibus succis *pancreatico* & *bilioso*, ac intestinali lympha etiam atque etiam diluitur, resolvitur & exaltatur, chylique partes crudiores & excrementitiæ continuata assiduæ resolutionis serie a partibus utilibus & nutritiis separantur, & præcipitantur; chylus demum plene planeque perficitur, & porro chylo ultima hic perfectio conciliatur.

Verum hic chylus licet omnibus absolutus numeris nihil in intestinis tenuibus moratur, sed in numerosissimas *primi generis venas lacteas* in intestinis gracilibus disseminatas ingressus, ad mesenterii glandulas progreditur, in quibus a nova ex vasis lymphaticis affluente lympha rursus diluitur & redditur fluidior, ut promtius & facilius ex glandulis mesenterii per *venas lacteas secundi generis* ad *cysternam, seu chyli receptaculum* deportetur, ex quo ad ductum thoracicum, & in hoc sursum tendit, & ascendit chylus ad *venam subclaviam*, quam per suum orificium valvula instructum ingressus venoso sanguini in hac vena commiscetur, & ulterius lege circulationis ad cor defertur.

Has igitur chyli vias & iter esse ad sanguinem, pluribus rationum momentis ratum, probatumque habetur; & quidem cum primis chylum ex tunicæ intestinorum villosæ osculis absorberi a vasis lacteis, colligitur, quod hæ venæ tribus vel quatuor horis post pastum in vivis animalibus dissectis lacteo

turgentes humore conſpicuæ ſint, id, quod non ſemel in cane vivo ita paſto & diſſecto meis fuit viſum oculis. Hunc vero chylum ad glandulas meſenterii, & ab his per *ſecundi generis* venas lacteas ad *commune chyli receptaculum* indeque per *ductum thoracicum* deferri in venam ſubclaviam, hujusque commiſceri ſanguini ex eo dilucidum redditur, quod non modo ductus thoracicus aliquot poſt paſtum horis (haud ſecus ac venæ lacteæ) albicante turgeat humore, verum etiam ductus plurimis valvulis inſtructus ſit, quæ chyli aſcenſum adjuvant, ejus deſcenſum omnino prohibentes.

Cauſſæ vero, chylum ex natura ſua gravem contra naturam ſurſum tendere & aſcendere, non una, ſed occurrunt plures; atque adeo chyli æque tenuitatem & fluiditatem, ac ipſum *motum inteſtinorum periſtalticum*, nec non venarum lactearum, & ductuum copioſas valvulas, quæ aſcenſum adjuvant, & chyli deſcenſum, ac recidentiam impediunt; immo ipſam *reſpirationem*, qua muſculorum abdominis continua & ſucceſſiva fit *compreſſio* & *dilatatio*, chyli progreſſui in ſanguinem valide favere, omniaque hæc mechanice, & miro partium quum *ſolidarum*, tum *liquidarum* ordine & conſenſione ſuccedere, non vano augurio, ſed evidente experientia teſte confirmatur.

At vero qua ratione chylus jam jam commixtus ſanguini in ſanguinem, & ultimum humani corporis ſuccum nutritium vertatur, ex ipſa ſanguificatione, & motus ſanguinis circulatorii ratione, quæ in partibus præcipue vitalibus corde & pulmonibus abſolvuntur, demonſtratum dabitur.

SE-

SECTIO IV.

De partibus vitalibus.

§. I.

De thorace.

Emenſa infima humani corporis regione, ejusque expeditis partibus & actionibus, ut ſurſum ad *regionem vitalem*, ſeu *thoracem*, qui partes vitales *cor* & *pulmones* in ſinu ſuo recondit, aſcenderemus, & anatomici examinis ordo, & ſanguificationis, nutritionisque ratio expoſcere videntur. Vnde mox, quid *thorax* ſit, videamus.

THORAX *ergo ea corporis pars eſt, collum inter & abdomen, ſeu collum inter & diaphragma ſita, ac coſtis munita & vertebris.*

Partes thoracis *continentes* & *contentæ* numerantur. Illæ in *communes* diviſæ & *proprias*, quarum priores, *cuticula*, *cutis pinguedo* thoracem veſtiunt; iſtæ ſunt *muſculi*, *oſſa*, *vertebræ*, quibus interna membrana *pleura* dicta arcte cohæret, & omnes thoracis partes cingit.

Remotis externis partibus, & ſterno elevato adeſt cavitas, quæ per *mediaſtinum* in dexteram & ſiniſtram dividitur, atque in hac contentæ partes, *mediaſtinum*, *cor* & *pericardium* &c. occurrunt, quæ ad ſcopum noſtrum faciunt, & penitius expendi merentur.

§. II.

De diaphragmate.

Præterquam, quod *thorax* variis muniatur muſculis, quorum aliqui incumbunt thoraci, nec tamen thoracem movent, alii vero *dilatationi* & *conſtrictioni* in reſpiratione ſerviunt; non minus vertebræ viginti quatuor pectus claudunt, & ad ſterni latera intermediæ occurrunt cartilagines,

quæ coſtas a ſterno dividunt; quibus diſſectis (prius tamen remotis muſculis) os ſternum elevatur, quo faciem verſus elevato quæcunque thoracis partes in conſpectum dantur.

DIAPHRAGMA igitur *muſculos inter internos reſpirationi deſtinatos præcipuus eſt, hinc & primum reſpirationis organum ſalutatur.*

Ea vero de cauſſa *ſeptum transverſum* dicitur, quod velut paries abdomen inter & pectus collocatum, pectus ab abdomine, & organa vitalia a naturalibus dividat.

Duos diaphragma habet muſculos, *anteriorem* unum & *ſuperiorem*, *inferiorem* alterum & *poſteriorem*, qui ſimul uniti unum expanſum corpus conſtituunt, cujus pars *anterior* altior, *poſterior* vero vertebras reſpiciens declivior exiſtit. *Parte anteriore* cum ſterno, ad latera cum coſtis ſpuriis, *poſterius* cum lumborum vertebris alligatur.

Ter vero perforatur, primum foramen *œſophago*, ſecundum dextera parte *venæ cavæ inferiori*, tertium denique *arteriæ aortæ*, *venæ azygos*, & *ductui thoracico* præbet tranſitum. A cartilagine enſiformi ortum ducit, & in utraque parte verſus lumborum vertebras circumtenditur; ejus vero magnitudinis eſt, cujus ambitus eſt medii ventris.

Figura variat, ubi coſtarum ſpuriarum extremis connectitur, rotundum, ubi vero coſtis veris & ſterno juxta cartilaginem mucronatam conjungitur, acutum eſt; denique in duos proceſſus oblongatur, quibus ſenſim acutioribus redditis, in extremas lumborum vertebras mox ſupra renes implantatur.

Dividitur diaphragma in duas partes ſeu circulos, *nerveum* unum in ſuo centro collocatum, ſuoque nomine dictum *centrum nerveum*; *carneum* alterum, a dicto centro nerveo ſenſim membranoſiorem redditum, & ad coſtarum usque ambitum continuatum; uterque circulus ad robur diaphagmatis natus eſt.

Id vero hic notandum occurrit, quod læſio inflicta plexui, ſeu *centro nerveo* per ſe lethalis ſit, & irritatus in febri-

bus

bus acutis & ardentibus hic plexus nerveus ſpirituum motus turbet, ac ex vicinia nervorum, qui ad diaphragma tendunt, & cum eo communicant, ipſæ quoque meninges lædantur, unde meningum in acutis inflammationes non ſemel natales ducunt. Vulnus vero carnoſo inflictum circulo quandoque ſanari poteſt.

Duabus præterea membranis diaphragma cingitur, *ſuperiore* una thoracem ſpectante, quæ pleuræ expanſio eſt, cui mediaſtinum & pericardium (de quibus poſtea) valide conectuntur. *Inferiore* altera, abdomen verſus tendente, quæ peritonæo ortum debet.

Arterias duas diaphragma dictas *phrænicas* ab *arteriæ magnæ* trunco, venas item dictas phrænicas duas a trunco *venæ cavæ* dependetnes obtinet.

Nervos inſignes undique per ſui ſubſtantiam ſparſos a quarta & quinta colli vertebra, & inferius a trunco intercoſtali & lumbaribus mutuatur, quorum plures in maxillarum & labiorum muſculos diſtribuuntur, hinc læſo aut percuſſo diaphragmate *riſus ſardonicus*, qui *genus convulſionis* eſt, derivatur; cui vero & vaſa lymphatica accedunt, quorum lympha diaphragma irrigatur.

Duplex diaphragmati munus aſſignatur, quorum primum eſt, ut *reſpirationis organum* ſit, dum contractione *pectoris conſtrictionem*, hinc *exſpirationem*, *dilatatione* vero *expanſionem*, hinc *inſpirationem* efficit. Secundum eſt, quum ſimul cum muſculis abdominis viſcera imi ventris comprimit, qua compreſſione ex ventriculo chylum, ex inteſtinis feces, & ex utero fœtum pellit.

§. III.

De pleura, mediaſtino & thymo.

Illico viſo diaphragmate *pleura*, *mediaſtinum* & *thymus* in conſpectum prodeunt.

PLEVRA *igitur membrana dura, valida & robusta est, quæ costis annectitur, & totam pectoris cavitatem cingit.* Duplex ex utraque parte est, seu duabus lamellis constat;

Vna *externa*, quæ cavitatem spectat, dura, sed *levis* & *lubrica* est, ne in eam pulmones impingant.

Interna, quæ costis & musculis intercostalibus alligatur, *tenuior*, sed *aspera* & *inæqualis* est, quas inter membranas non raro materia *pleuritidis* coacervatur.

Musculis *mesopleuris* dictis, costis, sterno, & vertebris, ossibus vero ope periostii alligatur, atque instructa nervis est, quibus non raro pleura pulmonibus conjungitur. Hinc inde hæc membrana perforata est, ad concedendum *æsophago*, *asperæ arteriæ*, *venæ cavæ*, *aortæ*, & *nervis vagi paris* transitum.

Arterias & venas ab *intercostalibus*, *mammariis*, *& diaphragmaticis*, nervos a *thoracis intercostalibus* mutuatur.

Vsus, munusque pleuræ est, *thoracis latera intus reddere lævia & æqualia, ne suo pulmones motu læderentur, thoracem, seu potius ejus partes circumdare, & musculos firmare intercostales, costasque sua sede, suoque continere loco, nec non partibus contentis in pectore primum velamentum præbere.*

Ex pleura *mediastinum* oritur, quod *membrana duplici donata lamella est, & sterno mox subjacet, atque pectus in duas partes secundum longitudinem partitur.*

Jam vero accurata utriusque partis divisio est, ut nulla pars alteram attingere queat, unde hæc membrana *mediastini* nomen, tanquam unam ab altera secernens partem, merito obtinuit.

Arterias & venas a *mammariis* & *azygos*, insuper venam propriam *mediastinam* dictam a *venæ cavæ* trunco, & nervos ab *octavo pari, ejusque ramo recurrente*, ac *nervis diaphragmaticis* & *stomachicis* accepit.

Mediastini munus est, *pulmonem, & thoracem dividere, ut uno pulmonum latere læso & obstructo, salvum & incolume pro conservanda*

respi-

respiratione alterum latus maneat, nec non cor cum annexo pericardio suo loco ita suspensum tenere, ne in ullam partem allidant, ac vasa tum ad ventriculum, tum ad diaphragma tendentia firmare.

Quum vero mediastinum nervos a *stomachicis* & *diaphragmaticis* habeat, ob nervorum consensum *diaphragma, mediastinum,* & *ventriculus* sæpius compatiuntur.

THYMVS *denique glandula conglomerata est, anterius in suprema thoracis parte statim infra jugulum, ubi venæ & arteriæ subclaviæ dividuntur, sita, & ad pericardium usque progreditur.*

Arterias & venas a vicinis *carotidibus* & *jugularibus*, nervos a *vago pari*, juxta carotides descendente, ac vasa lymphatica, modo ad *ductum thoracicum*, modo ad *venam subclaviam* tendentia, thymus sortitus fuit.

Munus, usus que thymi idem cum aliis conglomeratis glandulis esse videtur, *lympham nempe, serumque secernere pro aliarum partium irrigatione.*

§. IV.

De pulmonibus.

Altius jam vitalia penetramus, quando absolutis, *pleura, mediastino,* & *thymo* ad ipsos modo pulmones convertimur, quos insigne adeo & necessarium *respirationis, vitæque* organum salutamus, ut nemo ullus ex hominum cœtu pulmonibus carere queat, quum sine pulmonis organo mirifice a Summo Conditore fabricato & respirare, & vocem sonoram edere, atque circulationem sanguinis in jam natis succedere, omnem humanam fidem superare merito videatur.

PVLMO igitur *viscus parenchymatosum est, ex plurimorum vasorum & vasculorum propaginibus, asperæ scilicet arteriæ, arteriæ pulmonalis, & pulmonalis venæ, innumerorumque vasorum lymphaticorum surculis, & fibrarum nervosarum filamentis artificiosissime inter se se contextis, tandem innumeris quoque venulis racematim cohærentibus*

&

& diſpoſitis conſtans, ac cavitatem thoracis maximam partem replens, & cor muniens, ut ſit proximum reſpirationis, vitæ, vocisque organum a natura ordinatum.

Subſtantiæ teneræ, & levis, ac ſpongioſæ, mollis & viſculoſæ eſt, leviſſimis ac tenuiſſimis intertextæ membranulis, ut ſpongiæ more contrahi & dilatari poſſit.

Pulmo in thoracis cavo ſitus eſt, & pene totam pectoris cavitatem replet; atque ſuperius *faucibus* & *collo* per *aſperam arteriam*, poſterius *dorſi vertebris*, anterius *ſterno* per *mediaſtinum*, aliquando ad latera pleuræ alligatur.

In duas partes hoc parenchyma *dexteram* & *ſiniſtram* ope mediaſtini dividitur, quæ lobi majores nuncupantur, hinc non *pulmo*, ſed *pulmones* uſitata voce plerumque exprimuntur.

Vterque lobus major rurſus per ſuas fiſſuras in duos, tres vel quatuor lobulos, ſeu minores lobos diſtinguitur, qui margine anteriore poſteriora verſus excurrunt.

Pulmones inflati aere & expanſi ſeorſim ſpectati *ungulam pedis equi*, conjunctim ſumpti *ungulam bubulam* exacte referunt, pulmo namque a parte exteriore *gibbus*, ab interiore cavus eſt, colore vero in fœtu eſt *rubeus*, nobis vero in lucem editis ſubflavus, ſeu ſubrubro-pallidus eſt.

Porro hi pulmonum lobi mera ferme veſicularum congeries ſunt, innumeris ſpatiolis, cavernulis, & alveolis, quibus aeris aditus patet & abitus, conſpicui, ita, ut aer ab una in alteram cavernulam commeet & veſiculam, hinc attolli & comprimi in favorem reſpirationis pulmo poſſit. *Inſpirando* vero aer attrahitur, cui per aſperam arteriam in bronchia, & ex his in veſiculas via patet, qui idem aer per easdem vias *exſpirando* repellitur & exſpiratur.

Vaſa pulmones numerant *communia*, & *propria*. Illa univerſo œconomiæ animalis bono deſtinata ſunt, arteria nempe & vena *pulmonalis*, quarum prior e dextero cordis ventriculo ſanguinem in pulmones diſtribuit, poſterior eundem recipit, &

& in ſiniſtrum cordis ventriculum revehit, qui inde per *arteriam aortam* in omnes corporis partes diſpenſatur.

Arteria vero pulmonum propria *bronchialis* eſt, unica quidem, ſed in multos diviſa ſurculos, & ſanguinem per bronchia in pulmones pro iis nutriendis vehit.

Hujus comes vena *branchialis* eſt, ab intercoſtalibus vaſis prognata, quæ denuo ſanguinem ad fontem, ſeu cor reducit. Nervos iis tribuit & *thoracis plexus*, & *parvagum*, ac *intercoſtale*, vaſa lymphatica externa pulmonum tunica, quæ in pauciores ductus abeuntia ductui thoracico inſeruntur.

§. V.

De uſu & officio pulmonum.

Pulmones non modo ceu ſumme neceſſarium *reſpirationis vitæ* & *vocis* inſtrumentum ſuſpicere, verum etiam tanquam ſanguificationis, ſeu chyli mutandi in ſanguinem præcipuum organum admirari oportet, id, quod mirabilis pulmonum compages, perennis in- & exſpiratio aeris, & perpetuus pulmonum motus ſat, ſuperque loquuntur.

Siquidem chylus per ductum *thoracicum* in *venam* immiſſus *ſubclaviam*, in eaque commixtus ſanguini, illico per venam cavam in dextrum cordis ventriculum, nihilque hic moratus per minutiſſimos pulmonum receſſus, miroſque arteriarum & venarum plexus fertur; atque adeo in primis ſanguis chyloſus motu cordis per *arteriam pulmonalem* mox in pulmones impellitur, ac in horum ſubſtantia particulis ſubtiliſſimis *aereo-æthereis* (quæ per veſiculas, arterias & venas ipſum ſubeunt ſanguinem) imbuitur, chyoſæ hinc ſanguinis partes & ipſe ſanguis magis atteruntur, immutantur, reſolvuntur, & ſubtiliſantur, quæ chyli attritiones, reſolutiones, immutationes, & volatiliſationes, quum in pulmonibus præcipue, una quaſi ſerie continuent, chyloſas ſanguinis partes non tenuiores modo indeſinenter reddi, &

fluidiores, verum etiam converti in ſanguinem, & ultimatum corporis ſuccum nutritium, *ſerum* nempe *chyloſum*, *gelatinoſo-ſpirituoſum*, ex ipſa *ſolidorum* & *fluidorum* indole, eorumque mirabili motuum & actionum ordine & conſenſione palam commonſtratur.

Quam ob rem in pulmonibus, & admiranda pulmonum ſubſtantia chylus non ſolum intime commiſcetur vitali purpuræ, lympha diluitur & attenuatur, atque inſpiratis tenuiſſimis *aereo-æthereis* particulis mirum dictu ſubtiliſatur, in fluore & calore conſervatur, verum etiam rubedine & rubicundo colore induitur, & exornatur, ac pro nutriendis, conſervandisque omnibus humani corporis partibus (quas lege circuli ſanguinis permeat) aptus, idoneusque redditur.

Præterea ſonoræ edendæ voci, quæ per varias exſpirati aeris in *larynge* & *faucibus* factas refractiones & alliſiones, varioque linguæ motu & moderamine producitur, aerem ſuum addere ſymbolum ipſus Medicinæ Parens LIB. IV. de CORD. *text. 30.* aſſeruit, dum his verbis ait: *e pulmonibus vocem edimus*, id quod animalia pulmonibus carentia comprobant, quæ ſingula elinguia perpetuo voce privantur.

Denique & id addendum erit, non ſolum inſpiratas in pulmones ſubtiliſſimas particulas *aereo-æthereas* ſpiritui vitali ſanguinis materiam (ex qua mixta cum partibus maſſæ ſanguineæ tenuioribus *ſalino-ſulphureis* magis invicem reſolutis & exaltatis ſpiritus prodit) ſuggerere, verum etiam pulmonum viſcus *reſpirationis* eſſe organum, quo producitur reſpiratio (quæ actio eſt *inſpiratione* & *exſpiratione* elicita) atque a motu muſculorum thoracis, & diaphragmatis, concurrentibus ipſis pulmonum fibris ſuos natales ducit.

§. VI.

§. VI.
De aſpera arteria.

Aliud vas modo ceu canalem pulmonibus proprium, qui aeri in pulmones aditum pandit, natura deſtinavit, quod *aſpera arteria* nuncupatur.

HÆC IGITVR ARTERIA, aliis *trachea dicta canalis, ſeu fiſtula oblonga eſt, quæ a faucibus orta, & ad pulmones extenſa in ramos, quos bronchia nominant, in primis diviſa eſt, quæ bronchia rurſus in utroque pulmone in innumeros diſtributa ramulos in omnes pulmonum veſiculas aerem diſpenſant; levis intus & oblinita humore, foris aſpera eſt, inde etiam aſpera arteria nominatur.*

Atque adeo hæc arteria ille canalis eſt, per quem ex ore & faucibus aer *inſpirando* pulmones ſubit, ac per diviſos ſuos multiplices ramulos in minimas pulmonum veſiculas terminatur, qui idem aer per easdem vias, quibus pulmones ingreſſus eſt, redit, & *exſpirando* foras redditur.

In duas vero dividitur partes, *laryngem* nempe, ſeu *arteriæ caput*, & in *bronchum*, ſeu *laryngis continuationem.* Sita eſt arteria in anteriore colli parte, qua incumbit œſophago, atque pulmones ingreſſa ad quartam thoracis vertebram in duos ſeparatur ramos, quorum unus *dexterum*, *ſiniſtrum* alter pulmonum intrat lobum, qui rami rurſus ſubdiviſi in minutos adeo abeunt ramulos, donec tandem in apertas veſiculas terminentur, ac denique in pulmonum ſuperficiem deſinant.

Ex plurimis trachea cartilagineis conſtruitur annulis, qui in ſuperficie colligantur, ne tanquam duri unquam concidant, ſed perpetuo pateant, ut hac patente porta aer libere in pulmones ingredi, & egredi poſſet. Nihilo tamen minus ob membranulas muſculoſas cartilagineis annulis interjectas arteria partim conſtringi, partimque dilatari poteſt, dilatationis enim & conſtrictionis cauſſa ſunt annuli ex una parte cartilaginei,

ex altera parte membranaceo-musculosi, qui omnino asperæ arteriæ contractioni & dilatationi favent, suasque suppetias ferunt. Ramuli vero huius arteriæ jam jam ingressi pulmones non amplius semilunares & cartilaginei sunt, sed varias formas *rotundas* nempe *triangulares* & *quadratas* induunt, & quo altius pulmonum viscus penetrarunt, eo minus duri, sed molles & membranacei arteriarum & venularum speciem referentes, pulmonumque vesiculis continui evadunt.

Duplici arteria hæc membrana vestitur, *externa* una & tenui, quæ arcte connexa cum ligamentis cartilagineis a pleura ortum trahit.

Interna altera & crassiore, ac firmiore, quæ exquisite sensibilis est, & molesta quæque percipit.

Arterias aspera arteria *carotidibus*, venas *jugularibus externis*, nervos *sexti paris* debet *recurrentibus*.

Vsus ergo tracheæ est, *inspirando*, aerem per fistulam in pulmones recipere, cujus ope chylus sanguini in pulmonibus intime commiscetur, pulmonum vesiculæ inflantur, pulmones dilatatur, ut per eos sanguis commeare, ac ab uno ad alterum cordis ventriculum transire possit. Item ad edendam vocem facit, unde ab HIPPOCRATE *instrumentum vocale* arteria salutatur. Demum expirationis ope per tracheam aer expellitur, qua expulsione humiditates inutiles & excrementitiæ, præsertim in *catarrho*, *tussi*, *phtysi* &c. per os excernuntur, & amandantur e pectore.

Sed nobis modo ad laryngem & cartilagines asperæ arteriæ redeundum est. *Larynx* ergo arteriæ caput est, in viris magis, quam fœminis in medio colli commodioris edendæ vocis gratia protuberat, ac figuræ circularis, antica parte paulo prominentis, postica vero non nihil depressæ est, ut gulæ, seu œsophago in deglutitione cederet.

Ætatis vero, substantiæ & sexus caussa magnitudo *laryngis* variat, hinc in junioribus angustior, inde *vox acutior*, in adultioribus est amplior, unde *vox gravior* derivatur. Quin-

Quinque larynx cartilagines numerat, ſuas itidem membranas, muſculos, vaſa & glandulas.

Prima cartilago *tyroides*, ſeu *ſcutiformis* dicitur, intus *cava*, foris *gibboſa* eſt, prominet in virorum collis, unde nomen *pomi Adami* obtinuit. Secunda *cricoides*, ſeu *annularis* vocatur, a ſpecie, quam annulus refert, ſic nuncupata. Tertia & quarta *arytænoides* ſeu *gutturniformes* nuncupantur, cum ſuis proceſſibus ſibi mutuo junctis ſpeciem *gutturnii*, ſeu anguſtioris ollarum colli repræſentantes.

Quinta denique cartilago *Epiglotis* eſt, ſita ad radicem linguæ, ſingularis hæc cartilago mollis *glotidi*, ſeu *tracheæ rimulæ* incumbit, & figuram *foliorum hederæ* in vernacula das Klee-Blat exhibet.

Hæc vero *epiglotis* laryngis operculum eſt, a quo rimula, ſeu glotis tegitur, ne & in deglutiendo cibo, potuve aliquid in aſperam arteriam cum metu ſuffocationis irruat, prohibet, atque adeo tanquam ſuper pontem, dum ingeruntur alimenta, & in gulam immittuntur, tranſeunt.

Porro ſerviunt laryngi novem muſculi, qui cartilagines movent, ut motu voluntario ad producendam vocem ad lubitum flecti & moveri cartilagines poſſint.

Atque adeo larynx modo dictis conſtat partibus, quibus moveatur, & ut ſuo rite fungatur munere, vocemque proferendam adjuvet, humectari & irrigari debet, unde natura eidem de variis glandulis (quarum duæ magis conſpicuæ & majores altiorem laryngis ſedem ad latera uvulæ collocatæ, *tonſillæ*, & *amygdalæ* dictæ, aliæ rurſum & quidem magnæ inferiori *laryngis* parti contiguæ ſunt) proſpexit, ut earum ſero *larynx* cum ſuis partibus muſculis nempe & cartilaginibus irrigari, ut commodius moveri, & ſonoram proferre vocem poſſet.

Vaſa arterioſa *carotidis* ramo majori, venoſa *externæ jugulari*, nervos *vocales* dictos motui muſculorum dicatos ramo

ſexti paris larynx, muſculi ejus, & cartilagines in acceptis referunt.

Vſus laryngis eſt, *proprium vocis eſſe organum*, quæ producitur, dum aer inſpiratus pulmonum motu rurſus per aſperam arteriam exſpirando ad *laryngem* repellitur, in qua, dum ad ejus rimulam reliqua parte anguſtiorem pervenit, ſonum efficit, qui in faucibus ad varias oris partes alliſus, linguæ motu etiam atque etiam diverſimode rarefactus, alteratusque articulatam vocem conſtituit.

Præterea larynx, quoties eſſe opus videbitur, cohibendo ſpiritui ſervit, qua ratione *alvus*, *uterus*, *veſica urinaria* neceſſitate exigente promptius exonerantur; ac corporis partibus in ſubeundis laboribus, tollendis ponderibus, aliisque molliendis fortioribus operibus, robur viresque conciliantur.

§. VII.

De pericardio.

Ad fontem vitæ noſtræ appropinquamus, quando jam in cordis domicilio, nempe *pericardio* conſiſtimus.

Antequam igitur cor propius accedamus, ejus domicilium, ſeu *capſulam* illam & *arculam*, quæ cor continet, munit, atque tuetur, altius inſpicere, & mentis ſcrutari acie e re fuerit.

Quam ob rem PERICARDIVM *membrana valida, & cordis involucrum eſt, quod cor circumdat, & cingit, idque ceu arcula includit, tueturque.*

Duplici *pericardium* membrana inſtructum eſt, quarum prima, ſeu *externa* ab ipſa mediaſtini duplicatura egreditur, altera *interna* a tunicis vaſa communia veſtientibus originem trahit.

Quum autem undique cor circumdet, cordis figuram æmulatur, majus tamen ipſo corde eſt, neque nimis arcte cordi adhæ-

adhæret, sed sollicita naturæ providentia tantum a corde distat, quantum humor contentus, liberque motus cordis exigunt.

Externe per fibras *mediastino*, superius *venis* & *arteriis* e corde exeuntibus (unde pluribus in locis perforatum est) inferius *centro*, seu *parti tendinosæ* diaphragmatis alligatur. Externa capsulæ superficies *aspera* & *inæqualis*, interna vero *æqualis* & *lubrica* est. Vasa sanguifera, arterias nempe & venas superius a *mediastinis* & *diaphragmaticis* superioribus, inferius a *phrænicis*, nervos autem a *pari vago* sibi vicino mutuatur.

Humor vero, qui in pericardio natat, tenuis, insipidus, & non nihil rubicundus est, qui a quibusdam glandulis, certisque vasis lymphaticis separatus eum in finem a natura destinatur, ut cor, ne exsiccetur, irrigaret, lubricum redderet, qua irrigatione motus cordis adjuvatur.

Vsus vero pericardii est, *cordis esse domicilium, & munimentum, illud fovere, & ab omnibus tueri injuriis, præcipue vero a frigore inspirati aeris, qui si nimis pulmones subiret, cor facile (nisi munitum pericardio) labem contrahere, & aura frigidiore violari posset.*

§. VIII.
De Corde.

Avulso modo *pericardio* jam cor, vitæ sedem, & partem omnium humani corporis partium facile principem, primum vivens, & ultimum moriens, vitæ fontem, & actionum vitalium regiam, ac omnium denique œconomiæ animalis functionum principium & originem momentis suis ponderare, & ad rationis leges revocare, ipsius anatomes jubemur legibus.

Atque adeo cor in pectoris medio tanquam reliquorum viscerum centro situm est, munitumque suo pericardio, quo ab omnibus defenderetur injuriis, ac tutius, atque securius sui corporis membris dominaretur.

Cor

Cor inverſum *figuram pyramidalem* refert, ex ſuperiore enim ampliore baſi, qua vaſis alligatur ſanguiferis, ſenſim in turbatum mucronem deſinit, qui liber paulatim in anteriora ſiniſtrorſum infra lævam papillam exporrigitur.

Magnitudo quidem cordis pro ratione *ætatis* & *temperamenti* differt, naturæ tamen ordine *ſex transverſorum digitorum* longitudinem, & *quaternorum latitudinem* æquat, licet in audacioribus & calidioribus majus quidem, ſed ſimul eſſe mollius obſervetur. Quid igitur cor ſit, modo definiemus.

COR itaque *pars corporis princeps carnoſa, & ſine tendine muſculoſa eſt, in pectore duos inter pulmonum lobos ſita, reciproca ſui dilatatione & conſtrictione, ſeu ſyſtole & diaſtole, ſanguinem in omnes corporis partes diſtribuens, & ab omnibus corporis partibus rurſus recipiens.*

Tametſi vero cor unum numero ſit, in duas tamen dividitur partes, *ſuperiorem* nempe & *latiorem baſin* dictam, in *inferiorem* & *anguſtiorem*, quæ in mucronem acuminata *conus*, ſeu *apex* nominatur.

Muſcularis vero ejus fabrica eſt, ex diverſis ſcilicet fibris carneis ſpiralibus & longitudinalibus conſtans mirum in modum, tantaque unitis coadunatisque elegantia, ut duas efforment cavitates; quas *ventriculos cordis* nuncupant, forma tamen differentes, nam dexter ventriculus *latior*, ſed *brevior* eſt, ne attingat extremum cordis, ſiniſter vero ventriculus *longior* eſt, & pariete craſſiore velatur.

Interne vero ventriculi membrana quidem tenui, forti tamen & valida rore & humore irrigata inveſtiuntur, qui per infinitos porulos in cordis ſyſtole influit.

At vero hi ventriculi (aliis etiam *ſinus*, *ſpecus*, *antra* & *cordis thalami* dicti) corde a baſe ad mucronem lege anatomes ſecto & aperto, interne inæquales omnino apparent, multis ſunt conſpicui cavernulis, pluribus ſinubus, anfractibus & ſulcis,

cis, unde quædam exſurgunt muſculoſæ eminentiæ, quarum actio in cordis *ſyſtole* ſanguinis expulſionem & reſolutionem adjuvat.

Ne vero nimis hiarent, & dilatarentur hi ventriculi, quibusdam transverſis tendinoſis & craſſioribus funibus in dextero cordis ventriculo eorum parietes natura colligavit, quo ventriculorum latera facile quidem conſtringi, difficilius autem ſuos egredi limites poſſent.

Licet vero ventriculi cordis fluidum ſanguinem recipiant, cor tamen vaſis propriis irrigatur, unde venam a *cava*, arterias ab *aorta* accipit, quas vel ex eo *coronarias* nominamus, quod coronæ more extimas cordis partes excurrant.

Nervos a *pari vago intercoſtali* ſortitur plurimos, a vaſis vero ſuis lymphaticis cor irrigatur.

Ad cordis baſin utrinque duæ appendices ſunt conſpicuæ, quæ *auriculæ* nuncupantur.

Hæ igitur auriculæ *corpora nervoſa*, *fibroſa*, *carnea & muſculoſa ſunt*, *cavitate avellanæ cavo ſimilia*, *atque figuram marſupii repræſentant.*

Auricularum dextera major venæ cavæ oſtio, ſiniſtra minor orificio venæ pulmonalis unitur, durior hæc eſt, firmior, & non nihil carnoſior, quia in illam ſanguis refluus aere imbutus celeriore motu agitatur.

Ejusdem auriculæ cum corde ſunt ſubſtantiæ, iisdemque fibris duplici contrario ordine excurrentibus donantur; tendo enim in baſe cordis cum auriculis communicat, in quo auriculæ tanquam fulcro corroborantur.

In cavitate auricularum plures muſculoſæ & validæ fibræ exiſtunt, quarum adminiculo auriculæ conſtrictæ a venis refluum ſanguinem in cordis ventriculos exprimunt.

Contrarium vero auriculæ cum corde motum obſervant, enim vero quum cordis ventriculi *per diaſtolen* dilatantur, illo momento auriculæ per *ſyſtolen* conſtringuntur; ventriculis

vero cordis per *ſyſtolen* contractis, auriculæ per *diaſtolen* dilatantur.

Vſus vero auricularum eſt, *ſanguinem, ne nimia & repentina in cor irruptione id ſuffocet, amodo cohibere, ac ſanguinem cum chylo, chylumque commiſcere cum ſanguine.*

Ceterum ventriculi cordis quatuor majoris momenti vaſis ſanguiferis pollent, tanquam totidem præcipuis canalibus, per quos omnis univerſi corporis ſanguis ad cor ceu fontem ſuum (haud ſecus ac ad mare ſuum flumina) refluit, & a corde in omnes corporis partes per ſua vaſa effunditur & diſpenſatur. Ocyus ad hæc vaſa divertemus.

§. IX.

De venis & arteriis.

Quemadmodum venæ & arteriæ ſua compage differunt, ita hæc vaſa ad diverſa munera deſtinantur.

ARTERIÆ quippe ex *quatuor tunicis, ſeu membranis invicem ſibi conjunctis producuntur*, quarum externa ceu involucrum, exterius *tenuis* & *nervea*, interius retiformi vaſculorum plexu referta; ſecunda oppido *glanduloſa*; tertia *muſculoſa* e fibris annularibus, ſeu transverſis contexta pluribus, quarta denique interna denſa & *nervoſa* fibris rectis & longitudinalibus conſtat, *ad id deſtinatæ, ut ſanguinem e corde ſuſceptum, & fervidum in omnes corporis partes diſpenſarent.*

Venæ vero, *quæ ſanguinem minus ſpirituoſum e ſingulis corporis partibus ad cor revehunt, debiliores tubuli ſeu vaſa ſunt, minusque firma compage inſtructa, & quatuor munita tunicis;* quarum prima externa nempe *nervea* eſt, ſecunda *vaſculoſa*, tertia *glanduloſa*, quarta demum *muſculoſa* fibris intertexta annularibus.

Ne vero ſanguis venas aliquando ingreſſus, eadem via, qua progreditur, rediret & recideret, vaſorum orificia membra-

bra-

branulis, quæ *valvulæ* dicuntur, natura munivit, quibus sanguinis in vasis suis progressus juvatur, & regressus impeditur.

Sed a valvulis ad arterias & venas redeamus, quas brevibus adumbrasse juverit.

ARTERIA igitur ex corde suos mutuatur natales, uno eodemque trunco in innumeros divisa ramos, qui in corporis partes disseminantur, ac a diversa ratione partium, quas transeunt, diversa sortiuntur nomina.

Duo ergo cum primis præcipua arteriarum numerantur genera, arteria scilicet *aorta*, seu *magna*, & arteria *pulmonalis*, seu *venosa*.

ARTERIA PVLMONALIS e dextero cordis ventriculo egreditur, & tribus triangularibus *sigmoidalibus* & *semilunaribus* dictis firmata valvulis per totam pulmonum substantiam ad extremos usque terminos exporrigitur, sanguinemque e dextero cordis ventriculo susceptum in totum pulmonum viscus pro majori attritione & resolutione dispensat, quem resolutum satis & attenuatum *vena pulmonalis* recipit, atque per *sinistram cordis auriculam* in *sinistrum cordis ventriculum* revehit, ut posthac per *arteriam aortam*, mox delineandam, in totum dispensetur corpus. Atque sola hæc arteria oritur ex dextero cordis ventriculo, unde primaria inter & præcipua quatuor vasa sanguifera numeratur.

Ad arteriam *aortam*, seu *magnam* recto modo ordine progredimur, quæ uno indiviso trunco e sinistro cordis ventriculo suo tanquam principio prodit, atque suis ramis & propaginibus in totum sparsa corpus, pro diversitate partium, quas incolit, diverso compellatur nomine. At vero, ut diximus, *indivisa* e corde egreditur, ac quatuor circiter digitos sursum lata in duos dividitur truncos, quorum major deorsum, ac sinistrum latus versus reflectitur, & sic reflexus *aorta descendens* nuncupatur.

Alter vero truncus paulo dextrorſum vergens recta ſurſum fertur, & vel ideo *arteria aſcendens* nominatur.

Aſcendentem excipit *ateria ſubclavia ſiniſtra* deſcendentis trunci ſoboles, ad quam ex trunco aortæ *arteria carotis ſiniſtræ* egreditur, ubi vero non nihil aſcendit aorta, arteria *carotis dextera*, & *ſubclavia dextera* exoriuntur, quæ duo arteriarum genera ſuos ſurculos, ſuasque propagines in omnes thoracis partes diſtribuunt.

A ſubclavia arteriæ *cervicales* & *vertebrales* ad caput ſurſum tendentes procedunt, unde quatuor arteriæ, duæ majores *carotides*, & duæ minores *cervicales*, ſeu *vertebrales* dictæ per collum ad caput aſcendunt.

Carotides ſeu capitales rurſus in *internas* & *externas* dividuntur, quæ in omnes capitis partes ſuos ramos, ſuasque propagines ſpargunt.

Præfata arteria ſubclavia pectore egreſſa axillaris nuncupatur, quæ itidem in ramos *internos* & *externos* diviſa rurſus in innumeros in ſcapulis & brachiis excurrit ſurculos.

Debitum ſervaturi ordinem a trunco *aortæ aſcendente* ad truncum *aortæ deſcendentem* progredimur, qui cum primis in bronchia, & aſperam arteriam, poſtea ad *coſtas* & *lumbos*, *diaphragma*, *ventriculum*, *omentum*, *inteſtina*, & reliqua infimi ventris viſcera, ac in artus ſuos effundit ramos, & ramificationes, quæ pro ratione partis, aut viſceris, quod inveſtiunt, & cujus propagines ſunt, diverſa nomina acquirunt. Vnde quæ ventriculum & omentum perreptant vaſa, *gaſtrica*, ſeu *epiploica*, quæ inteſtinum duodenum *duodena*, quæ pancreas excurrunt, *pancreatica* &c. nominantur.

Ab arteriis ad venas deſcendimus, quarum duæ excellunt, vena nempe *cava*, & vena *portæ*.

Truncus *venæ cavæ* e dextero cordis ventriculo originem ſumit, cui ad ſanguinem in cor infundendum inſeritur cava,

quæ

quæ nondum egreſſa pericardio in *ſuperiorem* & *inferiorem* truncum dividitur.

Prior ad jugulum usque extenditur, tum vero ad latus dexterum ex eo vena inſignis *azygos* dicta egreditur, quæ ad *coſtas*, *vertebras*, *bronchia*, *mediaſtinum*, *pericardium* &c. innumeros ſpargit ramos.

Atque adeo truncus *venæ cavæ* ad jugulum in duas *venas ſubclavias* dictas dividitur, quæ non modo in thoracem, & caput, ſed & os, artusque ſuperiores innumeros ſuos ramos, totidemque propagines ſpargunt.

Vena vero cava *inferior* & *deſcendens* perforato pericardio tota per thoracis cavum ad diaphragma, cui tranſeundo utrinque inſignem ramum largitur, ſe ſe extendit, dein in ſimam partem hepatis, ad lumborum vertebras, & emulgentes, reliquasque abdominis partes multis ramis, ſicut aorta deſcendens, diſſeminatur.

Porro jam ad diviſionem *venæ portæ*, quæ abdomen non egreditur, vocamur; hæc igitur vena in abdomine in innumeros abit ramos, quorum hi per hepar, iſti per lienem, alii per alias abdominis excurrunt partes.

Truncus vero ipſus oppido brevis eſt, & egreſſus ex hepate verſus deorſum reflectitur. Id tamen notare juverit, ramos *venæ portæ* ſparſos in hepate arteriarum munere fungi, quando cum ſanguine *bilis materiam alcalino-ſulphuream* in hepate ſeparandam advehunt.

Quam ob rem truncus *venæ portæ* in hepate in duos diſpeſcitur majores ramos, in hepatis expanſos cavo. Ramus vero minor ad gibbam hepatis partem progreditur; hinc totus *venæ portæ* truncus in quinque abit ramos, qui in plures ſemper minores & minores abeunt ramificationes totum hepatis parenchyma perreptantes.

Inter ramos *venæ portæ* ita diviſos, & ſanguinem ad truncum revehentes *cyſticæ gemellæ* ſunt extenſæ per fellis veſiculam,

 qui-

quibus ſuccedit ſtomachica *gaſtrica* dicta, quæ per ſuperiorem ventriculi partem diſtribuitur.

Rurſus modo truncus in duos diſpeſcitur ramos, *dexterum* & *ſiniſtrum*, hic ad lienem tendit, & in venas hæmorrhoidales *internam* & *externam* exporrigitur, quæ non ſemel in inteſtino recto intumeſcunt.

Hic denique truncus ſplenicus itidem in *ſuperiorem* & *inferiorem* dividitur; inferior propagines in omentum *epiploicas* dictas, ac *gaſtro-epiploicas*, ſuperior ramum ad ventriculum *vas breve* dictum emittit.

Ramus dexter *venæ portæ* in omentum ſurculum, *epiploicum* nempe dexterum, & *gaſtrico* ſeu ſtomachico-*epiploicum* dexterum, dein in duodenum propagines expandit, quæ rurſus in *pancreas* & *omentum* diſſeminantur. Tandem ramus *venæ portæ* dexter in tres venas majores *meſeraicas* per meſenterium inteſtina verſus excurrentes diſſecatur, quæ in ramos minores & minores diviſæ undique per inteſtinorum tunicas diſperguntur.

Nervi vero jam paſſim hinc inde expreſſi ad unum omnes tum ex *cerebro*, tum *ſpina dorſi* ſuos natales ſortiuntur.

Inſpectis modo partibus vitalibus, corde nempe & pulmonibus, venis item & arteriis difficile haud erit, partium vitalium functiones *circulum* ſcilicet *ſanguinis*, *ſanguificationem*, & *nutritionem* vivis exprimere vocibus. Vnde ſit

§. X.

De circulatione ſanguinis, ſanguificatione & nutritione.

Profecto tam elegantem & admirandam humani cordis fabricam Sapientiſſimus rerum omnium Conditor eum cum primis in finem conſtruxit, ut dulcis ille & rubicundus animantium ros & liquor (cui nomen ſanguinis eſt) in corde conficeretur, atque perenni motu & circulo pro *nutri-*

tionis,

tionis, *vitæ* & *sanitatis* beneficio singulas corporis partes permearet, Supremus ille Sator sapientissime instituit, roremque illum rubicundum tanquam *perpetuum* humani corporis *mobile* ordinavit.

At vero latuit, quo fato, nescio, circulus sanguinis GALENVM, & Veteres Medicinæ Optimates, quibus tametsi hæc sanguinis circulatio manibus potius, quam animi sensis tenenda fuisset, sanguinem tamen circulare eo usque ivere inficias, donec solertissimus HARVÆVS cum nunquam sui nominis intermoritura gloria perennem hunc vitalis purpuræ circuitum adinvenisset, orbique antehac incognitum detexisset arcanum, cujus ergo soli solertiæ, industriæque saluberrimus circulus sanguinis in acceptis referendus erit. Sequens vero circuli sanguinis systema ex generali Medicorum decreto esse existimatur.

Chylus in ventriculo confectus, & ad intestina concurrente horum *motu peristaltico* delatus, qua cœpit, via pergit, cœptumque iter per intestinorum *vasa lactea*, *receptaculum chyli*, & *ductum thoracicum* prosequitur, a quo in *venam subclaviam*, & ad hujus venæ sanguinem deportatur. A vena subclavia sanguis cum suo chylo suscepto ad truncum *venæ cavæ*, e vena cava, dum cor motu *diastoles* dilatatur, infunditur in *dexterum cordis ventriculum*; dum vero cor motu *systoles* contrahitur, mox sanguis per arteriam *pulmonalem* ad pulmones vehitur. In pulmonibus vero cum particulis *aereo-æthereis* inspiratione attractis commixtus, magisque alteratus & resolutus excipitur a venæ pulmonalis surculis, & remittitur ad sinistram cordis auriculam; hinc sub *diastole* illico in eundem sinistrum ventriculum; ac mox insequente cordis *systole* rursus sanguis expellitur, & in *aortam* immittitur, quæ sursum, deorsumque per innumeras sui ramificationes & propagines quum in ordine ad corporis partes nutriendas, tum ad depuranda viscera, & juvandas excretiones, in totum corpus dispensat sanguinem.

San-

Sanguis vero a partium nutritione reſiduus, & ſuperſtes a partium depuratione a venis capillaribus minimis reſorbetur, & a vaſis minoribus ad majora, a majoribus rurſus ad truncum *venæ cavæ*, hinc denuo in dexteram cordis auriculam, & ventriculum, unde egreſſus erat, redit, & revehitur, a quo rurſum ad pulmones, & ſic porro, ut ſupra diximus, circulatur.

Ex quo clarum, perſpicuumque conficitur: duplicem contrarium cordis motum *ſyſtoles* nempe & *diaſtoles*, ſeu *conſtrictionis* & *dilatationis* ad circulandum ſanguinem cum primis concurrere, qua motuum ratione excipitur ſanguis & exprimitur. corde, non uno tamen, eodemque momento temporis, ſed per intervalla unus ſuccedit alteri motus, ut diſpari licet actione *ſyſtoles* & *diaſtoles*, in eundem tamen finem cœptus, continuatusque produceretur motus & circulus ſanguinis.

His prænotatis haud difficile eſt colligere, munus, officiumque cordis eſſe, ut eo circulus ſanguinis, tum *progreſſivus* tum *regreſſivus* ejus motus, itus & reditus ope *conſtrictionis* & *dilatationis* perficiantur, & juventur; a venis namque ex omnibus corporis partibus ſanguis receptus cordi redditur, per arterias vero omnibus corporis partibus a corde tribuitur, & diſpenſatur.

Ex quibus igitur palam eſt, ipſum ſanguificare ſanguinem, chylumque converti in vitalem purpuram non tantum ſanguinis motu *inteſtino reſolutorio*, quo omnes chyli partes per ſuas vias ad ſanguinem delatæ intime ſubiguntur, reſolvuntur, & ſubtiliſantur, verum etiam motu *progreſſivo* ad humani corporis partes & viſcera velut artificioſiſſima cribra & colatoria vehuntur, quibus partes inutiles & excrementitiæ a partibus utilibus & nutritiis colantur & ſeparantur, ac per ſua loca excretoria e corpore excernuntur.

Atque adeo motus utriusque continuatione intima chyli oritur reſolutio & depuratio, chylus faceſſit in ſanguinem & ſuccum nutritium, idque inviolatis mechaniſmi legibus, per

cer-

certos nempe & statutos *solidorum* & *fluidorum* motus, mirosque motuum ordines & consensiones, atque ab his prognatas humorum resolutiones, colationes & excretiones, aliosque per viscera, viscerumque multivarios tubulos & porulos humores alterandi & separandi modos, eum quidem in modum, ut *circulationis sanguinis* caussas *efficientes* esse, ipsos motus sanguinis intestinum *resolutorium*, & *progressivum*, ac *sistoles* & *diastoles*; *instrumentales* vero in primis cor & pulmones, ac arteriarum, venarumque motus & impulsus, generali Medicorum calculo nobis persuasissimum sit.

Qua vero ratione humani corporis partes quum *solidæ*, tum *fluidæ*, quarum substantia magnam partem jugi calore, continuo corporis motu, & excretionum successione deperditur, nutriantur, & deperditum reparetur, ac sanguis, seu potius sanguinis succus *chyloso-nutritius*, & *gelatinoso-spirituosus* in substantiam aliti, tanquam ultimum nutritionis terminum abeat, & in carnem convertatur, adeoque deperditum, amissumque restituatur, ex ipso perenni sanguinis circulo, quo non modo chylus tenuior semper & subtilior, immo subtilissimus redditur, verum etiam lege & ordine circulationis per arterias omnes subit partium internarum poros & tubulos, a quibus secretus cum lympha ad fibras allidit, iis apponitur & accrescit, atque in unam substantiam transit, ex ipso inquam perenni sanguinis motu & circuitu difficili haud opera colligi potest.

Vnde nutritionem eo modo, quo sanguificatio, seu chyli in sanguinem conversio solebat, succedere, legibus nempe mechanicis, per certos *solidorum* & *fluidorum* motus, motuumque leges & ordines &c. a nemine ullo vocari in dubium, existimemus.

His jam penitius inspectis non modo de *sanguificationis, respirationis* & *nutritionis* historia, quibus existimus, vivimus & conservamur, apertius constare, verum etiam de admiranda Sum-

mi Numinis existentia, providentia & sapientia, in æternum ejurati Numinis rei Athei dedecus & probrum, certiores nos reddi, quisque in plena veritatis meridie clarissime perspiciet, & nemo ullus in dubium vocare attentabit.

§. XI.

De humani corporis excretionibus, alvina nempe, diapnoica & sudorifera, ac diuretica per urinæ fluxum succedente.

Læsis his quovis modo excretionibus, *alvinis*, *diapnoicis*, & *diureticis* actiones *naturales*, *vitales* & *animales* plus minus læsum iri, & salutem humani corporis periclitari, pararique corpus ad morbos (quum retentis in corpore harum excretionum particulis inutilibus & excrementitiis partes & *solidæ*, fibræ, nervi & ex his congesta viscera, ac *fluidæ*, *sanguis*, *serum*, *lympha*, & *spiritus* inevitabili quadam labe contaminentur) extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur.

Quemadmodum igitur prorsus diversa sunt, quæ ingeruntur, quippe alia *crassa*, *liquida*, *solida*, *viscida*, *salsa*, *acida*, *sulphurea*, *pinguia* &c. ita etiam excretiones, & materia excernenda differunt, ut adeo alia per alvum, alia per sudorem, per urinam alia excernantur, quæ si retinentur in corpore, œconomiæ animalis insidias struunt, resque sanitatis non raro graviore percelluntur vulnere & calamitate.

Non parum itaque refert conservandæ valetudinis gratia dictas excretiones servare integras, & sartas tectas custodire; quæ ut respondeant, eoque, quo modo decet & ordine succedant, tum *solidorum*, tum *liquidorum* motus & impulsus in primis concurrere, omnino necesse est, quibus non modo *sudoris* & *urinæ*, verum etiam *alvinarum sordium* excretio-

tiones peraguntur, & abſolvuntur, id, quod ſequentibus demonſtratum ibimus rationum momentis.

Vnde ſpeciatim *motum inteſtinorum periſtalticum*, tum & *motum diaphragmatis*, ac *muſculorum abdominis compreſſorium* alvinæ excretionis (qua partes ingeſtorum alimentorum *craſſiores*, *terreæ*, *acidæ*, *muriaticæ*, *bilioſæ*, *ſalino-ſulphureæ*, *aqueæ* & *viſcidæ* crudiores ad nutritionem inutiles excernuntur) præcipuas cauſſas eſſe, nemo artis peritus inficias ibit. Hac namque motuum ratione non ſolum chyloſæ, & nutritiæ ingeſtorum partes ab inteſtinorum tenuium vaſis lacteis abſorbentur, & per ſuas vias ipſum ſubeunt ſanguinem, verum etiam chyli partes crudiores, & nutriendo corpori inutiles in inteſtinis craſſis ab utilibus ſecernuntur & præcipitantur, atque *motu periſtaltico* ad anum usque continuato protruduntur per anum, & e corpore in ſingulos pene dies eliminantur.

Salvus igitur ſit *motus periſtalticus* & *inteſtinorum tonicus*, ſi excretionem alvinam ſalvam eſſe cupias, omnino oportet.

Atqui excreta alvi *odore*, *colore*, & *conſiſtentia* differunt, quæ differentes qualitates quum diverſis naturis & ingeſtis, tum diverſis excretorum contentis partibus *acidis* nempe *acribus*, *viſcidis*, *ſulphureis*, *ſalinis*, *bilioſis* &c. harumque variæ modificationi, actioni & reactioni penitus adjudicandæ erunt. His notatis opinamur:

EXCRETIONEM ALVINAM *niſum eſſe & actionem, qua feces a chylificatione reſiduæ, corporis nutritioni inutiles & excrementitiæ tum ope motus inteſtinorum periſtaltici, tum & motus etiam coadjuvantis diaphragmatis & muſculorum abdominis compreſſorii, ad inteſtinum rectum protruduntur, atque ex hoc, ſphinctere ani & muſculo, qui inteſtino recto inſeritur, dilatato, & ab ipſis excernendis ſtimulato corpore excernuntur.*

Quod jam ad excretionem *diapnoicam* & *ſudoriferam*, quæ gradu duntaxat differunt, attinet, tanti momenti eſt, ut SANCTORIVS

RIVS ſtatuat: plus materiæ inutilis & excrementitiæ *inſenſibili perſpiratione* & *ſudore*, quam per *alvum* & *urinam* excerni e corpore; atque adeo hac perſpiratione quovis modo læſa, diminuta aut ſuppreſſa materiam peccantem colligi, cruditates in corpore morbornm genitrices cumulari, hinc morbos & ægritudines corporis pulſare fores, certum, indubiumque eſſe videatur.

Modum igitur, ſucceſſumque ſaluberrimæ hujus excretionis præ ſe ferre, operæ eſſe pretium duximus; unde advertendum eſt: *inſenſibilis perſpirationis* generale colatorium organum & inſtrumentum cutim eſſe, ad cujus glandulas ſubcutaneas humor inutilis & minus laudabilis *aqueus*, *ſeroſus*, *ſalino-ſulphureus* per arterias capillares lege circulationis ſanguinis delatus, & ſeparatus, demum per exiguos cutis poros, & tubulos ope *motus arteriolarum ſubcutanearum*, ac *ſanguinis progreſſivi* e corpore proſcribitur & eliminatur.

Tria igitur, ceu cauſſæ ad proſperum ſaluberrimæ *perſpirationis inſenſibilis* ſucceſſum, *materia* nempe *excernenda*, motus ſanguinis *reſolutorius* & *progreſſivus*, atque *cutis*, *ejusque pororum & meatuum tonus*, quo vaſcula hæc ſubcutanea, pori & meatus debite hient, & claudantur, requiruntur, quæ ſi naturæ ſingula reſpondeant, reſpondebit, & ad vota ſuccedet naturalis ſubcutanea perſpiratio, *udor*, vel *ſudor*; horum vero trium, ſi vel unum aut plura, *materia* nempe *excernenda*, vel debitus ſanguinis arterioſi *motus progreſſivus*, aut neceſſarius vaſculorum & glandularum ſubcutanearum tonus defecerint, defecturam eſſe excretionem ſubcutaneam, eamque vel augeri aut diminui & deprimi, nullo negotio colligi poteſt.

Id vero hic addam, quod ſi hæc perſpiratio in ſtatu naturali *inſenſibiliter* ſuccedat, *inſenſibilis perſpiratio*, vel *udor* vocetur, dum vero *ſenſibiliter* ex poris relaxatis, magis apertis & hiantibus integræ aqueo-ſeroſæ guttæ effluxerint, tam aperta cutis perſpiratio *ſudor* nuncupari ſoleat.

Quam

Quam ob rem expenſis non nihil accuratius inſenſibilis *perſpirationis* cauſſis ratio in promptu eſt, cur alimenta, & medicamenta in primis *calefacientia*, *ſpirituoſa* & *volatilia*, aer quoque *calidus* & *ſiccus*, atque id genus potus, nec non intenſior corporis motus *perſpirationem inſenſibilem* adaugeant, udoremque in ſudorem vertant, quia nempe hæc ſingula *motum ſanguinis progreſſivum* accelerant, poros & meatus cutis aperiunt, & dilatant, qua porta patente materia excernenda *aqueo-ſeroſa*, *& ſalino-ſulphurea halituoſa* ſudoris forma erumpit, atque per cutis poros amandatur. Sicuti igitur ex adverſo *acida refrigerantia* præcipue *frigus aeris* & *vita ſedentaria*, quæ ſanguinis motus tardant, cutisque poros & meatus claudunt, & conſtringunt, diapnoicam excretionem morantur, ita eam a *calefacientibus*, motus ſanguinis augentibus, & cutis tubulos aperientibus adjuvari, ex ipſa rei natura omnino ſequi videtur. Ex quibus igitur colligitur:

EXCRETIONEM DIAPNOICAM, & SVDORIFERAM *actionem eſſe, qua humor aqueo-ſeroſus & halituoſus, ſalino-ſulphureus, ex maſſa ſanguinis arterioſi per arteriolas capillares, ope motus proportionati in glandulis ſubcutaneis ſecernitur, ſecretus per exiguos poros & meatus ſubcutaneos, coadjuvantibus motu & tono arteriarum, ac ſanguinis progreſſivo, e corpore eliminatur.*

Præcipuas jam inter & ſaluberrimas humani corporis excretiones agmen denique claudit *urinæ excretio*, QVÆ ACTIO EST, *qua urina, ſeu humor inutilis, aqueus, excrementitius, terreus, acidus, viſcidus, tartareus, ſalino-fixus, volatilis, & ſulphureus in renibus ex ſanguine arterioſo, per arterias emulgentes ad renale cribrum delato, ac per miras & multiplices arteriarum emulgentium ramificationes ope motus circulatorii ſanguinis & renalis toni in renum glandulis ſecernitur, ac ad ipſas renales cavitates pelves dictas deſtillatur, per ureteres ad veſicam urinariam defertur, & natura exigente e corpore eum in finem excernitur, ut corpus, & cum primis maſſa ſanguinea ab humoribus noxiis, inutilibus & excrementitiis repurgetur.*

Excretonis hujus ſucceſſus renibus anatomice examinatis illuſtratur: ſiquidem non modo duæ arteriæ, totidemque venæ *emulgentes* dictæ ſunt, quarum illæ a trunco *aortæ* deſcendentes ſanguinem ad renes (*qui partes duæ organicæ glanduloſo-tubuloſæ externe gibbæ, & recurvæ, interne concavæ & ſinuoſæ ſub jecure & liene in lumbis juxta ultimas utrinque coſtas ſitæ, innumeris glandulis ſecernendi lotii inſtrumentis, nervis & fibris, ac pluribus carunculis papillaribus inſtructæ, vaſisque lymphaticis irrigatæ ſunt*) advehunt, in quibus humor aqueus urinoſus a glandulis renalibus ſecretus, per certos canaliculos in cavitatem circa medium renum ſitam, & *pelvim* nominatam effunditur, ex qua per ureteres (*qui canales pene cylindrici, calamo ſcriptorio ſimiles, & cavi ſunt, ac ex pelvi in ipſam veſicam terminantur*) in veſicæ cavum ceu cyſtenam lotii humor amandatur, in qua nomine *urinæ* veniens tamdiu retinetur & ſervatur, donec ſufficiente quantitate collectus, cumulatusque fibras carneas veſicæ, ejusque cervicis ſtimulet, quo ſtimulo collum veſicæ aperitur, urina per urethram excernitur e corpore.

Atque adeo huic urinæ excretioni ſerviunt non ſolum *arteriæ emulgentes*, urinæ materiam lege circulationis ad renes adducentes, ipſique *renes* ſerum ſecernentes, & in *pelvi* ſua aſſervantes, verum etiam *ureteres*, qui liquidum ex pelvi in veſicam vehunt, ac ipſa *veſica*, & *veſicæ collum*, ſeu ejus pars anguſtior, quæ duabus conſtat membranis, *interna* nempe *tenuiore* exquiſiti ſenſus, *externa tenſiore*, & fibris ſtipata carneis, quibus contrahi & dilatari veſicæ collum, ſicque per urethram urina excerni queat.

Hæc igitur de excretionum principatu, quæ non modo actionibus *naturalibus*, *vitalibus* & *animalibus* rite peragendis, verum etiam nutritioni, & humani corporis conſervandæ ſoſpitati ſuum calculum addunt, dicta ſufficiant.

Superſedentes modo partibus genitalibus, earumque actionibus, quibus facile ad tuendam ſanitatem carere licet, propediem ad partes animales, harumque actiones feſtinamus.

SE-

SECTIO V.

De partibus & actionibus animalibus.

§. I.

De capite & ejus partibus.

Expeditis modo humani corporis partibus naturalibus & vitalibus, harumque expensis regionibns & actionibus, partes animales, partiumque animalium functiones adeundæ erunt, quæ, quum in suprema humani corporis egione, seu capite producantur, hanc peragrare regionem, jus partes & actiones penitius inspicere, e re fore, & maeriæ ordine, visum fuit.

Atque adeo cum primis in supremam hanc regionem, seu aput, quod functionum animalium organa continet, tanquam icræ Palladis arcem, sedem & regiam, in qua anima suum xercet imperium, virtutes & actiones, oculos conjiciamus, l, quod materiæ præstantia, ac animæ excellentia & digniis prorsus mereri videntur.

ANIMALIS igitur hæc regio non modo sedes, & animæ gia salutatur, quod in ea anima & omnes actiones perficiat, iritus, & horum motus, sensus internos & externos regat, una gubernet, tum quod supremum humani corporis locum ccupet, tum quod hic nervi, & sensus oriantur, & produntur, qui in totum derivantur corpus, & in omnia totius rporis membra distribuuntur.

In duas itaque caput dividitur partes, *anteriorem* scilicet *posteriorem.* Illa dicta *facies* necessariis pro suis functionibus ganis, *oculis* nempe, *naribus*, *ore* & *oris labiis* exornatur, in ia certe Summi rerum omnium Effectoris summa refulget saentia, & totus homo legitur, immo hominis affectus, *tristitia, hila-*

ritas,

ritas, *iracundia*, *clementia* &c. quin in morbis vitæ, ſanitatis, & mortis præſagia ex facie colliguntur. Faciei vero partes *frontem* ſcilicet, *tempora*, *oculos*, *nares*, *genas*, *labia*, *mentum* hic fuſius exprimere, quas manibus tenemus, ſupervacaneum eſſe duximus.

PARS vero POSTERIOR, ſeu *capillata* capitis in tres denuo partes diſtinguitur, quæ *ſincipitis*, *verticis*, & *occipitis* nomine veniunt, hinc pars capitis ſuperior *ſinciput*: media *vertex*; inferior *occiput* nuncupari ſolent.

Munitur vero, & ab externis rerum injuriis caput defenditur communibus corporis integumentis, *cuticula* nempe, *cute* & *membrana adipoſa*, de quibus ſupra ex inſtituto actum fuit.

His igitur remotis, geminæ membranæ cranium veſtientes in conſpectum veniunt, *pericranium* nempe & *perioſtium*; illud fibris per ſuturas cranii tranſeuntibus cranio connectitur, hoc nerveum & exqniſiti ſenſus tegit cranium.

A temporalium externo ramo arterias & venas obtinent: eum in finem deſtinatas, ut iis nutriatur cranium & protegatur.

§. II.

De cranio, & ejus ſuturis, atque dura & pia matre, cerebro & cerebello.

Separatis his membranis *pericranio* & *perioſtio*, oſſea compages capitis coram adeſt, anterius *rotunda*, interius *concava* cerebrum & cerebellum continens, quæ cranii inſignitur nomine, a quo munitur cerebrum.

Differt tamen hoc cranium, quod in robuſtis & fortioribus plerumque firmius & fortius, in infantibus, pueris & delicatioribus tenerius & debilius reperitur.

Duabus vero conſtat laminis, *externa* una *craſſiore* & *æqua*, *interna* altera, *duriore*, & multis diſtincta ſulcis, qui vaſ

duram

duram matrem perreptantibus præbent transitum; has vero intra laminas substantia quædam cavernosa latet, quæ suis in porulis & cavernulis succum quemdam medullarem, hic magis, ibi minus conspicuum fovet, quo cranium nutriri solet.

Tametsi vero cranium os unum esse continuum videatur, reapse tamen octo, quibus constat, ossibus conficitur. Atque adeo horum primum *anticum*, seu *os frontis*, secundum & tertium lateralia superiora *sincipitis* seu *bregmatis*, quartum posterius, seu *os occipitis*, quintum & sextum *ossa temporum*, cum processu interiore & styloide, septimum os *sphænoides* seu *cuneiforme* cum basi calvæ processibus sellam aquinam referentibus, octavum denique *ethmoides*, seu *cribrosum* cum processu crystato & vomere conspicua sunt.

Dicta ossa sex suturis distinguuntur, quarum primas tres *veras*, tres posteriores *mendosas* esse dicimus. Prima igitur suturarum *sagittalis* est, incipiens a sutura *coronali*, & in *lambdoidea*, quæ ossa dividit sincipitis, terminatur. Secunda *coronalis*, quæ os frontis sejungit ab ossibus sincipitis. Tertia *lambdoidea*, & secernit os occipitis. Quarta *ethmoidea*, quinta *spænoidea*, sexta *temporalis*, ab ossibus, quæ separant, sic dicta, suaque sortiuntur nomina.

Eum vero in finem hæ suturæ a natura institutæ sunt, ut *meninges firment & suspendant, facilitentque perspirationem capitis, topicorum penetrationem adjuvent, firmentque ossa, ac ea fulciant, & secura reddant.*

Aperto cranio mox duas membranas cerebrum ambientes *meninges* dictas videre est, quarum *externa* crassior & firmior *dura mater*, interna altera *tenuior*, *pia mater* nuncupatur. Adeoque a sui crassitie & tenuitate *duræ*, *piæque* matris nomine venire consueverunt.

Magnitudo & figura duræ meningis suo concordant cerebro, tantumque ab eo distant, quantum motus *systoles* & *diastoles* membranæ seu meningis exigunt.

In variis tamen locis meninx alligatur cranio, & quidem in primis ſuis fibris per ſuturas cranii penetrantibus *pericranio*, quo nexu dura mater, ne ſubſtantiam attingat cerebri ſuſpenſa tenetur. Inſuper his fibris circa ſuturas *cranio*, circa baſin vero per vaſa ſanguifera & nervos unitur *oſſibus*.

EXTERNE dura meninx *aſpera*, *inæqualis*, & durior eſt, ut cranio facilius alligari poſſit; *interne* verſus cerebrum lævis, & humore illinita, unde ex harum meningum diſcrimine duram matrem ex duabus lamellis ſeu membranis conſiſtere, Auctores ſibi perſuaſere.

Quamquam vero hæc meninx undique cerebrum ambiat, id tamen anterius in *dexterum* & *ſiniſtrum*, tanquam in duo hæmiſpheria ſubſtantia quadam falcem referente diviſum eſt.

Illico modo duram matrem pia meninx excipit, iisdem, quibus dura, irrigata vaſis, ac multo craſſa longior ad interiora cerebri ſe dimittit, ipſos cerebri ventriculos efformatura; tenuis hæc mater, mollisque figura reſpondet cerebro (cujus gyros altius involvit, idque totum ambit) & ei arctius undique ſuis vaſis, ut ſeparari non poſſit, alligatur, mirum igitur cerebrum, eujsque vaſa tuetur.

Atque adeo apertis his velis in limine cerebri conſiſtimus, cujus tota moles in duas partes, nempe in *anteriorem*, *cerebrum* dictam, & *poſteriorem*, *cerebellum* nominatam, dividitur.

Duplex cerebri ſubſtantia eſt, externa *corticalis*, infinitis, haud ſecus ac inteſtina, diſtincta gyris, anfractibus, flexibus & circuitionibus, quæ a calore ſuo *cinerea*, & a tot arteriolis & venulis, quas per anfractus ſuos diffuſas habet corticalis ſubſtantia, *vaſculoſa* eſſe fertur.

Interna autem cerebri ſubſtantia *alba* & *medullaris* innumeris fibrillis & filamentis in plures faſciculos colligatis conſtat, qui aliud non ſunt, quam totidem ductus & canaliculi e glandulis

coro-

corticalibus exorti, secretos e sanguine spiritus excipientes, quibus anima agit, iisque ceu ministris utitur ad producendum functiones animales.

Diductis jam cerebri hæmispheriis, & duræ meningis portione falciformi avulsa, illico oculis subjicitur dura & candidior cerebri substantia, quæ totam interius cerebri mollem cingit, & *corpus callosum* ob sui duritiem nominatur.

Calloso hoc excavato corpore duas cerebri cavitates, unam e dextera, alteram e sinistra parte, *anteriores cerebri ventriculos* dictos, spectabis coram, in quorum fundo ventriculorum duo cerebri processus ex ipsa cerebri substantia prognati conspiciuntur, qui in anteriore parte cerebri in *os frontis ethmoides*, seu *cribrosum* supra nares terminantur, & a similitudine ipsos inter & mamillas, processus mamillares vocari solent, quos quædam pars cerebri ob sui pelluciditatem *septum* dicta *lucidum*, dividit.

Ambo ventriculi figuræ semilunaris & æqualis sunt, suisque parietibus piæ matris portioni alligati; interne ad horum ventriculorum fundum gyrationes quædam & circuitiones (quæ nihil aliud, quam arteriolarum & venularum plexus, *choroides* dictæ, sunt, ab elegante & miranda piæ matris producti membranula) videntur; atque ibi, ubi ambo hi junguntur ventriculi, aliqua protuberantia, quæ *fornix* nuncupatur, conspicua est, & tribus constat cruribus, uno anteriore, & duobus posterioribus, quæ versus basin cerebri excurrunt, & radicem spinalis medullæ ad latera complectuntur.

Antrorsum denique sub fornice inverso tertium videre est ventriculum, ex duobus præcedentibus conflatum in unum; in quo duos observabis meatus, quorum unus deorsum per infundibulum ad *glandulam* fertur *pituitariam*, per quam seroso-viscida cerebri excrementa evacuantur. Alter meatus membrana vestitus posteriora versus per *foramen quoddam*, *anus* dictum,

ſub natibus ad ventriculum quartum excurrit, qui ſub cerebello inferius elevato poſterius in conſpectum datur. At vero reliquis ventriculis hic quartus minor eſt, qui in ſui principio latior, ſenſim anguſtior, ac demum in acumen deſinit, unde ſimilis calamo ſcriptorio, *ſcriptorii calami* nomen obtinuit.

Tertium inter & quartum ventriculum quatuor obſervantur protuberantiæ, quarum ſuperiores, ſeu anteriores majores a quadam ſimilitudine *nates* anatomes periti vocant, inferiores vero & minores *teſtes* ipſis nominare placuit. Hos inter rimam videbis *vulvam* dictam, quæ ſuperius ani foramen continet.

Sunt autem hæ quatuor protuberantiæ cum ſuis ſtriatis proceſſibus, qui iis imponuntur, *principia & origines medullæ cerebri oblongatæ*, ſuperius & a lateribus tenuis piæ matris membranula indutæ, & ſubſtantia innumeris tenuiſſimis fibrillis contexta conſtant, id, quod microſcopii acie ſpectare licet.

Porro nates inter ac teſtes & ani foramen glandula conſiſtit, quam a ſpecie *nuclei pini pinealem* nominant.

Recto jam ordine a cerebro ad cerebellum progredimur, in poſteriore & inferiore calvariæ parte ſitum; minus utique eſt cerebro, unde & *cerebellum*, aut parvum cerebrum nuncupatur.

Duplici ſubſtantia cerebellum gaudet, *corticali* nempe & *medullari;* durior utraque & firmior eſt, cerebri ſubſtantia, atque corticalis a colore magis *cineritia*, & medullaris *flavior* apparentes a meninge proteguntur.

Cerebellum parum ſubſtantia a cerebro differt, niſi quod ſinubus careat & ventriculis cerebro propriis, proceſſusque duos cerebellum obtineat *vermiformes*, qui ex variis partibus certo modo contextis, & tenui membrana junctis *vermium* inſtar conſpicui producuntur.

Proceſſuum anterior ad quartum tendens ventriculum natibus & teſtibus incumbit, poſteriore minus prominente, ſed mucrone deſinente in cerebri ſubſtantiam. Cerebrum vero,

ejus-

ejusque meninges innumeris irrigari vasis sanguiferis, venis & arteriis, quibus nutriatur cerebrum, generentur spiritus, seu fluidum nerveum, oculari inspectione liquet; atque has a *carotidis*, venas comites a *jugularis* interiore in utroque latere ramo, utrisque arteriis & venis vario modo per anastomoses in se invicem hiantibus, mutuas sortiuntur.

Præterea ex hac arteriarum, venarumque mira & multivaria ramificatione, ramorum surculorumque distributione bis geminus in cerebro conficitur plexus, qui in utroque distributus cerebri ventriculo *plexus choroides* vocatur, & ex infinitis, ac exilissimis vasorum, meningumque divaricationibus cum intertextis glandulis constat. Alius item plexus ad *glandulam pituitariam* sub cerebri basi ad sellæ equinæ latera conspicitur, qui *plexus retiformis*, seu *retis mirabilis* nomine venit. Id, quod GALENVS confirmat, quando LIB. IX. de VSV PART. *capit. 14.* ait: *Plexus choroides intra cerebri ventriculos, rete vero mirabile extra meninges collocari.* Atque adeo plexum utrumque diversas partes, & diversa occupare loca indubium omnino est.

Ceterum hos plexus a natura in locis tanquam secretoriis collocatos esse, eum in finem accidisse putamus, quod natura pro genesi *spirituum animalium*, seu *fluidi nervei* subtilissimo utatur sanguine, qui hic purior & tenuior secernitur, quum hujus subtilissimi cruoris secretioni mira hæc plexuum congeries, & mira emunctoriorum secretoriorum textura faveant.

§. III.

De medulla oblongata, spinali, & nervis.

E cerebri & cerebelli substantia sua tanquam origine & fonte medulla prodit paulo durior, quæ cerebelli continuatio est, ac in primis etiamnum infra calvam cranii basin sita *medulla oblongata*, mox e cranio per magnum ossis occipitis foramen protensa, ac per totam spinæ dorsi longitudinem

ad os usque ſacrum extenſa continuataque *ſpinalis medulla* plerumque nuncupatur.

Atque adeo anterius in hujus medullæ oblongatæ baſi ad coaleſcentiam *nervorum opticorum* quidam conſpicitur tubulus membranaceus a pia matre productus, & ad glandulam pituitariam ſellæ equinæ inſidentem extenſus, qui inferius anguſtior, & ſuperius latior intus ſubſtantiam medullarem continet, ac nomine *infundibuli* inſignitur, ut humores ex ventriculis excipere, hinc *glandulæ pituitariæ* poſſit committere, a qua demum in os, & ab ore per ſputum e corpore ejiciantur.

Medulla igitur ex innumeris filamentis nerveis, certo modo contextis, & *caudam equinam* referentibus congeritur, ex quibus omnes totius corporis nervi ſuos natales ducunt.

Hæc ipſa vero ſubſtantia medullaris ex cerebro & cerebello a quatuor radicibus tanquam ſcaturiginibus, & quidem in cerebro a duabus majoribus *crura* dictis, in cerebello autem a duabus minoribus *pedunculi* vocatis derivatur, quæ diviſa cum cerebro *medulla ſpinalis* in *dexteram* & *ſiniſtram* partem abit, atque ab una parte læſa vel dextera, vel ſiniſtra *paralyſis* natales ducit.

Præterea ſpinalis medulla tribus membranis induitur, quarum prima *piæ*, ſecunda *duræ* matris continuationi, tertia demum externa valido ligamento (quod anteriores vertebrarum partes firmat) debentur.

Haud ſecus vero in medullaris ſubſtantiæ, ac cerebri ſectione plures ſanguinis guttulæ conſpicuæ ſunt, ex quo tenellula vaſcula ſanguifera per ſubſtantiam medullarem ſparſa eſſe, recte conjicitur. Immo venas & arterias ipſi medullæ ſpinali inſertas eſſe, vivis oculis conſpicitur, quibus hæc medulla nutriatur.

Atqui hæc medulla intra ſpinam dorſi tanquam fiſtulam (quum cava ſit) continuatur, qua fracta læſave mox infra fra-

cturam

ſturam ſenſus & motus pereunt, ex qua læſione inſanabili actum eſt de vita læſi hominis.

Hæc igitur ſpina, ſeu fiſtula oſſea columna eſt, qua humani corporis firmatur machina, & vel ideo pluribus in medio excavatis conſtat oſſibus, ut corpus in omnem partem flecti queat. Vnde & hæc oſſa vertebræ a *vertendo* nominantur, quum earum adminiculo homini huc & illuc ſuum corpus, & corporis partes flectere, ac ad lubitum movere datum fuerit.

Supra dictum fuit, a *ſpinali medulla* omnes nervos ortum trahere; ſpinalem igitur medullam (prout partim intra, partim extra cranium, & in ſpina vertebrarum collocatur) unicum nervorum eſſe principium, ſtatuendum erit. Speciatim vero ex medulla contenta intra cranium, ſeu ex cerebro ſeptem nervorum paria, tribus his expreſſa verſibus, in lucem prodeunt:

Optica prima, oculos movet dextera, tertia adorat,
Quarta eſt, quæ guſtat, quinta audit, ſed vaga ſexta eſt,
Septima laxatas linguæ moderatur habenas.

Interim anatomia, ubique amans ordinis, nervos in eos, qui ex cerebro ceu fonte ſuo ſcaturiunt, tum in alios, qui ex medulla vertebrarum ſpinæ dorſi deſcendunt, diſtinguit.

Quam ob rem ex cerebro oriundi nervi in decem paria, ſeu totidem ſimplices nervos ab utroque cerebri latere egredientes dividuntur.

Atqui hæc intra nervorum paria primum *olfactorium* eſt, quod duobus nervis *olfactoriis*, qui ſub proceſſibus mamillaribus reconduntur, conſtat, ac una hoc par ad *os cribriforme* accedens odori ſervit.

Secundum par ſeu primi paris conjugatio remotis proceſſibus mamillaribus mox conſpicitur, & par nervorum *opticum* ſeu *viſorium* audit, viſuique deſtinatum eſt, uterque paris nervus in utrum-

utrumque exporrigitur oculum, qui nervos alios magnitudine superant.

Tertium par oculorum *motorium* est, cujus quivis nervus e basi medullæ oblongatæ exortus penes infundibulum ex utroque latere antrorsum ad utrumque decurrit oculum.

Quartum par *patheticum* dictum a superiore medullæ oblongatæ parte prope cerebellum prodit, & per idem foramen cum pare tertio defertur ad oculos.

Quintum par *divisum* nuncupatur.

Sextum par *gustatorium* dictum gustui, seu sapori servit, hinc ad linguam tendit, & ex intima medulla nascitur, ac per idem foramen cranii cum nervis oculorum *motoriis* ad linguam terminatur.

Septimum par *auditorium* per ossis petrosi foramen aures accedit, sensui auditus destinatum.

Par octavum ex eo *vagum* nominant, quod paulo infra medullam oblongatam procedens plurimis filamentis constet, quorum quædam ad ventriculum *stomachica* dicta, alia ad cor & pulmones, aliqua ad hepar & costas decurrunt; hoc par vagum validis membranis vestitum, postquam propagines colli, laryngis, linguæ & ossis hyodis musculis impertivit, per ossis occipitis foramen ad jugulum descendit, ad rem igitur, quod surculos in utrumque latus dispensat, in ramum *dexterum* & *sinistrum*, *internum* & *externum* distingui solet.

Dexter *externus* ramus sparsis quibusdam surculis ad musculos pectoris, nervum *recurrentem* dictum constituit, qui in *pleura* pulmonum tunica, pericardio, & superiore ventriculi orificio distribuitur.

A ramo vero *sinistro externo* sinister recurrens nervus derivatur, qui pene per easdem in sinistro latere partes, ut dexter in dextero latere, disseminatur, nisi quod ad ventriculi orificium superius delatus cum dextero nervo recurrente conjun-

jungatur, sicque juncti ad ventriculi orificium inferius abeant, & ad hepatis inferiorem partem deferantur.

Ramus *internus* dexter intercostalibus nervis surculos præbet, & perforato diaphragmate, propagines infimi ventris largitur partibus, atque in osse sacro terminatur.

Ramus e diverso sinister suo in latere modo prorsus simili dispensatur.

Nonum nervorum par linguæ *motorium* est, oritur in occipitis ea parte, qua spinalis medulla prodit, ac in linguæ musculos inseritur.

Decimum denique & ultimum par nervorum *cervicale* dictum e medullæ oblongatæ jam jam in spinalem medullam concessuræ lateribus egreditur, eo in loco, ubi arteriæ vertebrales petunt cerebrum. Atque hic ordo, numerus, & nervorum divisio celeberrimi WILISII, aliorumque Anatomiæ Procerum, quorum vestigia legimus, sufficiant.

Sunt præterea alii nervi extra cranium existentes, ex spinali medulla oriundi, quorum triginta paria Auctores numerant, & quidem in primis septem paria a septem *cervicis* vertebris, & duodecim a duodecim *dorsi* vertebris, quinque autem a vertebris *lumborum*, & sex ab osse *sacro*, seu *innominato* natales ducunt; singula autem hæc paria eo nascuntur ordine, quo & ipsæ collocantur vertebræ, atque constanter unus a parte dextera, a sinistra alter nervus ex sua vertebra ortum trahit.

Septem autem cervicis paria in musculos *colli*, *aurium*, *genarum*, *musculosque scapularum*, *brachiorum*, *& diaphragmatis* inseruntur.

Duodecim autem paria e duodecim dorsi vertebris exeuntia in musculos *brachiorum*, *dorsi* & *thoracis* tam anteriore, quam posteriore parte terminantur.

Quinque paria e lumborum vertebris ad musculos dorsi & lumborum abeunt, quæ ad testes usque descendunt. Paria vero ossis sacri ad femora & pedes deorsum feruntur.

§. IV.
De officio cerebri, & generatione ſpirituum.

Miram & ſtupendam cerebri ſtructuram cum ſuis partibus, quas pro virium noſtrarum tenuitate adumbrare adniſi ſumus, volventi animo, pro inquiſito & comperto habetur, & ſingularem, & captu arduam eſſe cerebri fabricam, tum majoris adhuc momenti & operis fore, tantæ fabricæ, tantisque ejus partibus ſua adſtruere officia, ſuosque aſſignare uſus. Nihilo tamen minus in re tam ardua dicendum aliquid & ſtatuendum erit, id nempe, quod communis Medicorum ſententia tenet.

Atque adeo in primis ex concordi Medicinæ Majorum calculo & conſilio, *animam reſidere in cerebro* (in quo ceu ſui regia, quæ ſui ſunt corporis ſortita, dominatur, omnia percipit & ſpeculatur, judicat, ſubjectum ſibi corpus gubernat, ac univerſas corporis partes, & partium functiones imperatricis inſtar regit & moderatur) nihil veremur aſſeverare. At vero de vera animæ in cerebro ſede, veroque ejus in corpus ſuum agendi modo nondum inter Pihiloſophos conſtat, & nec forte conſtabit, quum hac in materia, argumentoque tot pene verſentur ſenſa & ſententiæ, quot capita, ut porro veram animæ ſedem, ejusque in corpus agendi rationem is ſolus noviſſe videatur, *qui fecit nos*, ac bene multa, quæ penetrare noſtrum forte non intereſt, ad ponendum miſeris nobis limites, ſibi reſervata voluit, quibus infinita Ejus conſtaret ſapientia, & finita, limitataque humani intellectus ſcientia firmo talo ſtaret, atque Altiſſimi omnipotentia clarior fieret, & apertius eluceſceret.

Dixiſſe igitur ſuffecerit: *animam in cerebro reſidere*, & ſpirituum animalium, ſeu fluidi nervei miniſterio per ſenſus externos res objectas percipere, ſuasque functiones exercere.

Vt

Vt proinde propius ad officium cerebri accedamus, in hos ipſos ſpiritus tanquam animæ miniſtros cum primis indagare juverit; unde in quo conſiſtant, qua ſint & origine nati, propediem dicendum erit.

QVAM OB REM SPIRITVS generatim ſumptus eſt corpus *fluidum, mole minimum, maximi & aſſidui motus, ex conſtante chyli, ſanguinisque reſolutione, & intima ætheris, inſpiratione attracti, cum ſanguine commixtione productum, cum liquidis & ſolidis in corpore ad actiones perficiendas deſtinatum.*

Patrium igitur ſolum ſpirituum præſertim animalium cerebrum, & ſpeciatim ejus ſubſtantiam *corticalem* eſſe, ex eo nobis perſuaſum eſt, quod teſte GALENO ſpiritus ex ſanguine, ad cerebrum per duas carotides & vertebrales arterias delato, in *corticali cerebri ſubſtantia* ſeparati, per minimas, easque innumeras fibrillas ad corpora ſtriata, & elongatæ medullæ eminentias (quæ tanquam expanſio & ſeparatio filamentorum nerveorum *ſenſorium commune*, ſeu *ſenſus communis ſedem* conſtituunt) deferantur, adeoque in externis organis cœptas ſenſationes, & ad *ſenſorium commune* delatas hic terminatum & abſolutum iri, ex communi Medicorum ſententia, vero eſſe ſimilius, exiſtimemus.

Siquidem hanc eſſe Geneſin ſpirituum, hosque in præfata cerebri *corticali* ſecerni ſubſtantia, quum ex mirabili hujus ſubſtantiæ vaſorum & vaſculorum congerie, tum admiranda innumerarum arteriolarum, venularumque ramificatione & plexibus colligitur, quibus tanquam vaſis Chymicorum circulatoriis ſanguinem, continua reſolutione & percolatione puriorem & ſubtiliorem redditum, in ſubtiliſſimum demum concedere fluidum, ac abire in ſpiritus, qui per tenuiſſimos vaſculorum ſurculos, fibrillas & tubulos ulterius in cerebri nervos influunt, ſufficiente rationis pondere firmatur, immo ex neceſſaria legum mechanicarum conſequutione inferendum eſſe cenſetur.

Id namque, quod in cerebri cortice secernitur, non esse *humidum*, neque *solidum*, quum invisibile sit, ergo *fluidum* esse *spirituosum* (quod pace mea sive *fluidum nerveum*, sive *spiritum* nominaveris) prorsus tenendum esse videtur.

Ejusmodi igitur spiritus cum primis animales nervos ingressi, per quos ceu canaliculos in omnes corporis partes distribuuntur, ad actiones animales, vitalis vero spiritus, qui subtilissima sanguinis portio est, ad vitales actiones ordinantur.

Quod jam attinet ad alias cerebri partes, eminentias & ventriculos, humorem in cerebro secernunt serosum, qui per glandulam *pituitariam* & *pinealem* per ossis sphænoidis foramina ceu mucus excrementitius partim per nares, partim per oris cavum ejicitur, & e corpore amandatur.

Vsus vero spinalis medullæ est, nervea filamenta in omnes corporis partes subjectas capiti, tum internas, tum externas dispensare, in quæ spiritus animales influunt, ut omnium corporis partium sensus & motus caussa existerent, atque sensum & motum producentes partium actiones adjuvarent.

§. V.

De operationibus animæ & actionibus animalibus, seu de sensibus externis & internis.

Fine partibus internis animalibus imposito, bello ordine ab actionibus *naturalibus* & *vitalibus* (quæ nobis etiam insciis, & ne quidem voluntatis imperio concurrente eduntur, ad illas actiones, quarum conscii sumus, quas & ad liberum voluntatis imperium producimus (sive dein agendo anima illas perficiat, sive eas dirigat, aut patiendo a rebus externis afficiatur, ac affecta certas impressiones percipiat) revocamur.

Quemadmodum igitur actiones *naturales* & *vitales* a mechanismo, seu certo ordine & coordinatione motuum, qui ex partium

tium *ſolidarum* & *fluidarum* certa ſtructura, ſitu, nexu & conſenſione promanant, hinc actiones *involuntariæ* & *neceſſariæ* dicuntur, dependent, ita actiones animales, *perceptio* nempe, *volitio*, *intellectio* &c. ab alio quodam principio ſcilicet anima, quæ motus & impreſſiones, affectionesque percipit, & judicat, producuntur, aut ad voluntatem animæ omittuntur; recte igitur priores actiones *neceſſarias*, poſteriores vero eſſe *liberas* pronunciamus.

Quum itaque anima unita cum corpore certos motus nervis, nervoſisque partibus impreſſos ſentiat, non modo per nervos & nervoſas partes cum ſuis miniſtris ſpiritibus, qui in nervos influunt, ſuos motus & actiones producit, verum etiam hæ actiones pro diverſitate ſenſationis & perceptionis, motuumque in partes nerveas impreſſionis, differunt, hinc gratæ vel ingratæ pro grata vel ingrata nervoſarum partium affectione & impreſſione perceptiones ſuſcitantur. In notionem igitur ſenſationis cum primis inquirendum erit, unde aliam eſſe ſenſationem corporis, aliam animæ, nobis perſuadetur.

Atque adeo CORPORIS SENSATIO *certa & ſpecifica motus a vario objecto externo in partes ſenſibiles membranaceas, ſeu membranas nerveas facta eſt impreſſio.*

SENSATIO vero, ſeu PERCEPTIO ANIMÆ *certa ideæ, ſeu notionis de diverſis motibus productio eſt, cujus ſibi conſcia eſt anima.*

Veriſſimum igitur eſt, quod, ubi nulla motio, ſenſatio etiam ibi nulla verſari poſſit.

Quapropter haud abs re modo concluditur, ACTIONES ANIMALES *illas eſſe, in quibus mens ſeu anima, & quidem rationalis ac immortalis rerum ideas & notiones a debita membranoſo-nervearum partium affectione exortas concipit.*

Atque adeo hæc notionum perceptio alicujus affectionis, aut mutationis, quæ nervis & ſpiritibus in ſenſoriis externis

imprimitur, in anima intellectio est, quam affectionem, motionemque objecta externa nervis organorum externorum, & spirtibus in nervos influentibus imprimunt; hæc impressio una nervorum serie ad commune cerebri defertur sensorium, quo delata percipitur ab anima, unaque dijudicatur. Vnde notionem in nervis & fibrillis nerveis organorum externorum inchoari, atque delatam ad cerebrum plene ab anima perfici & produci, minime amplius obscurum esse potest.

Ex quibus itaque consectarium est: quatuor ad perfectam sensationem requiri. I. Objectum sensibile exterius organa sensoria afficiens, juxta illud: *Objecta movent sensus.* II. Organum illam objecti impressionem & affectionem recipiens, in quod ceu patiens objectum movens agit. III. Attactus seu impulsus organi sensorii a corporibus externis sensibilibus vel insensibilibus, ut rerum atomis. IV. Denique medium aliquod organum inter & sensorium commune, id, quod nervi, seu potius nervorum expansiones membranaceæ, fluido nerveo, seu spiritibus animatæ, constituunt. Hi namque spiritus, ceu animæ ministri ope nervorum motu suo undulatorio in momento ad medullarem cerebri substantiam (quæ origo nervorum salutatur) externi objecti impressionem in organis cœptam continuant & propagant; hinc anima rationalis ad illud percipiendum objectum excitatur, id percipit, in qua perceptione & notione perfecta sensationis ratio fundari solet.

Vnde demum sequitur, imparem esse animam de rebus externis formando judicio, nisi prævia rerum per organa præcesserit sensatio, idearum repræsentatio, seu apprehensio, quas rerum judicio antecedere præstat.

Argumento nostro robur addunt læsiones & vulnera, quibus, dum actionum animalium organa læduntur, & vulnerantur gravius, lædi & actiones animales, & vulnerari intensius, palam & in comperto est.

Quo

Quo igitur perfectior & ſenſibilior fuerit organiſatio, majorque fibrarum tenſio, & earum accuratior ab objecto externo organi facta impreſſio, ſimul ac fibræ, nervique fluido nerveo, ac ſanguineo rite animentur, eo acutiorem, & perfectiorem fore perceptionem, & actionem animalem, a nemine ullo in dubium vocari poteſt.

E diverſo, ubi id genus fibrarum tenſio, aut fluidi nervei influxus in membranas nerveas defecerint, ſimul tunc hebetiores reddi nervorum affectiones & impreſſiones, atque adeo ſenſationem & actionem animalem læſum iri, quoque & violatum, firmo ſtare talo videbitur.

Teſtes hujus veritatis ſunt *apoplexia*, *ſyncope*, ſeu *animi deliquium* &c. quæ mala a diminuto ſanguinis circulo, ac deficiente in nervos influxu ſpirituum natales ducere, generali Medicorum fide conſtat; atqui ocyus hæc mala, dum debitus ſanguinis circulus, ac ſpirituum in nervos ſuos influxus, ac fibrarum robur redierint, ceſſare, horariis exemplis & obſervationibus ratum, compertumque habetur.

At vero, in quibus organis ſuccedat objecti impreſſio, & dicta ſenſatio inchoetur, propediem conſtabit, dum de quinque prius ſenſibus externis I. ſcilicet de *Viſu*, qui per oculos, II. de *Auditu*, qui per aures, III. de *Odoratu*, qui per nares, IV. de *Guſtu*, qui per linguam, V. de *Tactu*, qui per cutem producitur, referendum erit.

§. VI.
De Viſu.

SENSVS EXTERNVS generatim ſumptus eſt *certa motus ab objecto externo in organis ſenſoriis excitati impreſſio, ope fluidi nervei, ſeu ſpirituum animalium per nervos ad commune cerebri ſenſorium delati, ibidemque percepti ab anima.*

Pro

Pro diverſa igitur ratione objecti externe organum afficientis, pro differente item organo diverſos enaſci ſenſus, modo *viſum*, modo *auditum* &c. res ipſa loqui videtur.

Senſuum ergo externorum ſervaturi ordinem cum primis a ſupremo & principe ſenſu nempe *viſu* ducemus exordium, cujus explicationi oculi ſtructuram ope anatomes præmittere omnino oportebit.

Oculos igitur reliqua inter corporis membra principatum tenere, Doctos inter & Eruditos conſentientibus animis constat; ſive enim oculorum ſedem, ſive admirandam eorum compagem, munusque ſpectes, tam perfectione fabricæ, quam muneris nobilitate hæc luminaria antecellere, omnium Medicinæ Principum ore & conſenſione celebratur. Oculos inquam cordis interpretes, affectuum teſtes, cogitationum pictores, & animi indices admiramur, de quibus MARTIALIS canit:

> *Eſt ſpeculum mentis, facies, oculique revelant,*
> *Quales ſint intus, mens, animusque viri.*

Vnde & HYPPOCRATES, aliique Medicinæ Primores ex oculis *vitæ, ſanitatis*, & *virium robur* colligunt, ac *morbos præſentes* & *imminentes* præſagiunt, & interpretantur.

Porro oculi in ſupremo corporis loco collocantur, ut contemplarentur ſublimia quæque, & conſtantes excubias agerent, ac omnia adverſa, quæ eminus adventura intuerentur, averterent & prohiberent.

OCVLVS *ergo pars organica eſt, ſuis inſtructa nervis, & muſculis, quibus ſentiat & moveatur, munita ſuis tunicis & palpebris, ciliis & ſuperciliis, quibus ab externis aeris injuriis defendatur, ſuis diſtincta venis & arteriis, quibus nutriatur, glandulis irrigata & vaſis lymphaticis, quibus, ne areſcat, humectetur; ad rerum ſpecies & imagines in ſe receptas ulterius ad ſenſorium commune deferendas deſtinata.*

Sub-

Subtile igitur & curioſum hoc machinæ humanæ organum in oſſea cavitate cameris ceu obſcuris aſſervatur, quibus lucidiſſimi orbes reconduntur.

Haud abs re modo fuerit, partes tum oculum *defendentes*, tum *conſtituentes* ſuis momentis ponderare.

Partes inter conſtitutivas cum primis occurrunt palpebræ, *ſuperior* & *inferior*, quæ partes ſunt, quibus plerumque ſomni, aut alio tempore, pro re nata clauduntur oculi.

Ex his palpebris duo exſurgunt canthus, ſeu anguli, quorum *internus* & major nares, *externus* & minor tempora ſpectat. His angulis glanduloſæ carunculæ, & præſertim ad canthum internum glandula *lacrymalis* dicta adjacet, quibus humor feroſus ſecretus per tenuiſſimos ductus in oculos effunditur, tum ad humectandum oculi organum, & motum palpebrarum facilitandum, tum ad ſuggerendum materiam, qua non raro cum primis afflictionis tempore funduntur lacrymæ.

Cilia vero pili palpebris implantati ſunt, qui ſupra oculi orbitam concreſcentes *ſupercilia* nominantur, & ſudorem a fronte fluentem intercipientia ad decorem faciei ſerviunt; cilia vero ea remorantur, *pulveres* nempe, *muſcas*, *atomos* &c. quibus oculus, in quem inciderent, offenderetur.

Sex vero oculi numerantur muſculi, oculum in omnem partem moventes, quorum quatuor majores recti, motum recta ſurſum, deorſum & ad latera, ac duo minores obliqui motum obliquum efficiunt, diverſis inſigniti nominibus. Primus namque muſculus ſuperior & craſſus oculum attollit, unde *attollens*, ac *ſuperbus* dicitur, deſpiciens alios, ab elatis animi motibus, quos indicat, cœlumque tueri mandat, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Secundus primo oppoſitus in inferiore & humiliore parte ſitus *humilis* nominatur, quod demiſſos humo affigat oculos, pudeatque videre, quid Jupiter in æthere agat.

Tertius, in majori interno angulo ſitus, quia oculum introrſum verſus nares adducit, *adducens* & *bibitorius* vocatur, quod potatores, quibus, ut plenos eviſcerent cyathos, hæc una voluptas, oculos bibendo in cyathi demergant fundum.

Quartum, in minore angulo collocatum, *abducentem*, ſeu *indignabundum* nominant, eo quod lateralis aſpectus indignationem aſpicientis exprimat, ubi a naſo averſis oculis ira accenſus detorquet vultum, & minas ſpirat.

Duo reliqui amatorii *ſupernus* & *infernus* non ſine gratia, & amoris interprete oculos circumagunt, jaciuntque cupidinis ignes.

Vltimus oblique *adducens* ſeu *trablearis* eſt; qui ita hi muſculi rectores oculi a ſuis functionibus nuncupantur.

His modo detectis muſculis oculi, mox membranas & humores attingemus, quæ oculi *bulbum* conſtituunt; hinc in primis membranæ ſeu tunicæ ſeptem, quarum duæ *communes*, & quinque *propriæ* ſunt, in medium proferentur.

Inter communes prima tunica *adnata*, a pericranio orta & perioſtio, valida & craſſa eſt, quæ ſupra tunicam *ſcleroticam* ad circulum usque iridis protenditur, ac oculum in ſua orbita ceu thalamo firmat, connectit interioribus oſſibus, unde *conjunctiva* dicitur, & ab elegante albedine *albulginea* nominatur. Rubeſcit hæc tunica in *ophtalmia*, flaveſcit in *ictero*, ſeu *morbo regio.*

Huic ſecunda communium ſuccedit tunica, *innominata* dicta, & ex tendinibus muſculorum oculos moventium oritur, hinc *tendinea* merito nuncupatur; candidior & ſplendidior adnata eſt, & ad iridis usque, ſeu corneæ membranæ circumferentiam exporrigitur; exquiſiti ſenſus eſt, quum doleat ſoluta ophtalmiatri acu.

Avulſis duabus oculi tunicis *communibus*, *proprias* hujus organi tunicas, quæ oculum conſtituunt, expendendas ſumemus,

mus: quarum itaque prima *sclerotica* dura ac cornea, anterius cornu instar perpolita & diaphana est, unde species visivas transmittit, easque non sine visus commodo infringit, ac totum involvit oculi circulum, nec non a dura matre natales ducit.

Scleroticæ tunica *choroides* seu *uvea*, priore tenuior, substernitur, a pia matre orta in oculo humores, ut membrana chorion fœtum, continet; anteriore parte in sui medio perforata est, cujus rotundum foramen *pupillam* vocant, præterea tono gaudet, & mobilis est, ut ad lucem plus solito in oculum irruentem contrahi, remissius vero incidentem ampliari queat. Pars vero hujus tunicæ uveæ transparet per corneam, & variis coloribus cœlestis instar iridis ornata, oculi etiam iris nominari solet, quam sicut subnigram, cæruleam, aut cæsiam conspicimus, ita pari ratione oculus aut niger, aut fuscus, vel cæruleus aut cæsius nuncupatur.

Quum autem iridem attigit hæc tunica, in circumferentia uveæ portio reflectitur, atque paulo reversa ligamentum ciliare format, cujus filamenta lineas nigras, palpebrarum pilis similes, referunt, quæ crystallinum humorem cingunt, horumque ope propinquis alligatur partibus.

Sequitur uveam tertia tunica, retiformis expansio interioris substantiæ *nervi optici* credita, *retina* vocata, quod rete illud piscium capturæ destinatum referat; mollis substantiæ est, cujus filamenta pertenuia, & vascula tenella a *plexu choroide*, & *reti mirabili* derivantur; magis opaca, quam lucida hæc tunica est, quoniam hic visibilium sistuntur species, & primaria visionis constituitur sedes, atque hæ species tanquam per cameram obscuram repræsentantur.

Ex tunica retina ulterius continuata quarta *aranea*, seu *crystallina* dicta, nascitur, quæ sui tenuitate aranearum telam refert, atque humorem crystallinum fovere solet.

His quinta propriarum accedit *vitrea*, quæ vitreum humorem veſtit, eumque ſecernit ab humore cryſtallino.

§. VII.

De humoribus oculorum, & viſione ipſa.

Oculorum tunicæ tres humores, ad viſionem concurrentes, *aqueum* nempe, *vitreum* & *cryſtallinum*, ſingulos diaphaneitate æquales, ſpecie tamen & conſiſtentia differentes continent; quorum principatum humor tenet *cryſtallinus*, unde & oculi centrum ſalutatur.

Primus igitur, *aqueus* ſcilicet, humor tenuis, pellucidus, & aquæ more fluidus eſt, nec propria continetur tunica; hinc mox a ſectione effluit, totamque corneam inter & uveam anteriorem oculi partem replet. *Corneam* tunicam, ne rugas contrahat, & obſcuretur, diſtendit, lucis infringit ſplendorem nimium, ac dilatat viſivos radios. At vero humor hic aqueus a naturali ſua puritate devians, & qua data cauſſa craſſior redditus viſum minuit, id quod Senes teſtatum volunt.

Quod ſi vero huic humori *culices*, *muſcæ*, *paleæ*, aliaque id genus animalcula & corpuſcula innatare, aut oberrare ante oculos videantur, hæc apparentia ab initio *ſuffuſio*, ſucceſſu vero temporis *catarracta* nominatur, quæ oritur, ſi humor aqueus, aut alia heterogenea arctius coeant, & concentrentur, ut pellicula inde generetur, a qua ante pupillæ foramen ſubſiſtente, ac lucis, & radiorum viſibilium in oculos ingreſſum præpediente viſus aboletur.

Secundus humor *cryſtallinus*, ſeu *glacialis*, reliquos inter humores medius, & mole minimus eſt, qui propius pupillam accedit ad copioſiores lucis excipiendos radios; *lentem opticam* apprime refert, ac in antica humoris aquei parte reſidet; durior eſt aqueo, atque clarus, politusque inſtar cryſtalli fulget;

get; radios visivos per pupillam advenientes, & decussatim refractos mandat retinæ, ut in ea species receptæ & ultimo retentæ visionem constituerent.

Tertius denique & ultimus humor *vitreus* dicitur, qui fuso vitro similis, alios humores quantitate, *aqueum* densitate, & *crystallinum* fluiditate superat. Anterius in sinu exiguo, tanquam gemmam in annulo, *crystallinum* fovet, posterius globositate oppido distendit *retinam*, & distensam idoneam reddit pro visivis excipiendis radiis; unde figuræ convexo-concavæ est, qua radii in ea refracti & modificati ad tunicam ablegantur retinam; abhinc ulterius per nervum opticum ad cerebri commune sensorium propagati ab anima dijudicantur.

Duo vero nervorum paria oculis, inseruntur, primum *opticum* seu *visorium*, crassum dictum, spiritus animales, sine quorum concursu fieri nequit visio, ad oculos defert; opticus hic nervus parte postica tunicæ implantatur retinæ, & ad ipsum centrum tunicæ (cujus expansio est) protenditur.

Secundum par nervorum *motorium* est, quod in quemvis oculi musculum effundit propagines. His præmissis statuitur, quod

VISUS *sensatio externa sit, qua species ab objectis visivis emanantes oculis impressæ, & per tunicam corneam, ac pupillam transeuntes, in humore aqueo non nihil refractæ, nec non ad humorem crystallinum ablegatæ, & communicatæ vitreo, demum ad tunicam retinam pupillæ oppositam allisæ, & ab hac delatæ ad cerebrum, a mente percipiuntur, ac perceptæ dijudicantur.*

Fit igitur inversio radiorum intra oculos tanquam in camera obscura; in tunica autem retina a nervo optico expansa specierum repræsentatio contingit, demum has affectiones & impressiones oculi anima sentit, & dijudicat.

Objectum vero visus primarium *lux*, secundarium *colores*, quibus præsentibus fit visio, esse statuitur. Feles vero, no-

ctuas, & vespertiliones nocturno videre tempore absente luce, earum singulari oculorum structuræ & conformationi adscribendum esse, arbitremur.

§. VIII.
De auditu.

Recto ordine a visu ad auditum, ceu sensum vicinum visui, progredimur, ad cujus faciliorem intelligentiam mirabilem auris structuram perlustratum ibimus.

Hujus igitur sensus organum *auris* ab *audiendo* dicitur, quæ utique in *internam* & *externam* dividenda venit.

Auris itaque externa, seu auricula fabrica est, figuræ semilunaris, vel ideo variis formata cavitatibus & sinubus, ut decori magis serviret, & auditui, ac ne sonus viis rectis spargeretur & difflueret, verum potius in cavis auris sinubus & anfractibus receptus infringeretur, atque tardius & cum minore impetu incideret in auris cavum. Jam auriculæ partes amodo scrutari lubet.

Vnde in primis pars auriculæ superior *ala*, vel *penna*, inferior vero mollis *lobus*, exterior vero auris ambitus tortuosæ flexuræ caussa *helinx*, interior priori oppositus *antihelinx*, cavitas vero has inter partes conspicua *scapha* nuncupantur.

Pars illa, quæ tempora spectat, & pilos generat *tragi*, seu *hirci*, altera huic opposita, velut tuberculum in *concham* desinens *antitragi*, & media cavitas *conchæ* venit nomine, quæ ubi angustior redditur, meatus incipit auditorius, qui canalis est (in quo cerumen, seu auris sordes amaræ & viscidæ, quandoque auditum remorantes colliguntur) & serpentino incessu ad membranam tympani protensus terminatur.

Suis hæc machina firmatur musculis *in-* & *externis*, quos in aure immobili minimos natura condidit; *priorum* duo sunt,

poste-

posteriorum unus superior, reliqui a situ suo posteriores dicuntur, quibus fibræ carneæ per auriculam dispersæ, in medio sensibiliores conjunguntur.

Arteriis a *carotidibus*, venis a *jugularibus*, nervis a secunda *cervicis vertebra* hæc auris substantia cartilaginea donatur; atque irroratur crassis glandulis, *parotides* dictis, & quidem duabus insignioribus, quarum major *conglomerata*, minor *conglobata* nominatur; serum ex sanguine secernunt hæ glandulæ, quod per vasa *lymphatica* & *salivalia* ad os & fauces derivatur.

Id vero de meatu auditorio commemoremus, quod in hujus fine conspicua sit membrana tympani, quæ extremum meatus claudit, & in qua externa ab interna aure separatur.

Vsus vero & officium auriculæ est, *sonum accedentem in suis flexibus & anfractibus refringere & modificare*, *ac fortius auditus organum movere; hinc ad auditus sensum facere.*

§. IX.

De interno auditus organo.

Membranam tympani, quæ aurem externam ab interna dividit, velut ostium pulsantes jam in limine internæ auris sumus; hinc nobis hæc membrana tenuis & subtilis ad melius sonandum, pellucida & tenuissima ad facilius trajiciendum sonum ad aerem congenitum, firma quoque & valida ad se se defendendum ab externis injuriis, atque nervea & sensibilis ad internæ auris machinam aditum pandit, quo internæ auris compagem contingemus.

Atque adeo in primis nimis *stricta*, vel *laxa* hæc membrana auditum minuit, immo, ea *rupta* aut *erosa*, auditus plene aboletur.

Membrana hæc tympani chorda (quæ durioris nervi auditorii oblique per tympanum excurrens filamentum est) extensa militaris instar tympani obducitur, unde nomen *tympani* sortita fuit.

Re-

Remota hac membrana, anfractuosa illa cavitas auris media (cui tympani nomen est) in lucem prodit, cujus interior superficies multis cavernulis, sinubus & eminentiis distincta cernitur.

Hoc tympanum, seu anfractuosam cavitatem mediam quatuor densis, durisque natura firmavit ossiculis, *malleo* nempe, *incude*, *stapede* & *osse orbiculari*, a suis formis, quas exhibent, ita nominatis, quæ circa extremitates, quibus invicem committuntur, exiguo ligamento colligantur. Primum igitur ossiculum, scilicet *malleus*, capitulo rotundo in *incudis* cavitatem hiat, & altera prominentia connectitur membranæ tympani.

Incus, figuram dentis molaris exhibens præditam duabus radicibus, subjacet *malleolo*, ejusque caput superiore parte levi sinu excipit, in inferiore vero parte duos processus præ se fert, unum brevem tympani specui insitum, longiorem alterum valide *stapedis* capitulo alligatum. Tertium ossiculum *stapes* a figura stapedis nuncupatur. Quartum exiguum, & rotundum est ossiculum, inde *orbiculare* dictum, quod *stapedi* tenui ligamento alligatur.

Malleus præterea duobus instruitur musculis, *externo* uno, altero *interno*. Ille tendine suo in tympani centrum extrinsecus inseritur; iste in duos graciles abit tendines, quorum unus in superiorem processum malleoli, alter vero in hujus cervicem terminatur.

Expensis his ossiculis ad latus tympani cavitatis tertia cavitas protinus inæqualis conspicua est, in cujus extremo pariete duo sunt ostiola, seu foramina, quorum majus & superius *fenestra ovalis*, alterum minus & inferius *fenestra* a forma sua *rotunda* dicta, in tertiam auris cavitatem, quam *labyrinthum* vocant, viam sternunt.

Porro a tympani cavitate inferius supra palati extrema quidam canalis extat, qui osseus, membranaceus & cartilagi-

neus

neus *tuba Euſtachiana* ab inventore EVSTACHIO dicitur, per quem aer ab ore & palato ad interiora auris penetrat, ad ſuccurrendum auditui ordinatus.

Ipſius vero *labyrinthus*, ſeu tertius ſpecus ob varios ductus, anfractus, & mœandros ita nominatus, globulum oſſeum continet, quo fracto *cochlea* (limacum cochleam referens) e tenuiſſima membrana in ſuccinctos contracta gyros orta, ut pars labyrinthi conſpicitur, in quam per minima foraminula tenuiſſimæ nervi auditorii fibrillæ terminantur.

Atque *hanc tenuiſſimam membranam nerveam* per labyrinthum, & cochleam, aliasque oſſis petroſi cavitates ſparſam, proprium eſſe auditus organum, & terminum per tot ambages & anfractus conquiſitum, generali Medicinæ peritorum ſententia certum dilucidumque redditur.

Irrigatur vero auris internæ compages arteriolis, venulisque bene multis, quarum illæ a *carotidibus*, iſtæ a venæ *jugularis propaginibus* deſcendunt, & earum advecto ſanguinis ſucco nutritio aures nutriuntur.

Atque adeo auditionem in *cochleæ fundo*, *tympani & labyrinthi anfractibus*, ſeu potius harum partium membrana, a nervo acuſtico, ſeu auditorio oriunda, produci, arbitramur; eo quod hi nervi auditorii tenuiſſimæ inſtar membranæ expanſi ope *aeris ſpecifice commoti, & ad nervos alliſi*, hinc continuatione fibrarum nervearum, & præcipue *ſpirituum animalium in nervis undulantium motu* cerebro ſonum communicant, & repræſentant; anima vero in cerebri ſede exiſtens cognitis id genus *fibris nerveis*, *ac ſpirituum in iis undulantium motu* allatis ſpecificis alterationibus & impreſſionibus ſonum percipit, diſtinguit, unaque dijudicat.

Quam ob rem in hac auris membrana nervea ſuo tanquam termino ſonum ſiſti, in auricula vero colligi, per tympani membranam oſſiculorum ope plus minus tenſam in labyrintho infringi, reflecti, atque attemperari ſonum, ac denique in *mem-*

brana cochleæ, ejusque nervis ad ſenſorium commune delatum percipi ab anima & dijudicari, haud a vero alienum eſſe videtur.

Objectum igitur auditus ſonus eſt, qui aurigante aere velut medio & ſoni vehiculo defertur ad aures, in quibus varie alliſus, modificatusque, eo, quo modo diximus, ad auditum confert, recte igitur inferri poteſt,

AVDITVM eſſe *ſenſum externum, ſeu impreſſionem, a ſono, ope aeris auris organum afficiente, excitatam, & motu ſpirituum animalium per nervum auditorium delatam ad cerebrum, ibidemque perceptam, & judicatam ab anima.*

§. X.

De odoratu.

Ab auditu ad odoratum deſcendere, ordinis ratio poſtulat. Antequam hunc ſenſum declaremus, ſenſus organum, quod *nares* ſunt, quo ad partes ſuas & officium præ ſe ferre juverit.

Quapropter NASVS, ſeu NARES *organum ſunt, in medio vultus poſitum, eminens & oblongum, tum ad recipiendos rerum odores, tum ad purgandum caput, & ad excrementitios ſeroſo-mucoſos emungendum humores a natura ordinatum.*

Jam partes naſum conſtituentes expendamus, quibus expenſis, patebit naſi organum, ejusque officium amplius inclareſcet.

Vnde cum primis, haud ſecus ac auris, naſus in *internum* & *externum* dividitur, & ex oſſibus, nervis, & proceſſuum mamillarium propaginibus conflatur.

Naſum igitur externum rurſus in *ſuperiorem* & *inferiorem* Anatomici ſubdividunt; atque ſuperiorem partem oſſeam & immobilem *naſi dorſum* vocant, cujus pars acuminata *ſpina*, tanquam mobilis & cartilaginea, hujus vero extremitas *globulus*, ſeu *orbiculus*, & demum ab HIPPOCRATE *extrema pinnula* nuncupatur.

In

In non nullis, quibus nempe extremæ cartilaginis mucro divifus effe confpicitur, duplex dicta apparet pinnula; nafi vero partes laterales utrinque verfus genas fpectantes *fcapularum*, harum vero infimæ partes *alarum* feu *pinnarum*, ac pars narium media prominens & vicina labio *columnæ* nomine infigniuntur.

Nafus jam internus in duos finus, feu cavitates, fepto in narium medio pofito, difpefcitur, quarum quævis fingillatim partibus odoriferis aditum pandit, atque etiam aerem hi finus admittentes in-& exfpirationi ferviunt, ac furfum afcendentes cavitates in duo terminantur foramina, quorum unum ad os *fpongiofum*, fupra palatum vero ad fauces & interiora oris alterum hiat, per quod, quum aer in-& egreditur, non femel potum, præfertim nobis repente ridentibus, per nares ejici, aquam vero, feu tabaci granula in fauces immitti, ac per os elabi, & falivæ mixta exfpui, obfervatum habemus.

Vt vero nares a quibusvis heterogeneis, *pulveribus* fcilicet, *mufcis* & *paleis* &c. quæ forte in narium cavitates impingerent, & molefta effent, defenderentur, ad cavitatum oftia nati pili, *vibrifci* dicti, confpicui funt, dictorum heterogeneorum aditum & allifum prohibentes.

Præterea in his narium cavitatibus fubftantia quædam fpongiofa, ex offis *cribriformis* inferiore parte orta, confpicitur, quæ depluentis muci repentinum in nares influxum tardaret, & moderaretur.

Atque hæc carnofa & fungofa fubftantia tenui exquifiti fenfus membrana, a dura matre per offis cribriformis foramina prodeunte & prognata, veftitur, quæ pervia & porofa muco defcendenti præbet tranfitum, ac pro re nata, & rebus irritata acribus, non raro fternutationem excitat.

Ipfa vero narium fubftantia, præfertim vero earum fuperior & immobilis pars offibus adintegratur, & quidem duobus

lateralibus, ac *uno interno medio*, quo naſus in duas partes dividitur; atque hoc medium in media frontis baſi ſitum, ſpongioſum eſt, quod os *ethmoides*, vel *cribroſum* nominant, cujus pars interior capiti juncta multis foraminibus cribri inſtar pervia videtur.

Inferiorem narium partem, qua nares adhærent oſſibus, quinque firmant cartilagines, duæ *ſupernæ* & *latiores*, quæ quo magis deſcendunt, eo evadunt molliores, usque adeo, ut ad naſi extremitatem in ligamenta abeant. Harum tertia *ſeptum medium*, ſeu illud interſtitium format, quo narium canales ſegregantur. Quarta & quinta ceu duæ inferiores cartilagines narium *alas*, ſeu *pinnas* conſtituunt, per membranoſum ligamentum in ſumma extremitate adeo junctæ, ut unam cartilaginem repræſentent.

Harum jam cartilaginum motui quatuor muſculorum paria ſerviunt, quorum duo paria naſi dilatant foramina, reliqua, pro re nata, narium cava claudere ſolent, & conſtringere.

Nervus utrinque unus, a tertio prognatus pari, per foramen commune in majorem oculi angulum, abhinc in narium membranam internam, inde in ſubſtratam carnem inſeritur. Arterias *carotides*, venas *jugulares*, quarum allato ſucco nutritio nares nutrirentur, naribus ſuppeditant; atque hæ arteriolæ, venulæque interiori narium membranulæ intertextæ ſunt, quæ *membranula ut nervea*, & *oppido ſenſibilis*, verum odoratus organum conſtituit & inſtrumentum. Igitur

ODORATVS *fibrillarum nervearum, ſeu interioris narium membranulæ protinus nerveæ ab effluviis rerum odoriferarum facta eſt impreſſio, ope ſpirituum animalium per nervos delata ad commune cerebri ſenſorium, ibidemque percepta & judicata ab anima.*

Objectum igitur *odoratus* effluvia *ſalino-ſulphurea*, aliaque ex corporibus odoriferis exhalantia, & ope aeris ad naſi nervos, ſeu ejus membranam nerveam delata conſtituunt; pro

quo-

quorum effluviorum diſcrimine, & diverſa affectione odor *gratus*, *ingratusve* ſit, diſcriminatur.

Id genus ergo corpora, quæ effluviis *ſalino-ſulphureis* deſtituuntur, vel *ſal volatile* in iis contentum ligatur, ne exhalare queat, quod in corporibus nimis arctis & coarctatis ſit, inodora ſunt.

§. XI.

De Guſtu.

Lubet modo ad quartum ſenſum nempe *guſtum* progredi, cujus, ſicut vocis & ſermonis, linguam unum verumque eſſe organum, nuſpiam dubitatum fuit.

Priusquam igitur *guſtus rationes* clarioribus ſignificatas denus vocibus, ejus organum, ſcilicet *linguam* ſuis momentis ponderare præſtat.

LINGVA *itaque a lingendo dicta corpus organicum, carneum, molle, rarum, laxum & ſpongioſum eſt, ac in ore ſub palato ſitum, oblongum, latum, & ad radicem craſſius, in ad extremitate dentes tenuius acutius, volubile & mobile conſpicuum, non ſolum oſſi hyoidi, laryngi, faucibus, & tonſillis alligatur, verum etiam venis & arteriis, muſculis & glandulis, nervis & vinculis, quibus moveri, ſentire, & nutriri poſſet, conſtat; atque ut verum guſtus & vocis, ſuæ ſingularis compagis gratia, eſſet organum, a natura ordinatur.*

Venas igitur *jugularis*, arterias *carotis* linguæ tribuit, ejusque ſubſtantia quinque muſculorum paria, quibus flecti & reflecti, trahi & protendi, ac in ore volvi & revolvi poſſet, numerat; atque hæc inter paria unum linguam attollit, alterum eam deprimit, duo protendunt, & duo linguam retrahunt, nam duo identidem ad dextrum & ſiniſtrum latus flectunt.

His igitur muſculis lingua, ut in omnem partem verſari queat, munitur; ne tamen in *mobile perpetuum* apud quosdam, (vel potius *quasdam*) lingua verteretur, valido ligamine, cu-

jus extremitati adnatum funiculum *frenum linguæ* nominamus coercetur, ſuoſque inter continetur limites.

Vt vero guſtus, ſermoniſque munus rite lingua ſubiret quum fibris valde tenuibus mirum inter ſe invicem intertextis tum nervis motoriis & guſtatoriis firmatur, quorum par *firmiu* interiora linguæ percurrens a ſeptima conjugatione, par ver tenuius exteriora membranæ perreptans a quarta conjugation originem trahit.

Glandulis præterea, *ſublinguales* dictis, lingua non ſolum ad ſu radicem, verum etiam ad utrumque latus diſtinctis, a quibu ductus ſalivales ſeroſum fundentes laticem undique promanan irrigatur; ab his itaque glandulis, & ductibus ſalivalibus tot dem velut rivulis & fontibus ſaliva, ſeu ſalivalis humor (lii gua & faucibus continuo ſermonis, maſticationiſque exerc tio ſiccatis & areſcentibus) guttatim ſtillans a natura ad *reſtii guendam ſitim, juvandos linguæ motus, ſapores diſtinguendos, & ci bos comminuendos deſtinatur.*

Nec tamen ſola lingua ad articulatam proferendam voce ſufficit, verum etiam in primis coadjuvante larynge aſperæ a teriæ capite tanquam vocis modulandæ organo (quo emiſſi e pulmonibus aer in varios ſonos modificatur) palato ite dentibus & labiis vox etiamnum rudis diſtinguitur, hiſque co currentibus partibus vox prius rudis, jam perfecta & articulat qua homo differt a brutorum murmure, concinnatur; atqu hac vocis excellentia & intelligentiæ præſtantia propius a beatas mentes accedemus.

Quam ob rem guſtus, cujus objectum *corpora ſapida* ſun producitur, quoties hæc corpora ſalivali humore ſoluta lii guæ poros ſubeunt, ejuſque *papillas nerveas* ceu verum guſti organum diverſimode afficiunt, eaſque aut leniter titillant, au vellicant, mordent, & irritant, aut pungunt, contrahunt quæ diverſa papillarum nervearum impreſſio & affectio defe

tur

tur continuatione nervorum ad commune cerebri ſenſorium, in quo percepta ab anima dijudicatur. Ex quibus conſequitur,

GVSTVM *eſſe ſenſationem externam, ſeu affectionem & impreſſionem papillarum linguæ nervearum, ejusque tunicæ nervoſæ a particulis ſapidis ſalinis inductam, hinc continuatis nervis, & motu ſpirituum in iis undulantium delatam ad cerebrum, ibidemque perceptam & judicatam ab anima.*

§. XII.

De Tactu.

E Senſuum externorum agmen denique claudit ſenſus *tactus*, cujus organum cutim, ſeu potius cutis eſſe *papillas nerveas*, Anatomes periti ad unum omnes conſentiunt.

Cutis enim per univerſi corporis extenſa ambitum non modo generale corporis integumentum, ac præcipuum *inſenſibilis perſpirationis & ſudoris* emunctorium, per cujus poros tenue inutile & excrementitium ſerum *ſalino-ſulphureum halituoſum* e corpore proſcribitur, verum etiam ſuis fibris membranaceis vario modo inter ſe ſe intertextis, & in exquiſiti ſenſus papillas nerveas deſinentibus genuinum tactus organum conſtituit. At vero, quoniam hæ fibrillæ nerveæ ſenſibili membrana præcipue in vola manus & extremitate digitorum veſtitæ confluunt, hæ cutis partes præ reliqua cute ſenſu tactus excellere, indubia experientia teſte comprobatur.

Quoties igitur hæ fibrillæ nerveæ, undique cuti inſertæ & cuticulæ, ab objecto externo tacto aut tangibili feriuntur, & tanquam pulſantur ictibus, illico hic impulſus & alliſus continuatis nervis ope ſpirituum ad commune cerebri fertur ſenſorium, ibidemque percipitur; qua ratione objectum tactum, *calidum* nempe an *frigidum*, *humidum* an *ſiccum*, *molle* an *durum*, *dolens* aut *indolens* fuerit, diſtinguitur ab anima.

Ex quibus pronum utique promptumque eſt colligere, pro objecti tangibilis diſcrimine tactus ſenſum differre; atque adeo

ſi

ſi ab objectis rigidis & aſperis fibrillæ cutis nerveæ tangantur ſenſus triſtes, ſi vero placide & leniter afficiantur, gratam ſenſationem cum quadam animi voluptate enaſci, prorſus ex natura rei conſequi videtur. His præmiſſis dicimus:

Quod TACTVS *externa ſenſatio ſit, a corpore tangibili cuti fibrillis nerveis, & membranæ nerveæ impreſſa, hinc nervorum continuitate, & motu ſpirituum animalium communi cerebri ſenſorio communicata, in quo percipitur & judicatur ab anima.*

§. XIII.

De ſenſibus internis, eorumque ſede & domicilio.

Eam in nobis actionum excellentiam refloreſcere, diſtinctas nempe *cogitationes*, *appetitiones*, *averſiones*, actiones item liberas, *intellectiones*, & *volitiones*, quarum omnium nobis conſcii ſumus, quæ neque a figura, ſitu, magnitudine, neque ab unione & diſpoſitione *fluidorum* & *ſolidorum*, neque a horum virtute nitente & renitente aut motu tonoque pendent, ſed mechaniſmo, ſeu coordinatione motuum & functionum, e ſtructura, ſitu, & unione partium *ſolidarum* & *fluidarum* promanantium, quoddam altius & ſuperius principium (quod motus partibus impreſſos ſolidis percipit & diſtinguit) ſupponunt, certius longe & evidentius eſt, quam ut animum in dubio verſari ſinat. Siquidem eum in finem anima unita eſt cum corpore, ut per certos motus nervis, nervoſisque impreſſos partibus, variæ, & diſtinctæ *ſenſationes* & *perceptiones* ſuſcitentur, & producantur ab anima. Vnde recte de ſenſu interno ſtatuitur: quod ſit

PERCEPTIO *certæ ideæ, ſeu notionis de diverſis producta motibus ab anima, cujus illa conſcia eſt.*

Atque adeo ſenſus interni illæ ideæ & notiones ſunt, quæ ab organis certo modo & ordine affectis deſcendunt, & proveniunt, ac in communi cerebri ſenſorio ſuſcitantur, & repræſentantur, demum & percipiuntur ab anima, id, quod vel ex

eo

eo perſpicuum conficitur, quo certius conſtat, ad certos corporis & organorum motus certas, ſimilesque excitari ideas in anima, & contra certas ideas animæ certos ſequi corporis motus, adeoque animam in ſuum corpus, & corpus ſuo modo agere in animam, ac intimam corpus inter & animam unionem, conſenſionemque intercedere, conſtans obſervatio & horaria experientia ſat ſuperque probatum, teſtatumque volunt, licet modus, quo anima in corpus ſolet agere, nos fugiat, cujus animæ conditorem fuiſſe conſcium, nobis ſufficiat, qui non niſi limitata poteſtate agimus, cognoſcimus, & operamur.

Speciatim vero nominatimque quatuor ſenſus interni numerantur, quorum primus *ſenſus communis* dicitur, eo quod omnium ſenſuum externorum objecta, eorumque affectiones & notiones in ſe recipiat, atque a ſenſoriis externis (per nervos, & in fibrillas nerveas influxum ſpirituum) in ſenſorio communi exceptas apprehendat, cognoſcatque.

Secundus ſenſus internus *phantaſia* ſeu *imaginatio* eſt, quæ notiones & affectiones a ſenſoriis, ſeu organis externis ad ſenſorium commune adductas & præſentes & abſentes colligit & ſervat, easque ceu objecto ſuo conformes vel difformes combinat & indicat; unde falſæ imaginationes objecto ſuo diſſentaneæ *phantaſmata* nuncupari ſolent.

Tertius ſenſus internus *memoria* eſt, quæ intento ſemper in actus præteritos oculo rerum ſpecies & imagines, a phantaſia traditas, conſervat, ſuo tempore excitandas & producendas in actum.

Quartus denique ſenſus internus *judicium* eſt, quo unum illatum ex alio judicatur, & num rerum *apprehenſiones*, *cognitiones* & *perceptiones* objectis ſuis conveniant, aut diſſentiant, ſententia fertur.

Ex quibus igitur penitius inſpectis, nihil ſenſus externos abſque internis valere ſenſibus, pronum eſt colligere; quid

enim visus esset aliud, *nisi cognitus*, quam speculum sine repraesentatione? quid auris concha *absque sono*, quid narium cavitates *sine odore?* inane nihil. Prorsus igitur oportet, ut hae sensationes externae cognoscantur, & percipiantur, atque adeo sensus externos ad internos sensus inevitabili necessitudine referendos esse, extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur.

Superest modo in natalem sensuum internorum inquirere locum & domicilium, de quo necdum inter Eruditos constat. Interim, diversis sensibus diversa loca & domicilia assignanda esse, nobis persuadetur: sic in fatuis & dementibus laesa phantasia & apprehensione etiamnum vigere *sensum communem*, nobis dormientibus ligato sensu communi *imaginationem* operari & *phantasmata*, violato gravius occipite, dum ceteri sensus illaesi sunt, languere *memoriam*, experientia constat. Inde est, non nullos cum WILLISIO *sensus communis* sedem in anteriore, *phantasiae* in media, ac memoriae sedem & domicilium in postica cerebri parte collocare. At vero placet nobis communior Medicorum mens & sententia, qua decernitur & sancitur: sensuum internorum sedem *commune cerebri esse sensorium*, utpote locum, in quo omnes nervi concurrunt, seu potius, e quo omnes nervi provenire, suosque natales ducere solent. Sed his incertis & paradoxis, velut certis & vero consentaneis, donec saniora docti fuerimus, acquiescendum esse, & suadet ratio, & necessitas efflagitare videtur.

Porro hic quamdam de *somno* & *vigiliis*, quae ad actiones animales referuntur, mentionem ingerere, operae esse pretium existimavimus. Vnde dicimus:

SOMNVM *animae actionum ad tempus cessationem esse, ortam ab influxu spirituum in sensoriis externis diminuto & languidiore, atque magis ad partes interiores cor & pulmonem &c. vergente, quo fluidorum circulus, resolutio & excretio promoventur.* E diverso

VIGILIAS *somno oppositas, constans esse sensuum externorum & internorum exercitium, a continuo spirituum animalium in organa sen-*

suum

ſuum externorum influxu, & iis impreſſa affectione ortum, ad operationes in primis animales perficiendas ordinatum.

SECTIO VI.

De natura hominis.

§. I.

Spectato jam homine, ejusque partibus eſſentialibus, & integralibus, *anima* & *corpore*, corporisque *ſolidis* & *fluidis*, nec non ex his redundantibus actionibus tum *naturalibus*, *vitalibus* & *animalibus*, tum ſecretionibus & excretionibus altius expenſis, natura modo hominis adeunda erit, in cujus notionem tuendæ ſanitatis gratia penitius inquirere, æquo & jure oportebit.

Profecto namque & perſpicacis Medici, & hominis ſuæ ſalutis avidi nihil magis intereſt, quam ſuam (firma an infirma ſit) penetraſſe naturam, qua cognita perſpectaque, ſanitas facilius conſervanda, & in tutis collocanda, læſa & perdita ſalus promtius reddenda & redintegranda erit. En igitur naturæ humanæ notionem!

NATVRA HVMANA eſt *quoddam omnium cauſſarum tum activarum tum paſſivarum rite & ſecundum leges a Deo iis inditas operantium complexum, ad functiones omnes & ſingulas humani conporis edendas & producendas proxime aptum & expeditum.*

Quandocunque enim omnes cauſſæ & *activæ* & *paſſivæ*, omnes item & ſingulæ humani corporis partes tam *ſolidæ* quam *fluidæ* ita comparatæ & attemperatæ ſunt, ut ad operandum perfecte aptæ, ac ad ſuas quasvis actiones, *naturales*, *vitales* & *animales*, ſecretiones quoque & excretiones exercendas & perficiendas proxime expeditæ fuerint, in eo corpus humanum verſatur ſtatu, cui *naturæ* prærogativa tribuitur, quem & Scholæ Medicæ *naturam* ſalutare conſueverunt.

Atque adeo quamprimum una ex præfatis caussis, vel partibus quum *solidis*, tum *fluidis* quacunque demum ratione læsa fuerit, aut labem quamdam subierit, amodo naturam deficere, eamque violari, & non modo plus minus lædi actiones hominis, sed & suo modo *vitam sanitatemque* contaminatum iri, inter omnes constat. Vnde si id genus labes & violatio dictarum caussarum & partium gradus sumpserit, & obfirmetur, natura impotens & enervis redditur, fracta viribus solutaque esse fertur: **die Natur ist schon verdorben.** Quam actionibus suis obeundis imparem, & qua data vel etiam levissima caussa ad morbos contrahendos proclivem senties, ac promptam paratamque experieris, inde in vernacula ajunt: **Es schadet mir gleich alles.** Quibus ita stantibus periclitari *vitam* & *sanitatem*, res ipsa loqui videtur, adeo quidem: ut is, cujus natura jam fracta & enervata esse censetur, non modo misere cogatur vivere & medice, ac rigorose diæteticis alligatus regulis, verum etiam vel leviore patrato diætæ errore irruet in morbos & ægritudines, quibus affectus longe gravius iis, quibus beatior naturæ conditio favet, decumbet, tardiusque certe morbum vincet, & difficilius sanabitur, arduo prorsus negotio rediturus in gratiam.

Candide proinde suæ quemque salutis amantem hortor, ut naturæ suæ vigorem integritatemque, si valere & senescere cupiat, salubri diætæ regimine sartam tectam servare omnibus conetur viribus.

Hucusque pronunciata non modo experientiæ esse consentanea, verum etiam gravissimis corroborari probatissimorum Authorum testimoniis, propediem constabit. Atqui hos inter novissime in lucem prodiit Illustrissimus & Excellentissimus Archiater Cæsareus Vindobonæ Medicinæ Interpres maximus, vir e Cathedra & re Medica meritissimus GERARDVS VAN SWITTEN, qui in suis Prolegomenis §. I. *fol. 3.* ita ait: *Natura est aggregativum omnium conditionum physicarum, quæ requiruntur, ut vita sit constantissima, durabilissima, & simul agilissima mobilitas, sed*

hoc

hoc est perfecta sanitas : si aliquid deest, est natura deficiens, & ille defectus morbus est.

Huic concordi accedit tenore maximi nominis Medicus, & Halæ Magdeburgicæ Professor Primarius, ac Consiliarius Regius, docendo & medendo Inclytus FRIDERICVS HOFFMANNVS, qui in sua Philosophia corporis humani CAP. III. *fol.* 278. de natura paucis ita differit: *Per naturam nihil aliud intelligendum, quam universa œconomia motuum, qui in partibus solidis & fluidis ad tuendam corporis vitam & incolumitatem vigent.*

Nihil ab his artis Medicæ Atlantibus differt magnifice doctus, ejusdemque Hallensis Universitatis in Medicis Professor Eximius ERNESTVS STAHLIVS, dum in sua Physiologia SECT. II. *memb.* 3. de natura hominis in hæc verba prodit: „ Quum natura potius in plena sua, & quod ajunt, absoluta „ perfectione consideratur; quasi diceres: quando hominem „ exacte, & secundum naturam constitutum non solum tem„ perie, atque conformatione exquisita, sed etiam magnitu„ dine, atque maturitate corporis integrum, & omnibus nu„ meris absolutum ad quaslibet actiones perpetrandas ido„ neum concipimus, aut præfiguramus, hanc ejus perfectam „ constitutionem, qualis vel uno obtutu conspici, vel sub „ uno pleno schemate in mentem venire posset, *naturam* ho„ minis appellamus: quod alias *veræ indolis*, & *internæ constitu„ tionis* nominibus, atque conceptibus exprimere solemus.

Atque adeo ex hucusque recensitis non modo rebus nostris accessionem addi, verum etiam de plena veræ naturæ notione constare, merito existimemus.

§. II.

De temperamento hominis.

Arctiore affinitatis fœdere naturam ad temperamentum accedere, ut noſtro duntaxat concipiendi modo differant, utriusque rationes volventi animo minime obſcurum erit. Siquidem

TEMPERAMENTVM *definitur: quod ſit certa partium tum fluidarum, tum ſolidarum habitudo & diſpoſitio ad motum circulatorium ſanguinis, aliosque humani corporis motus & actiones tam naturales quam vitales & animales perficiendas & producendas ordinata.*

Quandoquidem ſicut in toto humano ſpectato *ut mixto*, ex certa elementorum diſpoſitione & numero certa craſis & temperies ad producendas qualitates, *calorem* nempe, *ſiccitatem*, *frigus* & *humiditatem* proxime apta oritur, ita ex certa humani corporis ſimul *ut vivi* ſpectati, partium & *ſolidarum* & *fluidarum* habitudine & diſpoſitione certam enaſci craſin, mixtionem & temperiem ad quosvis œconomiæ animalis motus & actiones perficiendas proxime aptam & expeditam, rerum momenta tantiſper ſecum reputanti extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt.

At vero ſicut in diverſis ſubbjectis & hominibus partes *ſolidæ* & *fluidæ* differunt, illis modo *ſtrictioribus*, modo *laxioribus* exiſtentibus, horum vero craſi & temperie modo *calidiore* & *ſicciore*, jam vero *frigidiore* & *humidiore* incedente, ita temperamenta pro harum partium differentia & craſi diſtinguuntur, quæ non ſolum in quatuor claſſes, in temperamentum ſcilicet *ſanguineum*, & *cholericum*, *phlegmaticum* & *melancholicum* amant dividi, verum etiam diverſis temperamenti rationibus diverſam rationem hominum, diverſas hominum vires, robur, actiones, animi quoque mores & inclinationes in acceptis referendas eſſe, quum

ſoli-

ſolida ratione colligitur, tum conſtante experientia ratum teſtatumque habetur.

Ex quibus itaque, cauſſas naturæ æque, ac temperamenti *internas* & *proximas*, ipſas eſſe partes *ſolidas* & *fluidas*, pro quarum diverſa habitudine, mixtione & combinatione diverſum temperamentum exſurgit & conficitur, quisque facile augurari poteſt.

Qua vero hæ partes internæ diverſæ *ſolidæ* & *fluidæ*, a quibus diverſum pendet temperamentum, ſint origine natæ, quæ & harum partium cauſſæ exiſtant, modo inveſtigemus.

Atque adeo id genus cauſſæ externæ, quæ differentes adeo internas partes, hinc diverſum quoque temperamentum conſtituunt, variæ numerantur: & quidem I. *Diſpoſitio hereditaria*, a qua eadem vel ſimilis internarum partium *ſolidarum* & *fluidarum* indoles & conditio, immo organica compages corporis, mores & inclinationes in liberos, patris, matrisque effigiem exhibentes, hereditario tanquam jure redundarunt.

II. *Ratio educationis*, præcepta, mores, quibus tenellulæ naturæ Præpoſiti & Majores noſtri prælucent, qui & mores facile a teneris molli naturæ indoli imprimuntur & implantantur ad immutandas internas corporis partes *ſolidas* & *fluidas* diverſumque conſtituendum temperamentum plene planeque ſufficere videntur.

III. Diverſæ cœli, terræque plagæ, diverſa aeris & climatis ratio, quod incolimus, quo nutrimur & educamur, varia item victus conditio, quæ noſtras corporis partes & naturam tanta immutandi potentia inſtructa ſunt, ut ex iis diverſimode contextis, & combinatis diverſum exſurgere & pullulare temperamentum, viventibus indies videamus oculis.

Ad diverſæ igitur rationis temperamenta ſuis ſpeciatim ponderanda momentis modo nobis tranſeundum erit.

§. III.

§. III.

De temperamentis, ſanguineo, cholerico, melancholico & phlegmatico, eorumque cauſſis, notis & notionibus.

E Diverſum temperamentum quum a diverſa partium, *ſolidarum*, tum & *fluidarum* ratione, & humoris vel *ſanguinei*, vel *cholerici* ſeu *bilioſi*, vel *pituitoſi*, aut *melancholici* prædominio & eminentia ſuam denominationem ſortiri forte nemo ullus vocabit in dubium. Atque inde eſt, aliud temperamentum *ſanguineum*, aliud *cholericum* ſeu *bilioſum*, illud *melancholicum*, hoc *pituitoſum*, ſeu *phlegmaticum*, ad eminentiam ſanguinis aut bilis &c. nuncupari.

Qua de cauſſa cum primis TEMPERAMENTVM SANGVINEVM *eſt, quod quo ad partes fluidas, pluribus partibus ſpirituoſis, plus minus aqueis dilutis, hinc ſanguine copioſiore fluido & temperato; quo ad ſolidas, fibris mollibus, laxis & flexibilibus, hinc habitu corporis teneriore, ſpongioſo, venis copioſis, ſed exilibus, per quas ſanguis placido, & ſecundo fertur flumine, inſtructum eſt.*

Vnde dicta partium *ſolidarum* & *fluidarum* ratio non modo temperamenti *ſanguinei* cauſſas ſubit, verum etiam hujus ipſius temperamenti notas ſuggerit, quibus in notionem conſtitutionis *ſanguineæ* pervenire licet.

Verumtamen adhuc aliæ occurrunt notæ, quas ceu affectiones & proprietates temperamenti ſanguinei reſpicimus, quibusque ſanguineæ conſtitutionis notionem conſequemur.

Atque adeo ſanguinei in primis libertatem, hilaritatem & voluptates amant, res gratas, quas æſtimare norunt, appetunt; ſectantur otium, honores & gloriam; æquitatis amatores non vafro, ſed candido delectantur animo; ardua horrent negotia, caſus ſubitaneos pertimeſcunt, in quibus conſilii inopes trepidant, iis vero ſuperatis triumphant, & quousque pericu-

lum

lum abest, gloriantur, ac suo facile indulgentes genio, curarum & sollicitudinum immemores, grata mentis libertate fruuntur. Alius est rationis

TEMPERAMENTVM CHOLERICVM seu BILIOSVM; *in quo in ordine ad partes solidas, fibræ sunt tensæ, aridiores, teneriores & duriores, vasa, quæ vitalem vehunt purpuram, angustiora; habitus corporis gracilior; quo ad fluidas, sanguis & humores sunt tenuiores & acriores, plus minus salini & sulphurei; hinc & fortius & celerius per vasa & canales circulantur.*

Vnde hæc dicta *solida* & *fluida* non solum caussam temperamenti cholerici constituunt, verum etiam sunt argumento, ex quo biliosa constitutio intelligi, & ex aliis suis proprietatibus amplius colligi potest.

Siquidem cholerici præcipitis sunt animi, in agendis & gerendis rebus veloces, audaces, vigiles, alacres, rerum gerendarum capaces, atque sua sparta cum laude potius & dexteritate, quam probro & dedecore funguntur. Ad iram proni & iracundiam ocyus exardescunt, & facile in hostem irruunt, ad pugnam parati mox prodeunt in arenam, ridentes pericula, sibi promittentes victoriam, qua delusi, nihil curant, nihil verentur, sed audaces & temerarii novos reassumunt spiritus, rursus in hostem irruentes, atque eo ipso spectant gloriam cum aliorum vilipensione & contemptu; otii moræque impatientes labores amant, eousque intenti, ut habeant, quod agant agilis & inquieti animi. Verum

TEMPERAMENTVM contra MELANCHOLICVM *est, quo instructi, spectando partes solidas, fibras habent aridiores, duriores, vasa angustiora, per quæ liquida tardius feruntur, & carnem compactam arctius; quo ad partes fluidas, sanguinem & humores a particulis salinis acidis, & fixis, aqua minus dilutis, spissiores; unde in hoc temperamento motus & actiones tardius succedunt, & impeditius absolvuntur.*

Qua de caussa dicta *solida* & *fluida* hoc temperamentum constituunt, notionemque præbent, qua melancholica corporis

conſtitutio cognoſci, atque amplius ex his ſuis proprietatibus præſagiri queat.

Vnde melancholici ex ſanguine & humoribus ſpiſſioribus, horumqne motibus & actionibus tardioribus ſunt triſtes, timidi, ſuſpicaces, anxii, diffidentes, hinc res, rerumque circumſtantias altius expendunt, & ſollicite nimis ruminantur infelices potius, quam felices rerum ſuarum exſpectantes metuentesque eventus, unde cautos ſe ſe & circumſpectos in agendis, gerendisque probant.

In ſeriis & altioris momenti negotiis induſtrii, ſolliciti & indefeſſi ſunt, eorum tamen metus & ſollicitudo nimia, quibus anguntur, rerum proſpero ſucceſſui non raro remoram ponunt.

In rebus arduis ad extrema demum deſcendunt remedia, & recti tenaciſſimi nulla ratione, aut arduo prorſus molimine in adverſam partem trahi, & revocari poſſunt. A fraude, technis, doloque alieni, candido delectantur animo, æquique amantes, ſolitudinem quærunt, quo commodius ſuo indulgerent genio; interim forte fortuito in gratam amicorum ſocietatem incidentes ſolito plus, & eousque lætantur, ut etiam ceteros hilaritatis ſocios non ſemel longe jucunditate ſuperent. Certe, ſi attendimus, id genus lætandi rationem melancholicum & hypochondriacum præſagire animum, non raro experiemur. His denique ſuccedit

TEMPERAMENTVM PITVITOSVM ſeu PHLEGMATICVM, *quo præditi, quod partes ſolidas attinet, fibras & nervos molles, ac flexiles, hinc vaſa ampliora, & carnes flaccidas, ac debilius ſolidorum robur gerunt; quo ad partes fluidas, pauciores fovent ſpiritus, adeoque ſanguinem & humores tenaces viſcidos, & tardius progredientes, unde motus & actiones in hoc temperamento lento pede peraguntur.*

Atque adeo ex hac partium & *ſolidarum* & *fluidarum* ratione non ſolum dictum hoc oritur temperamentum, verum etiam

ex

ex aliis mox commemorandis qualitatibus phlegmatica corporis conſtitutio propius colligetur.

Enim vero ſegnes & torpidi pituitoſi ſunt, tardius & lentius in actionibus ſuis incedentes; objecto quidem grato, quod præſens eſt, delectantur, ignari tamen rationis deliciarum; a ſolis ortu usque ad occaſum nulla rerum ſuarum cura, nullaque tenentur ſollicitudine; languent in ſuis functionibus, in quibus incurii, & laboris pertæſi mox laſſantur, & nunquam ſolliciti in craſtinum, amando otium & ferias perſeverant. Cum primis vero in avaritiam inclinant, rati, ob præſens bonum amiſſum, vel amittendum novo opus eſſe labore, novoque onere, quo bonum amiſſum recuperetur. Anxii, item torpes & ſomnolenti, timent majoris momenti negotia, ad imminens malum deſperant, & propediem eſſe conclamatum exiſtimantes, ſuo facile jure cedunt.

Atque hactenus recenſita temperamenta *ſimplicia* ſunt, quorum plura conjuncta temperamentum *compoſitum* conſtituunt, nempe *ſanguineo-melancholicum*, vel *ſanguineo-bilioſum* &c. quorum naturam, & proprietates explicandi ratio ex ſimplicibus nullo labore poteſt colligi.

Porro hanc temperamentorum notionem non modo Medico ad diſtinguenda objecta, eorumque tuendam valetudinem, verum & aliis ſalutis ſuæ amantibus, ut quid commodum ſibi, noxiumque ſit, perſpicerent, ſummopere neceſſariam fore, facili quisque negotio deprehendet. Haud igitur otioſum fuerit ſuo cuivis temperamento ſuum aſſignare diætæ regimen. Vnde ſit

§. IV.

De temperamentorum diætæ regimine.

Quemadmodum temperamenta differunt, ita & diætæ regimen, quo ſuo in vigore & integritate temperamenta conſerventur, diſtingui præſtat.

Quapropter quum in primis *ſanguinei* ad uberiorem ſanguinis geneſin inclinent, ac procreando ſanguini idonei nati ſint, ea ſtudioſe fugiant, quæ largiori ſanguinis partui materiam ſuggerunt, & cumulando cruori patrocinantur.

Quam ob rem *ſanguineis* cum primis commendanda eſt ſobrietas, victus temperantia, & auſterius non nihil vivendi genus & genius.

Præcipue vero, & ſpeciatim, ut ſibi a *dulcibus*, *ſpirituoſis*, ac *generoſis vinis & cereviſiis*, *ſpiritu vini*, a *nimio eſu carnium*, præſertim *ſuillæ*, *bubulæ* & *vitulinæ*, a *gelatinoſis*, *ovis ſorbilibus*, *cremore hordei*, *avenæ*, ac ſomno diurno, nocturnoque immodico ſibi attemperent, optimo ſuaſerim conſilio, id, quod etiam atque etiam, quoniam hæc omnia ſanguinem accumulant, ejusque incremento gradus addunt, ſanguineis altius inculcatum volo.

Jam vero quæ ſanguineo præditis temperamento profutura ſint, ocyus commemoremus. Apprime igitur iis conveniunt aer temperatus, vinum aqua dilutum, motus moderatus, venæ ſectiones, quæ ſanguinis copiam minuunt; excretiones vero ſanguinis naturales ſuo conſerventur ordine. Reliqua.

Quod modo ad temperamentum *cholericum* ſeu *bilioſum* attinet, novimus ejus fibras eſſe tenſas & teneriores, ſanguinem vero acriorem, calidiorem & fluidiorem; unde *cholerici* ab iis ſedulo caveant, quæ ſanguinem & humores acriores reddunt, calorem inducunt, ſanguinem & humores in concitatiores motus agunt; verum ea potius in votis habeant præſidia, quæ ſanguinem dulcificant, humorum impetuoſos motus moderantur; iisque placidam quamdam temperiem (optimam ſanitatis conſervatricem) conciliare ſolent.

Qua de cauſſa *cholerici* in primis quovis modo evitent longius, vehementiusque motus exercitium, cibos item *aromaticos*, *ſalſos*, *acres*, *potus ſpirituoſos*, *generoſa falerna*, *cereviſias fortes inebriantes*, *ſpiritus vini*, *thee*, *caffee*, & *chocolatam;* fervidiores ſolis æſtus, & aerem calidiorem, iram & immoderatam animi commotio-

motionem, medicamenta validiora purgantia, *ſudorifera*, & *vo-latilia ſpirituoſa*, nimias vigilias, & quæcunque ita comparata ſunt, ut calidiorem acrioremque ſanguinis & humorum intemperiem inducant, eorum calorem augeant, ac inflammationes accerſant, omnimode evitare conentur; hinc etiam periculo non vacant, aer, potusque intenſe frigidus, præſertim incaleſcente corpore inſpiratus, & aſſumptus, ejus quippe indolis, ut *inſenſibilem perſpirationem* cohibeant, ſanguinis ordinatos motus depravent, & in ſtaſes ac congeſtiones cogant, ex quibus inflammationes, & diverſi generis febres proficiſci, obſervationes Medicæ teſtatum faciunt.

E diverſo autem cholericis optato ſunt præſidio potus temperatus, aquoſus, vinum probe aqua dilutum, edulia humectantia, *carnium*, *hordei* & *avenæ* brodia tenuia, temperatus hypocauſti, aeris, & ſolis æſtus, denique per omnia mediocritas iis ſervanda eſt, præcipue vero excretiones *alvi*, *urinæ* & *inſenſibilis perſpirationis* integras ſervare ſtudeant, dum ſalutem ſuam eſſe inoffenſam cupiunt.

Aliud & ab his diverſum diætæ regimen eſt, quod *temperamento melancholico* opportunum, accommodatumque eſſe exiſtimatur. In hac namque temperamenti conſtitutione ob fibras duriores & denſiores, vaſorum anguſtiam, nec non ſanguinis, & humorum craſſitiem, omnes mentis & corporis motus, actionesque ſuccedunt tardius, & quadam cum difficultate peraguntur; unde ea omnia facile labem aſpergunt melancholicis, quæ ſanguinem & humores condenſant, atque tardiorem eorum circuitum magis magisque ſufflaminare conſueverunt.

Id genus igitur damnum afferunt in primis cibus *acidus*, *craſſus* & *flatulentus*, edulia difficilis concoctionis, carnes nempe *pingues*, *ſuillæ*, *fumo induratæ*, *ſylveſtres*, *legumina*, *fructus horæi*, *lacticinia*, *cereviſiæ acidæ*, *juniores*, & *craſſiores* &c. non minus noxia ſunt calida, ſpirituoſa & exſiccantia, quæ humidum radicale & ſubtilius abſumunt, quo abſumpto ſubtiliori fluido, ſanguis &

 hu-

humores inſpiſſantur. Incuſandus item eſt aer frigidior, qui condenſat, calidiorque, qui diſſipando fluida ſanguinem & humores inſpiſſat, eorumque motibus & circuitibus ponit limites.

Pariter ex hac ratione vehementiora animi pathemata ſcilicet *ira*, *terror*, *metus*, *triſtitia* declinanda ſunt, quæ ſanguinis & humorum motus circulatorios turbando & depravando non ſemel ſanitatem gravius violant, morbos accerſunt, atque non raro humani corporis œconomiæ calamitates, ærumnasque machinantur.

Contra melancholicis ſalutaria eſſe cenſentur alimenta facilis concoctionis amodo aromatica, & moderate condita, humectantia & diluentia, potus nempe tenuior, vinum generoſum religioſe ſumptum, generoſius *aqua dilutum*, *brodia carnium tenuia*, *cichoracea*, *hordeacea* & *avenacea*; motus corporis moderatus per gradus auctus; eos quoque non multum ſatiari cibis & impigros eſſe ad labores, ac ſub aere temperate calido & ſereno peregrinationes & itinera inſtituere, nec non omiſſis adverſis animi pathematis, grata mentis tranquillitate gaudere plurimum juverit; excretiones vero naturales ſartas tectas cuſtodire præſtat.

Porro modo ad quartum & ultimum temperamentum *pituitoſum* nempe ſeu *phlegmaticum* progredimur, quod diætæ huic conveniat regimen paucis expenſuri.

Atque hoc præditi temperamento fibras, nervos, & muſculos fovent molles, laxos, flaccidos, & motui impares, ſanguinem & humores minus ſpirituoſos, ſeroſos, viſcidos & aquoſos, ac tardius circulantes; unde omnes & corporis & animi motus ac actiones languent, & quodam cum torpore peraguntur.

Atque adeo in pituitoſis ſanguini & humoribus calcar addere, eos reſolvere, nimium ſerum exſiccare, vires & robur fibrarum firmare, ac frigidam & humidam ſuccorum vitalium intem-

intemperiem ad ficciorem, calidioremque temperiem reducere, e re prorsus fore videbitur.

Quam ob rem *calefacientia*, *exsiccantia*, *resolventia* & *tunica* in pituitosis locum habent, carnes scilicet *assæ*, victus *sale* & *aromatibus* conditus, *cerevisiæ fortes* & *spirituosæ*, *vina generosa*, parum *aqua diluta*, *thee*, *caffee* & *chocolatæ* sorbitiones moderate sumptæ, motus corporis frequentior, itinera instituta sereno cœlo & aere calidiore &c. quibus fibræ & partes solidæ in motus concitantur, humores attenuantur, serum copiosius absumitur & exsiccatur, promoventur sanguinis & humorum motus, itus, & reditus una accelerantur.

E contra a cibo *crasso*, *humido*, *flatulento*, & digestioni renitente, fructibus nempe *horæis*, *crudis* & *vegetabilibus*, *nimiis brodiis*, *carnibus elixis*, *cerevisiis crassis*, *aquosis*, *vinis acidis*, *lacticiniis* &c. ab aere crasso, frigido & humido, vita sedentaria & somno nimio, adversis mentis affectionibus, mœrore, angore, terrore, curis & sollicitudine ex industria abstineant; quippe his omnibus partes *solidæ* & *fluidæ* amplius labem contrahunt, & infirmantur; una & excretionum naturalium successus conservetur, quibus præpeditis aut suppressis, misera hujus temperamenti constitutio rursus violabitur.

§. V.

De Consuetudine.

NATVRA, TEMPERAMENTVM & CONSVETVDO pene eundem subeunt calculum, dum non modo in certo humani corporis partium & *solidarum* & *fluidarum* motu & modificatione consistunt, verum etiam, *consuetudinem alteram esse naturam*, commune fert adagium.

Siquidem ea vis est & indoles consuetudinis in corporis *solida* & *fluida*: ut & iisdem æque mutandis, & innovandis, ac alteri tanquam novæ iis accersendæ naturæ par esse consuetudo cen-

censeatur. Propius ergo consuetudinis ratio indaganda est: unde cum Celeberrimo Fridericianæ Vniversitatis Consiliari dicimus: quod

CONSVETVDO *sit certa & specifica corporis partium, quæ motibus præsunt, ad certos motus edendos, ob frequens & repetitum præcedens exercitium dispositio, qua vel sponte, vel data levi occasione iterum similes motus producuntur.*

Sensus datæ notionis est: naturam consuetudinis in certa partium humani corporis quum *solidarum*, tum *fluidarum* ad certos motus repetendos aptitudine consistere, quæ omnino frequentatis actibus, & repetito præcedentium actuum exercitio natales ducit; atque adeo hæc aptitudo non raro in dictis corporis partibus eousque invaluit, consenuitque, ut in alteram migrasse naturam consuetudo dicatur, indeque ortum sit adagium, quo *consuetudinem alteram esse naturam*, vulgari modo loquendi pronunciamus.

Quapropter quanta cum difficultate natura (quæ in speciali *solidarum* & *fluidarum* partium ad certos motus & actiones præstandas dispositione consistit) exuitur, tanto constabit labore, quo consuetudo (quæ novorum motuum & actionum in partibus *solidis* & *fluidis* repetitis actibus per caussas externas introductio est) pelli & deleri queat, quum æque motus & actiones *consuetudinis*, ac motus & actiones *naturæ* (cujus insita & congenita dispositio desinit, eique alia, & congenitæ opposita succedit) in corporis *solidis* & *fluidis* altiores cepisse radices, inter omnes constat.

Atqui hi consuetudinis motus non solum certis horis & stato tempore redeunt, verum etiam in partibus *solidis* & *fluidis* tantas radices agunt, ut natura, iis ex frequentatis actibus assueta, res in se insalubres, & corpori inimicas non modo impune ferat, verum etiam, hisce rebus insalubribus temere neglectis, quandoque sanitati nævus inuratur. Dicta exemplis illustrantur: sic qui statis horis somno pomeridiano indulget, aut

certo

certo tempore spiritum vini amat bibere, tunc his actionibus ita natura assuescit, ut & eadem redeunte hora idem somni & spiritus vini redeat desiderium, & hæ actiones licet minus salubres a natura impune ferantur, atque derepente omissæ & abrogatæ sanitatis rebus non semel graviores plagas infligere observentur.

Vnde quod modo de consuetudine somni pomeridiani & spiritus vini memoravimus, de aliis etiam rebus noxiis & insalubribus, de noxio nempe aere, pravo victus genere, medicamentis nimiis, adversis animi pathematis intellectum volumus, quarum insalubritas rerum, licet naturæ inimica sit, eum tamen in modum in assuetis minuitur & mitigatur, ut ejus nocendi facultas non solum modo hebetetur, sed & penitus deprimatur.

Optime igitur in res nostras Medicinæ Parens HIPPOCRATES SECT. II. *aph. 50.* ita effatur: *Ex multo tempore consueta in consuetis molestare non solent, etsi sint deteriora. Et aph. 49. assueti debiles ferre possunt ea, quæ inassuetis robustis molestiam creant.*

Pronunciatum HIPPOCRATIS Polonorum & Hungarorum spiritum vini bibendi consuetudo & confirmat, & illustrat, quæ gentes spiritus vini potum etiam largiorem indies adeo impune ferunt, ut si eo carere deberent, pejus brevi haberent, & infirmarentur, ubi si inassuetus id genus generosi nectaris potus attentaret, certe lueret, eumque gustati mellis cum sanitatis vitæque discrimine pœnas daturum fore, nullum subit dubium.

Quam ob rem quæstio modo enascitur, qua ratione ejusmodi rerum etiam noxiarum consuetudo locum habere queat, ad quam regeritur: posse id genus consuetudinem, si a teneris creverit, & a cunis præcipue in naturis robustis, & constanti motuum exercitio obnoxiis, assuefacta fuerit, civitate donari, quæ vero ubi provectiore ætate, forte fortuito & in naturis debilioribus cœpta sit, & continuetur, valetudinis, vitæque fortunis mala minatur, & pericula, hinc ut sensim, non vero dere-

pente (nam omnis ſubitanea mutatio periculoſa) exuatur, candido hortamur animo. Per gradus igitur & lento pede id genus pravam conſuetudinem ponendam eſſe, diſertiſſimus artis Medicæ Cicero CORNELIVS CELSVS contendit, dum ſcite & ſapienter LIB. I. *cap. 3.* in hæc verba prodit: „ Neque ex „ ſalubri loco in gravem, neque ex gravi in ſalubrem tranſi- „ tus ſatis tutus eſt, neque ex multa fame nimia ſatietas, ne- „ que ex nimia ſatietate fames idonea eſt, periclitaturque, & „ qui ſemel, & qui bis de die cibum incontinenter contra con- „ ſuetudinem aſſumit; neque ex nimio labore ſubita intermiſ- „ ſio ſine gravi noxa eſt. Ergo quum quis aliquid mutare vo- „ let, paulatim debet aſſuefacere. „

Inde eſt, quod, qui urbano & concluſo aeri aſſueti temere ad ruralem & liberum aerem, licet in ſe ſalubriorem tranſeunt, nonnunquam ſanitatis ſuæ incurrant periculum, iis quamdam inſolitam laſſitudinem ſentientibus, aliave cum corporis indiſpoſitione confli&tantibus.

Paria fata ſubeunt, qui victus genus etiam crudius in melius, aut patrium ſolum frigidius in calidius commutant, unde Germaniæ gentes, quæ ex patria ſua ad calidiores Italiæ, aut Hungariæ oras conceſſerunt, ſæpe ſæpius ægrotaſſe, immo vitam cum morte commutare coactas fuiſſe, quotidiana experientia ratum & probatum habetur.

Provide igitur & prudenter rurſus præfatus HIPPOCRATES SECT. II. *aph. 50.* monet: *Si quis aliquid mutare volet, etiamſi perniciosum ſit, paulatim hanc mutationem inſtituere debet; quod enim paulatim, ac ſucceſſive fit, illud tuto fit.*

Porro cum ſapientiſſimo CELSO mihi aliisque ſic videtur, quod homo ſanus & incolumis, qui validæ complexionis eſt, nullis rebus, nullisque diætetici regiminis præceptis aſſueſcere, ſeque nimis & diutius alligare debet, nam doctiſſime idem CELSVS LIB. I. *cap. 1.* his verbis præcipit: „ Sanus homo, qui & „ bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, varium habere debet vitæ

„ ge-

„ genus, modo in rure eſſe, modo in urbe, modo in agro,
„ navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe ex-
„ ercere. Prodeſt enim balneo uti, interdum aquis frigidis,
„ modo ungi, modo idipſum negligere, nullum cibi genus fu-
„ gere, quo populus utitur, interdum in convictu eſſe, inter-
„ dum ſe ab eo retrahere; modo plus juſto, modo non amplius
„ aſſumere. „

Ex quibus utique CELSI verbis colligitur: noxia neque temere aſſuefacienda, neque aſſuefacta repente commutanda eſſe, & porro nullis ſeſe rebus obſtringere, ſed conſtanter amodo mutare oportere. Tentare igitur etiam paulo noxia licet, nuſpiam vero in iis perſeverare præſtat.

SECTIO VII.

De vita & morte, ſanitate, & ægritudine hominis.

§. I.

Vt verum modo & perfectum hominis ectypon ſiſtamus homini, a natura & temperamento ad *vitam* & *ſanitatem*, *ægritudinem* & *mortem* tanquam a cauſſis ad ſuos effectus, & fines lubet progredi, quos etiam atque etiam in Prolegomeni complementum odorari inſtituti ratio poſtulat; qua enim ratione homo vitam, & valetudinem ſuam, ignarus vitæ ſuæ & ſanitatis tueatur? a me ignoratur. Recte igitur

VITA definitur: *quod ſit motus partium & ſolidarum & fluidarum humani corporis a debito ſolidorum tono & elatere, ac fluidorum ſanguinis & humorum temperie ac circulatione exortus, ad totum corpus arcendum a putredine, idque in integritate & ſuis actionibus conſervandum ordinatus.*

Quousque enim partes *ſolidæ* præcipue cor & pulmones integri fuerint, & ab influentibus ſpiritibus rite moventur, atque *fluidæ* ſanguis & humores impulſi a ſolidis debite gyrantur, ſuumque abſolvunt circulum, eousque aderit vita, quæ dictis *ſolidis* & *fluidis*, eorumque motibus plene abolitis & diſſolutis & ipſa deficiet, prorſusque diſſolvetur.

Vnde vitæ rationem in ſumma partium fluidarum ſeu ſpirituum tanquam *moventium*, & liquidarum ſeu ſanguinis & humorum ut *mobilium*, ac ſolidarum ceu *organi* & *inſtrumenti* conſenſione & ſymmetria conſiſtere, minime obſcurum eſſe poteſt.

E diverſa vero ratione, ſi contrariorum eadem ratio pugnet, mortis rationem in plena dictarum partium, & earum motuum ametria, adeoque in humani corporis *ſolidorum* & *fluidorum*, *moventium* & *mobilium* omnimoda abolitione verſari, nunquam dubitari cœptum fuit.

Perſpecta jam vitæ mortisque natura, ſanitatis, morbique notionem conſequi facili licebit opera. Enim vero ex communi Medicorum decreto nobis videtur: quod

SANITAS *ſit vitæ integritas a partium tum ſolidarum, tum fluidarum debita temperie, circulatione, conformatione, motu & impulſu ac unione dependens, ad actiones & corporis & animæ exercendas proxime apta & expedita.*

Quando enim omnes humani corporis partes *ſolidæ* & *fluidæ* tanta comparatæ ſunt indole, ac rite attemperatæ, conformatæ, & unitæ fuerint, ut proxime aptæ & expeditæ ad ſuas quasvis actiones recte ſubeundas eſſe exiſtimentur, actionum viget integritas; atque adeo genuinam ſanitatis rationem eluceſcere, ipſamque ſanitatem coram adeſſe, ex ipſa rei natura conſequi videtur.

Ne tamen corpus ſolum quo ad *ſolida* & *fluida*, verum etiam mentem ſeu animam ſuo modo ſanitatis eſſe ſubjectum, ex intimo animæ cum corpore commercio colligi poteſt: læſo namque corpore, ejusque *ſolidis* & *fluidis* animæ organa & inſtrumen-

menta læduntur, quibus læsis non corporis modo, verum animæ quoque actiones lædi & hebetari, omnino necesse est.

Enim vero tametsi mens seu anima, per, & in se non ægrotet, nihilque lædi queat, nihilo tamen minus male affecto corpore, ac vitiata sanguinis & humorum temperie corporis actiones & vitales & animales labem subeunt, atque ex summa motuum corporis & animæ consensione, qua læsio corporis redundat in animam, læso & ægroto corpore mens seu anima ægrotare fertur. Id, quod pulchre & prudenter advertit HIPPOCRATES, dum LIB. DE NATVR. HVMAN. *pag. 281.* his verbis ait: *Augescit intelligentia præsente sanitate. At ubi corporis habitus ægrotat, neque mens ipsa alacritatem habet ad virtutis meditationem. Morbus enim præsens animum vehementer obscurat, intelligentiam ad affectiones in consensus trahens.*

E diverso autem ubi *solida* & *fluida* motu vel temperie, circulatione, aut unione reapse vitiantur, una vel plures humani corporis actiones violantur; hinc deest vitæ integritas, gliscit morbus & fores pulsat. Vnde animum subit: quod

MORBVS *sit immutatio status naturalis, seu dispositio præternaturalis humani corporis, ex hujus solidorum & fluidorum intemperie, vel motuum læsione, aut læsa organisatione dependens; juncta cum insigni actionum læsione, tendens ad salutem vel interitum.*

Quandoquidem si partes *solidæ* tono peccent, seu robore & elatere, fluidæ vero intemperie & circulatione, vel ambæ motuum læsione vitientur, ocyus actionum insequitur læsio, una vel plures humani corporis actiones naturales, vitales, aut animales turbantur, & a suo revocantur vigore; atque adeo morbus (cujus ratio in actionum læsione consistit) in lucem prodit, qui humano corpori parat insidias, vitæ necem intentat, & non raro lata mortis sententia vitam tollit e medio.

Atque adeo modo homini hominem suis adumbratum coloribus exhibui; dum præcipuas hominis partes *animam* & *corpus*

poſui ob oculos, ſimul & corporis partes integrales *ſolidas* & *fluidas*, & ex his oriundos motus, motuum conſenſiones, unio-nes, actiones & excretiones, nec non naturam, temperamen-tum, conſuetudinem, atque ex his ſubſequentes effectus, *vi-tam*, *ſanitatem*, *morbum* & *mortem*, ut homo hominem non ſa-num modo & incolumem, verum etiam ægrotum & debilem ſpectaret & intelligeret, pro virium mearum tenuitate diluci-davi. Qua jam ratione homo ſui, ſuæque ſanitatis & ægritu-dinis conſcius ſui corporis partes *ſolidas* & *fluidas*, tanquam vi-tæ ſanitatisque cauſſas integras cuſtodire poſſit, ſicque *vitam* & *ſanitatem* ſartam tectam ſervare, ſeque a morbis præſervare, & vitæ longævitatem conſequi, in ſecundo diſſertationis noſtræ capite, quo de ſex rebus *neceſſariis non naturalibus* dicturi ſu-mus, prolixiore tenore ſignificatum dabimus. Eo ergo calamus reflectendus erit. Sit igitur

CA-

CAPVT II.

De VI. rebus non naturalibus.

SECTIO I.

Refertur uſus & abuſus ſex rerum non naturalium.

§. I.

MEdici meta ſcopusque eſt, non morbum modo, quo affligitur patiens, e medio tollere, perditam ſalutem reddere & reparare, verum etiam & præcipue ſanitatem præſentem tueri & conſervare, atque ad neſtoreas ætates ferre ſuppetias, & auxiliatrices præ-ere manus.

Id vero muneris legitimo Diætetici inſtituti regimine, quod i debita *ſex rerum non naturalium* adminiſtratione conſiſtit, præ-itum ibimus; hinc præmiſſis *rebus naturalibus* dictas *res non na-rales* in medium proferemus.

Solemnis igitur a priſcis jam ævis apud Phyſiologos re-epta fuit denominatio RERVM NATVRALIVM, & RE-VM NON NATVRALIVM. Atqui res iſtas inſpexiſſe ju-erit. Vnde per priores illæ intelliguntur, quæ non ſolum ad onſervationem humani corporis influunt & concurrunt, verum tiam id ipſum conſtituunt, ejusque internam exiſtentiam ut eræ *partes conſtitutivæ* ingrediuntur. Id genus vero partes ſunt *lidæ* & *fluidæ*, earum temperies, motus, circulatio, & ex his riundi effectus, *vita*, *ſanitas*, actiones in primis *naturales*, & *tales*, ſe- & excretiones, eo quod his dictis rebus, parti-us & actionibus corpus humanum non modo conſervatur, erum etiam intrinſece conſtituitur.

PO-

POSTERIORES vero, seu RES NON NATVRALES tam quam partes constitutivæ non concurrunt, seu ipsam corporis essentiam non ingrediuntur, interim ad corpus conservandum ejusque durationem necessariæ sunt, & influunt.

Sex vero rerum istarum, quas *non naturales* vocant, genera numerantur, & quidem I. AER. II. Assumenda CIBVS & POTVS. III. MOTVS & QVIES. IV. VIGILIÆ & SOMNVS. V. EXCERNENDA & RETINENDA. VI. ANIMI PATHEMATA.

Atque de his rebus generatim æque ac perspicue verba facere, propius nostrum contingit scopum.

§. II.

De aere, ejusque necessario ad sanitatem usu.

Adeo necessarius est aeris influxus in corpus humanum, ut hoc deficiente, necessario deficiant *vita* & *sanitas*; unde neque homines, neque alia animantia eo unquam carere potuisse, pro vero & indubitato habetur. Quid igitur in primis aer sit, dicendum erit.

AER *itaque noster usualis massa seu atmosphæra est, continuis particulis, non modo activis, & volatilibus tenuibus e regione superiore adductis, verum etiam passivis aqueis & terreis, salino-sulphureis corporum effluviis ad ima terræ demissis constans; & corpus humanum tum per poros cutis, tum inspirationis ope se se insinuando ambiens & afficiens, ad vitam & sanitatem viventium cum primis animantium tuendam & prolongandam destinata.*

Ex hac igitur notione palam est: aerem non solum e diversis prorsus particulis a differentibus superioris æque, mediæ ac infimæ regionis corporibus, exhalantibus constare, verum etiam duplici modo corpus nostrum afficere, *pressione nempe cutis*, & *habitus corporis*, ac ope *inspirationis*; quo utroque modo ad abdita corporis penetralia receptus humani corporis partes

soli-

ſolidas & *fluidas* varie immutat, & alterat, dum illarum fibras & nervos penetrat, eos in motus concitat, eorum tonum & elaterem adjuvat. Sanguini vero, aliisque humoribus communicatus eorum motus tum *inteſtinos*, tum *progreſſivos* oppido fecundat, atque adeo ſaluberrimo ſanguinis çirculo optatas fert ſuppetias, ac denique fluido nerveo, ſeu ſpiritibus materiam ſuggerit, ex qua ſpiritus generentur, ſuoſque natales ducant.

Porro *ſolida* & *fluida* aer ceu altera animat anima, in ſuo motu & vigore ea conſervat, adeoque ad omnes æque actiones corporis, ſe- & excretiones ſuum confert ſymbolum, ac ad tuendam vitam, corpus humanum ſervandum ſanum & incolume ſumme neceſſario & ſaluberrimo aerem præſidio eſſe, extra omne dubium poſitum eſſe videtur.

§. III.

De aeris differentia.

Plures occurrunt claſſes, in quas aer poteſt dividi; magis tamen uſitatas deligere, & cumprimis aerem in quatuor genera dividere nobis propoſitum eſt: in aerem nempe *calidum* & *ſiccum*, *frigidum* & *humidum*, quorum quivis vivis videri oculis, & manibus palpari poteſt.

His vero affinitatis titulo alios quatuor aeres, ſeu potius ventos a quatuor mundi plagis oriundos ſubjungere, haud vanus, irritusque conatus fuerit; quorum igitur primus *Orientalis*, *Eurus*, ſeu *ſubſolanus*, germ. der Oſt-Wind dicitur, ac calidus & ſiccus eſt. Secundus *Septentrionalis*, *Boreas*, ſeu *Aquilo* germ. der Nord-Wind nuncupatur, hic frigidus & ſiccus eſt. Tertius eſt *Occidentalis*, *Zephyrus*, ſeu *Favonius*, germ. der Weſt-Wind vocatur, qui frigidus & humidus eſt. Quartus denique *Meridionalis*, *Notus*, ſeu *Auſter*, germ. der Sud-Wind nominatur, qui calidus & humidus eſt.

At vero hæ aeris dotes a variis meteoris, nempe, jam ex vapore *roris, pruinæ, nivis, grandinis*, modo ab exhalatione aliorum effluviorum, *fumigationum* scilicet, *draconum volantium*, *cometarum, fulminum, fulgurum, diversorum insectorum reptilium*, & *in aere volitantium* alteratæ, variant & immutantur, atque adeo a diversis meteoris, eorumque effluviis & exhalationibus aer pessima, eaque deleteria & summe noxia indole non raro induitur; unde ex ita mutato, mutandoque aere rursus aer in *purum* & *salubrem*, ac *impurum* & *insalubrem* solet dividi.

PRIMVS est, in quem in dies ceu subtilem & serenum sol suos dispensat radios, & grata cujusvis hominis naturæ amica temperie gaudet; ac inspiratus ab omni alieno fœtore, & malignorum effluviorum labe immunis extat; ad solis ortum incalescit, frigescit ad occasum, fœcundo nonnunquam imbre irrigatur, & salubri præsertim orientalium & occidentalium ventorum agitatione perflatur, qua ratione aer defœcabitur, & si quæ contineat effluvia noxia, & inimica, ea dissipabuntur.

Audi jam salubrioris aeris notas, quas exponit SCHOLA SALERNA, dum hoc modo modulari amat:

> *Lucidus ac mundus sit rite habitabilis aer,*
> *Infectus neque sit, nec olens fœtore cloacæ.*

SECVNDVS vero & insalubris aer est: cui crasso & densiori suos phœbus negat radios, neque ullius naturæ amicus est, ac malignorum effluviorum fœtore scatet, ventis minus perflatur, paludum & aquarum stagnantium exhalationibus contaminatur, qui minus defœcatus deleteria effluvia in sinu fovet. Inde est, aerem rursum in *benignum*, & *malignum* subdividi.

ILLE puro & salubri respondet aeri. ISTE ad impurum & insalubrem accedit aerem; præterea malignantis indolis est, atque diversa, eaque noxia effluvia, ac morbosa semina, & contagiosa miasmata in sinu suo continet. Vnde plerumque mor-

morbis acutis epidemice graſſantibus, **wann die hitzige vergifte Säuchen und anſteckende Fieber und Kranckheiten graſſiren,** regnat & dominatur, ſuumque prodit virus deleterium, atque non raro non in unius modo hominis necem & interitum, verum etiam in innumeras mortalium ſtrages & interneciones contagioſa ſua ſpargit miasmata, ſuumque deleterium virus exſerit.

§. IV.

De damnis ex aere calidiore & ſicciore, frigidiore & humidiore oriundis, iisque avertendis & corrigendis.

Aer quousque purus & ſerenus eſt, ac ſalubri temperie gaudet, eousque naturæ noſtræ favet, vitam fulcit, resque ſpesque ſanitatis firmat, atque tuetur. Quamprimum vero a naturali ſuo recedit ſtatu & temperie, ac in *calidiorem* & *ſicciorem*, aut in *frigidiorem* & *humidiorem* abit, & mutatur, corpus humanum afficit, & non raro offendit, atque vitæ, ſanitatisque facultatibus inſidias parat. Per claſſes ergo has aeris noxas recenſebimus, iisque ſuam feremus opem.

Quam ob rem aer in primis *calidior* & *ſiccior* ſanguinem & humores corporis noſtri in motus concitat, rarefacit, & in ebullitiones conjicit; cutis poros aperit & ampliat, hinc *perſpirationem inſenſibilem* auget, & *ſudores* excitat; unde humidum radicale depaſcitur, ſubtiliores corporis humiditates abſumuntur, partes ſpirituoſo-gelatinoſæ, & nutritiæ diſſipantur: quibus ita ſtantibus generari ſitim, corporis vires proſterni, nutritionem deficere, adduci cephalalgias, febres, corpus imbecille, & ſolutum reddi viribus, dum plus ſolito exceſſivo aeris calori & ſiccitati immoramur, non una modo, ſed frequente experientia liquido conſtat.

Evitanda ergo hæc eſt aeris conditio, quam ſi declinare tibi integrum non ſit, & vel etiam invitus in eam incideris,

mala inde enata nempe *sitim*, *febres*, *lassitudines* &c. iis, quae *refrigerandi*, *nutriendi*, *humectandi* & *diluendi virtute* pollent, corrigere & sanare praestat; in quem finem egregie conveniunt cibi diluentes & humectantes, *brodia* nempe *carnium* vel *sola*, vel *gelatinosa*, aut *succo limonum* alterata & acidulata, *cremores* item *hordei*, & *avenae brodiis carnium* & *butyro recente* cocti tenues, *potus aquosus temperate frigidus*, aut *succo limonum* acidulatus, corporis *somnus* & *requies*, *fuga calefacientium*, *spirituosorum*, *volatilium*, & *exsiccantium* &c. quae malis & symptomatis ex aeris calore & siccitate profectis saluberrimam praestabunt opem & operam.

Eadem certe, nisi majora, sanitati nonnunquam incommoda affert aer frigidior, cujus ea mali moris indoles est, ut in primis ocyus poros & meatus subcutaneos occludat, hinc salutarem *perspirationem insensibilem* prohibeat, sanguinem & humores ab ambitu corporis interiora & vitalia versus repellat, unde sanguinis cursum inaequalem reddit, ejus itum & reditum turbat, nec non circulationem, ac corporis actiones & excretiones depravat. Atque adeo in internis corporis partibus & visceribus concitari sanguinis *congestiones*, *stases* & *inflammationes*, *pleuritides anginas*, *dolores capitis*, *omnis generis febres* &c. quae a frigidiore aere cum sanitatis vitaeque discrimine scaturiunt, dubitari vix potest.

Salus ergo in fuga frigidioris aeris, quem si vero vel etiam invitus adire necessiteris, corpus vestitu pelliceo muniatur, aut alio calidiore velo probe contegatur, quo frigidioris aurae accessus & invasio prohibeatur, atque mala ex aeris metuenda frigore avertantur, quae eo citius avertes & securius, dum ante aditum ad frigus, stomachum tuum ingesto calefeceris calido jusculo, aut sumpta pro re nata sorbitione *thee*, *caffee* vel *chocolatae*, quibus optatus juvatur effectus, & aurae frigus corpus tuum ita munitum minus penetrare poterit.

At vero non modo aerem *calidiorem* & *frigidiorem* minus corpori nostro conducere, verum etiam & praecipue repentinas aeris

vicis-

viciſſitudines, aeris nempe *frigidi* in *calidum*, & *calidi* in *frigidum*, *humidi* in *ſiccum*, & *ſicci* in *humidum* ſubitaneas acceſſiones & mutationes ſæpe ſæpius officere, atque ſanitatis vitæque facultates arrodere, quotidiana exempla, & documenta medica teſtatum volunt.

Siquidem id genus aeris viciſſitudines non ſolum in corporis noſtri *ſolida* (poros nempe cutis modo dilatando, modo conſtringendo, hinc turbando *perſpirationem inſenſibilem*, ſed etiam in *fluida*, ſanguinis curſum, itum & reditum depravando) agunt & deſæviunt; atque adeo œconomiæ animalis *motus*, *actiones*, & *excretiones* turbari & depravari neceſſe eſt, quas labes preſſo non ſemel pede morbus ſequitur, dum *arthritis*, *podagra*, *rheumatismus*, *hæmorrhagiæ*, *defluxiones & dolores capitis*, *catarrhi*, *coryzæ*, *tuſſes pertinaces*, *febres* &c. id genus ſubitaneas aeris viciſſitudines excipiunt, aliaque ſexcenta malorum.

Quapropter non ſolum modo, minime derepente & extemplo, ſed nexa quadam moræ intercapedine ab aere *frigidiore* in *calidiorem*, & ex *calidiore* in *frigidiorem* nos conferamus, verum etiam dominante ejusmodi tempeſtatum viciſſitudine accuratius diætæ regimen, quam alio quovis tempore, obſervandum eſt, cum primis evitando *epulationes*, *commeſſationes*, *helluationes*, *ebrietatem*, *aerem paludoſum*, ejus *calorem* & *frigus*, *iram*, *triſtitiam*, *curas*, *ſollicitudines* &c. qua ratione corpus purum & ab omni labe immune ſervabis, id, quod præcipue debiles & valetudinarios hortamur, qui utique præ aliis ad ſuſcipiendas ægritudines diſpoſiti, citius in morbos ruunt, ac promptius, quam fortes & athletæ, ab aeris injuriis offenſi, valetudinis pœnas ſubeunt.

§. V.

De aeris impuri, & insalubris damnis, iisque avertendis & corrigendis.

Per aerem *impurum* & *insalubrem* non solum malignus, & epidemice grassans, seu plures simul invadens & afficiens, verum & is, qui variis noxiis, metallicis & salino-sulphureis, ac causticis e cryptis subterraneis, & aquis paludosis exhalantibus effluviis, aliisque nocivis, humidis, nebulosis & fœtentibus particulis contaminatus est, intelligi solet.

Atqui valida certe, potensque vis est, atque facultas hujus impuri & insalubrioris aeris in corpus nostrum, quando *inspiratione* inspiratus ejus *solida* æque, nervos & fibras inspiratis suis particulis acidis, acribus & causticis vellicat, rodit, crispat, solvit, adeoque solidorum tonum, roburque corrumpit, ac *liquida*, sanguinem scilicet & humores sui generis labe, & sordibus nunc acidis, acribus, causticis, modo humidis mollibus & nebulosis vitiat, & contaminat, nec non fluidum quoque nerveum seu spiritus offendit, & supprimit; atque adeo sanguinis & humorum crasim, motus & temperiem pervertit, actiones & excretiones depravat, corporis quoque vires pessumdat, & dejicit; unde malis plurimis & funestis symptomatis *doloribus nempe capitis, vertigini, apoplexiæ, paralysi, animi deliquiis* &c. œconomiæ humani corporis adducendis id genus impurum aerem sufficere, & supparem esse, nullus ambigendi relinquitur locus.

Quam ob rem ad hæc declinanda mala & pericula non solum in fuga salus, verum etiam duo præcipue, quibus hæc mala avertantur, suggerenda sunt consilia, quorum primum est: ne hiante, sed occluso, & strophiolo munito ore (quo liberior aeris aditus vetaretur) neque jejuno stomacho, sed prius sumpto, aut quodam calido *jusculo*, vel *thee*, *caffee* aut *chocolatæ* sorbitione is insalubris aer adeundus erit; his enim delibatis jentacu-

taculis impuri aeris inspiratæ particulæ cum ingestis & assumptis commiscentur, & subiguntur, earum vis activa limitatur & hebetatur, quo minus virus suum & virtutem noxiam exerant, & exerceant, ne & in *solida* & *fluida* agant, suasque deletorias spargant vires & facultates.

Ipsa vero labes & insalubritas aeris, quam forte declinare non potes, iis optime corrigitur adhibitis & adhibendis, quæ partes aeris heterogeneas & impuras sublatum, ejus vires noxias dissipatum, atque sicarium miasma dispersum eunt. Vnde id genus præsidia sunt, quæ sequuntur, & suis laudibus celebranda erunt: scilicet in primis *fumigationes* germ. das Rauchen. Vel in forma *pulverum* aut trohiscorum, carbonum igni injectorum, aut *candelarum accensarum*, quibus in domuum & ædium conclavibus non semel modo de die, verum terque quaterque fumigationes, queis partes aeris noxiæ dispelluntur, aer ab omni labe immunis redditur & depuratur, excitandæ erunt.

Speciatim vero in hunc finem conveniunt in primis *rotulæ diambræ*, *candelæ fumigeræ*, *pulveres ad defluxiones & suffitus* in pharmacopoliis venales, germ. Fluß-Rauch-Pulver. Item *trohisci aliptæ moschatæ*, & *galliæ moschatæ veræ*, aut sola *grana juniperi contusa cum saccharo pulverisato* mista in carbonum prunas injecta, quorum quævis accensa fumum excitant, odores spargentem, aerisque dissipantem virus & miasmata.

Verum horum viribus & virtutibus gradus addunt aquæ destillatæ, *aqua* scilicet *apoplectica composita* Dispensatorii Viennensis, *aqua* item *Reginæ Hungariæ*, & *spirituosa Carmelitarum*. Rursum aquæ destillatæ *aurantiorum*, *citri*, *lavendulæ*, *cinnamomi*, *liliorum convallium*, *majoranæ*, *rosarum* &c. quæ non modo odore suo repurgant aerem, verum etiam attractæ naribus & olfactæ caput, & cor reficiunt, ac universum corpus recreant. Nec sane sua laude hic destituenda sunt *vegetabilia*, *tabaci* nempe folia, & alia odorifera, ut herbæ *majoranæ*, *serpilli*, *melissæ*, *basiliconis*, flores *spicæ*, *thymi*, *lavendulæ*, *citri*, *aurantiorum*, *rosarum* &c.

in

in forma tabaci usurpata, mala item *citria*, *aurantia*, *borsdorffiana*, quæ in ædium & ædificiorum cubilibus hinc inde collocata, sua suavissima odoriferorum, volatilium & penetrantium effluviorum evaporatione & exhalatione aerem corrigunt, corpusque ab omni impuri aeris labe immune reddunt.

§. VI.

De aere maligno & contagioso, ejusque damnis.

Si ulla aeris conditio, certe ejus contages, & malignæ indolis ratio penitius inspici, & accuratiore mentis indagine expendi merentur: enim vero enim tam late, tam versute & sicarie id genus aeris incedit genius, ut nulla habita ratione *ætatis*, *sexus*, *naturæ roboris* non mille modo, verum millia millium brevi nonnunquam temporis intervallo trucidet mortalium, atque totos hominum cœtus & sodalitates, integras familias & communitates pauco dierum spatio immaniter sternat & perimat, ac tollat e medio, ut adeo merito hujus contagiosi aeris constitutio *malignantis esse indolis*, insimuletur, quam omnibus viribus persequi & exturbare, atque immane ejus virus pellere, hinc deletorium id genus aerem ad temperiem naturalem reducere firmo stat animo, id, ad quod ex officio nostro quam maxime obstringi, arbitramur.

At callidus certe hic hostis est, nec apertis qualitatibus (ut alius impurus aer solet) in conspectum prodit; unde notas ejus coram sistere, & notionem hujus correctioni præmittere, e re fore, existimetur. Sit igitur

§. VII.

De notis, & notione aeris maligni & contagiosi.

Si recensenda jam phœnomena in lucem prodeunt, maligni & contagiosi aeris *imminentis* vel *præsentis* conjecturam minime de nihilo esse, frequentiore experientia ratum, testatumque habetur.

Atque

Atque adeo cum primis ſi ipſa elementa præſertim *aer* & *qua* a ſua craſi naturali receſſerint, ac immutata & coinquinata uerint, quod contingit, ſi longiore tempore denſæ & copioſæ ræceſſere pluviæ, quæ aerem nimis reddunt humidum, lique-aciunt, & corrumpunt, aut dictæ pluviæ diu emanſere, cœ-umque plus æquo ſiccum, & nimis ſicca tellus exſtitit; aut in *ere aqua* & *terra* multifaria repentia, & volantia inſectorum enera, *vermes* nempe, *ſcarabæi*, *muſcæ*, *cicadæ* conſpicua fuerint, c frequentes tempeſtatum viciſſitudines, & copioſæ, craſſæ œtidæque nebulæ, quibus utique aerem infici & contaminari eceſſe eſt, præluſerint, præcipue vero dum *terra* & *aqua* un-lique non modo fecibus & quisquiliis ſordeant, verum etiam lomi, rurique ubique fœdiſſima reptilia, *mures* ſcilicet, *ranæ*, *ocuſtæ*, *erucæ*, *vermes*, *ſerpentes*, atque alia id genus inſecta in-ſitato more appareant, humique ſerpant; præterea cubilium c conclavium angulos *araneæ*, *tipulæ*, *ſtelliones*, quorum noxia ffluvia atmoſphæram aeream ſubeunt, & commaculant, in co-ia occupent; atque adeo haud abs re impurum, commacula-um & malignum aerem præſagire ſolent.

Ab his modo venenatis animalculis *volatilia*, *aquatilia*, & lia quadrupedia animantia, in quibus non minus inſolita phœ-omena obſervantur, adeunda erunt; atque ſi horum geneſis nimalium in primis minus fœcunda fuerit, aut parta & genita æc animantia, *aves* nempe, & *piſces* &c. quovis ætatis tem-ore fortuito, gregatim agminatimque concidunt, & pereunt, unc inſolita hæc fata æquam contagioſi aeris ſuſpicionem præ-ere, vix dubitari poteſt.

Rurſus, ſi, ut non ſemel obſervatur, plantæ & vegeta-ilia, *radices* nempe, *herbæ* & *flores* in pratis & hortis, in agris nnona, res frumentariæ & ſegetes ſolito tardius matureſcunt, uumque ſortitæ maturitatis terminum, brevi corrumpuntur c emarceſcunt, atque inſolito prorſus more pereunt, & emo-iuntur, elementa *aquam*, *terram* & *aerem* labe contaminata eſſe

S aerem-

aeremque malignum & contagiosum portendere, vix dubiam veritatis subit aleam.

Porro si morbi acuti, & peracuti, varii nempe generis febres *benignæ* & *malignæ*, *catarrhales*, *petechiales* & *petechizantes*, *immo pestilentiales*, item *dysenteriæ*, *anginæ*, *pleuritides*, aliæque inflammatoriæ febres epidemice desæviant, seu plures simul homines, hominumque cœtus & familias adoriantur, atque horum potiorem aut omnino potissimam partem brevi temporis intervallo ulla absque ratione *ætatis*, *temperamenti* & *virium roboris*, omnibus etiam lege artis adhibitis remediis, mactent & sternant; hæc aggesta morborum agmina, id genus truculentam mortalium necem a quadam generali caussa, *aere* scilicet & *aqua* natales ducere, hinc malignum & contagiosum præsagire aerem, nemo ullus artis peritus vocabit in dubium, id, quod uno omnium Medicorum ore constat, ac innumeri luctuosissimi casus aperte loquuntur. Ocyus igitur properemus ad deleteriam maligni aeris labem & contagionem corrigendam.

§. VIII.

De correctione maligni & contagiosi aeris.

Data modo & perspecta notione maligni aeris, ad cujus labem eluendam & malignitatem corrigendam vertendus est calamus, quo clarum dilucidumque fiet, ea remedia, quæ ad *insalubritatem aeris* corrigendam destinata sunt, hic habere locum, & repetenda esse, quibus vero sequentia adjicere ad succurrendum correctioni contagiosi aeris non abs re fore existimamus. Prosunt igitur *allia*, *cæpæ*, & *panes* recenter pisti ac in partes divisi, item *bufones* ad solis radios exsiccati, dum ad ædium tigna & conclavium trabes suspenduntur, quo modo contagiosa aeris effluvia in poros rerum suspensarum sese insinuant, aer corrigitur & emendatur.

Quam-

Quamprimum vero appensa tumeant, rancescant, aut mucescant, atque adeo virus aeris jam jam attraxisse videantur, ea e loco suo solvere, ac igni aut aquæ fluidæ committere oportet, pristina vero præsidia de novo colligenda & rursus suspendenda erunt.

§. IX.

Quibus præsidiis & antidotis grassante aeris malignitate homo sanus & incolumis conservari possit?

Recto jam ordine a maligno aere ad hominem, cui non raro malignitas aerea diras intentat, & parat exitium, progredimur, eo nostra studia, quibus ab id genus sicaria aeris labe & contagio homo præservari posset, conversuri, & intendentes animum.

Atque adeo cum primis, si ullo tempore, certe regnante hac aeris contagione (cui sanitas, vitaque cordi fuerint) ex industria, modisque omnibus accuratiori *sex rerum non naturalium* usui, & exactioris diætæ regimini parendum esse, nobis persuasissimum est, hinc quæ sequuntur, suggerenda sunt consilia: scilicet ut speciatim nominatimque *sanguinei* & *cacochymici* (seu qui abundant sanguine, & quorum partes *solidas*, primas vias *stomachum* & *intestina* &c. atque *fluidas*, *sanguinem* & *humores* fœda impurorum humorum & cruditatum colluvies obsedit, & coinquinavit) valetudinarii quoque, qui vel nativa, vel adventitia debiliore corporis complexione languent, nec non ii denique, quorum interest maligna hac lue, & contagiosis his morbis decumbentibus adesse & assistere (ut sunt *ægrotorum Ministri*, *Medici item corporis & animæ*) accuratiori huic diætetici regiminis instituto omni modo morem gerant, itidem hortamur, id quod etiam atque etiam altius eorum inculcare animis, nostri esse muneris existimavimus.

Sequens igitur Diætæ regimen ſit, oportet: I. Aer malignus & contagioſus ſummopere fugiatur, ejus vero correctioni & depurationi ſupra laudatis præſidiis ſedula navetur opera. II. In cibo & potu haud quaquam excedatur, unde nimia ingeſtorum quantitas, & ſimul noxia qualitas, præſertim epulæ, helluationes inebriationes cane pejus fugiendæ erunt. III. Neque motus & quietis neque ſomni & vigiliarum exceſſibus locus detur, quorum modum & mediocritatem ſervare expedit. IV. Excretiones naturales *alvi*, *urinæ* & *inſenſibilis perſpirationis* ſervabis integras, ne his ſuppreſſis cumulatæ ſordes aeris malignitati vires addant. V. Et præcipue adverſa exſulent animi pathemata, *ira* nempe, *mœror*, *triſtitia*, *curæ*, *ſollicitudines* & *terrores*, quæ naturæ vires opprimunt, diſponuntque corpus ad contrahendum virus maligni aeris. VI. Qui plethora, ſeu ſanguinis redundantia (quam ex laſſitudine corporis, ſomno inſomniis turbato, ejus defectu, & exceſſu, turgeſcentia venarum, ex diminuto aut depreſſo fluxu hæmorrhoidum, vel hæmorrhagiæ narium, neglectis ſolitis venæ ſectionibus, cognoſces & perſpicies) gravari videbuntur, his venæ ſectione redundans ſanguis minuendus erit. VII. Quos appetitus dejectio cruciat, adeſtque ad vomitum propenſio, his lene vomitorium ex *radicis ipecacbuanæ* & *cremoris tartari* utriusque XX. vel XXX. granis confectum medebitur, ac optatam feret opem & operam. VIII. Qui vires proſtratas (ſalvo tamen ventriculo, ſalvisque ventriculi rebus) conqueruntur, datus iis cuſpis cultri unus vel duo *pulveris bezoardici* SENNERTI, aut e *chelis cancrorum* compoſiti, vel æqualis doſis *theriacæ*, aut *mithridati*, deſuper ſorbendo *potum thee ordinarium*, vel *herbæ veronicæ*, in lecto exſpectando ſudorem (quæ pro re nata repetantur) optato præſidio erunt, id, quod exequendum eſt, dum corpus alteratione attentatur.

Præter modo dictum diætæ regimen, præſidia & antidota, quæ ſequuntur, quotidiano dare uſui, e re prorſus fore, viſum fuit.

Atque

Atque adeo I. in dies mane manus & manuum pulsus *aqua* fontana cum sufficiente quantitate *aceti vini*, vel *rutacei*, aut *theriacalis* mixta placeat abluere, nec non mane, vespere & ante cubitum capitis tempora, nares & manuum carpi, seu pulsus balsamo quodam alexipharmaco *angelicæ* nempe, *camphoræ*, vel *rutæ* aut alio simili inungi poterunt.

Præcipue vero spongiola aqua *apoplectica*, vel aceto bezoardico MYNSICHTI, aut *simplici rutæ*, vel *theriacali camphorato*, aut *essentia melissæ Carmelitarum*, vel *liquore cornu cervi succinato* irrigata interdiu sæpius admoveatur naribus, spongiolæ liquor attrahatur; atque hoc antidotum maligna aeris effluvia pellit, caput & cor roborat, recreatque universi corporis vires.

Ejusdem pellendi venenum facultatis sunt poma *ambræ*, vel *citri*, aut mala *aurantiorum*, vel folia *nicotianæ* pulverisata, aut alius pulvis cephalicus aliquot guttulis *olei*, vel *spiritus angelicæ*, vel *rutæ*, aut alio alexipharmaco irroratus, quæ sæpius per diem odorari lubeat. II. In ore aliquid radicis *angelicæ*, vel *pimpinellæ*, vel corticum *citri*, aut *aurantiorum*, item *baccarum juniperi*, vel foliorum *rutæ*, aut *rorismarini*, vel de *trohiscis viperarum*, vel *theriacalibus* MYNSICHTI, aut de *rotulis mithridatiis*, vel *theriacalibus* authoris sæpius per diem (cum primis vero jejuno stomacho, aut in via ad infirmos, & apud ipsos ægrotos ac maligno morbo decumbentes) masticetur, masticatum cum saliva exspuatur, priora antidota repetantur, rursus masticentur, & ejiciantur, id, quod præcipue ægrotorum custodibus, Medicis & Patribus animarum inculcandum esse, nobis persuademus. III. Interne humani corporis a contagiosa lue tuendi, vel sanandi gratia, ea applicentur alexipharmaca (seu veneno resistentia) quæ cujusvis corporis temperamento, naturæ & constitutioni, *calidæ* nempe vel *siccæ*, *humidæ* vel *frigidæ* accommodata esse videbuntur, in quem finem peritum Medicum consulere, omnino necesse erit.

Interim, præsertim in absentia Medici sequentibus præsidiis morem gerere, haud oleum & operam perditum iri, sperare licet. Nempe *baccæ juniperi* numero decem, duodecim aut plures, vel solæ, vel prius *aceto rutaceo* maceratæ masticentur, masticata deglutienda erunt. Vel *caffee juniperinum* ex granis juniperi ustulatis veri caffee instar coctum præparatumque, ac mane sorbillatum jejuno stomacho, vel *potus theiformis* usualis, aut *infusio thee veronicæ*, aut *nuces juglandes* comestæ cum ficubus, vel radices *angelicæ*, aut *scorzonegræ*, vel *cortices citri* aut *aurantiorum*, singula saccharo condita jejuno stomacho ad unum aut alterum frustulum ingesta & comesta (semper tamen exspuendo salivam) optatam ferent opem & operam.

Quam ob rem curatio *præservatoria* hoc modo adornari poterit: scilicet inprimis mane, vespere, seu concoctione ad finem vergente, sumatur præfata sorbitio caffeata, ex *granis juniperi* præparata, vel ejus loco infusio *thee* ordinarii, aut *herbæ veronicæ*, in dosi solita, at vero hæc liquida mox præcedat usus *theriacæ*, vel *mithridatii* ad duos cultri cuspides, vel eadem dosis pulveris *bezoardici* SENNERTI vel e *chelis cancrorum* compositi, aut *Hannoveriani*, vel *Diascordii* (FRACASTORII aut *electuarii Orvietani*, item pulveris *anglici* KENTIANI, aut *bezoardici albi* vel *animalis* (quæ singula antidota in pharmacopoliis venalia prostant) ad unum vel duos cultri cuspides data & præmissa præfatis sorbitionibus, præsertim in naturis & complexionibus *siccis* & *calidioribus*, saluberrimo præsidio fore, nuspiam dubitatum fuit.

Verum in naturis & complexionibus *pituitosis* & *frigidioribus* in dicta potione *veronicæ*, aut *caffee juniperiana* semper guttas XXX. & XXXX. *liquoris bezoardici* Viennensis, aut *essentiæ alexipharmacæ* STAHLII, accedente debito diætæ regimine porrigere, ne vanum quidem, irritumque esse consilium, existimemus. Atque hæc antidota pro re nata repetenda erunt.

Por-

Porro quorum intereſt, ægrotis, & maligna lue infectis affectisque aſſiſtere, atque cum ipſis familiarius agere, & diutius commorari, iis duo præcipue cavenda eſſe, adhortamur; & quidem imprimis ne unquam aerem, neque ipſos ægrotos & patientes adeant jejuno ſtomacho, præſentes vero hac lue infectis & decumbentibus ſalivam nunquam deglutiant, verum potius ſputo ea continuo ex ore ejiciatur & exſpuatur; neque diu hic moras nectere, ſed quam primum licuerit, ægroti lecto terga vertere, conſultum erit. Hæc igitur ſunt, quæ cum primis patientum famulitium, nec non corporis & animæ Medicum ſemper & ubique monere juverit.

§. X.

Vter aer, an ſupernus vel infernus, item diurnus an nocturnus ſalubritate præſtet?

Aer, qui excelſa loca occupat, ob ſolis radios ſibi magis propinquos purior, ſubtilior, atque ſerenior exiſtit, magis difflatur, nec non ab impuris & heterogeneis e vicinis corporibus exhalantibus effluviis liber & immunis exſtat; contra aer in vallibus & infernis locis ſitus a diverſis vicinorum corporum exhalationibus vitiatur, & impurioribus contaminatur effluviis, minus agitatur, difflaturque a ventis, ac parcius fovetur a ſolis calore & radiis; unde pro minus ſalubri, craſſiore & impuriore aerem inferna loca occupantem habendum eſſe, & aerem in excelſis antecellere, adeoque vitæ & valetudinis fortunis favere, nemini ulli obſcurum eſſe poteſt.

Id genus argumento experientia ſuffragatur, qua vivis intuemur oculis: ſublimium, & locorum ſupernorum, ædium, & montium incolas non modo vivaciores, & ſaniores eſſe, morbisque minus obnoxios, verum etiam vitam & valetudinem protrahere in longius, ac provectiorem ætatem, præ iis inferna loca incolentibus, conſequi, id quod mihi & aliis non ſemel

mel in Tyrolensium montium incolis observare licuit, ne quemquam alium id genus notionem experiundi cupidum constans haec observatio fugiet.

Ex iisdem pene rationibus aer diurnus nocturno praeferendus esse censetur, ille namque a solis lumine illustratur, ab ejus aethere & influentibus radiis in perpetuo & celerrimo motu constitutis magis commovetur & exaltatur, atque salubrioribus ventis perflatus purior, calidior redditur & tenuior, hinc id genus aerem diurnum salubriorem exstituturum esse, & prae nocturna aura sanitatis, vitaeque sacris patrocinari, nemo ullus inficiabitur.

E diverso aer nocturnus saluberrimo solis jubare, ejusque influentibus radiis, & commodis, ac qualitatibus inde oriundis privatur, potius friget, & insalubribus ventis agitatus inquinatur, in laudabili sua turbatur temperie & depravatur; atque adeo minus salutarem esse, minusque tui corporis saluti conferre & conducere, pro rato & comperto habemus.

SECTIO II.

De assumendis & ingerendis alimentis, cibo & potu.

§. I.

Quanta est necessitas *aeris* & *aquae* pro alendis, nutriendisque plantis & vegetabilibus, tam necessaria alimenta sunt, *cibus* & *potus* pro nostro sustentando corpore, ejusque nutriendis, fovendisque partibus *solidis* ac *fluidis*. Enim vero, quum jugi & perenni *solidorum* & *fluidorum* motu, ac assiduis excretionibus naturalibus constanter aliquid sanguinis demitur, nec non succorum vitalium *nutritii chyli*, *lymphae* & *fluidi nervei* quaedam portio in dies perditur & absumitur, ut par-

partes corporis *solidæ* & *fluidæ* in suo vigore & motu conserventur, vita & sanitas integra stet & perennet, dictas partes, earumque motus & actiones per singulos dies instaurandas, & novos succos in eorum locum (qui per continuos motus & excretiones deperditi sunt) substituendos esse, ex ipsa rei natura consequi videtur. Atqui solis alimentis *cibo* & *potu* deperditum redditur & instauratur. Notio igitur alimentorum sistenda est, qua dicimus:

ALIMENTVM *id esse, quod corpus humanum nutrire, & in ejus substantiam converti potest. Seu esse corpus mixtum ex vegetabilibus aut animalibus desumptum, ac pro alimento in cibum congestum ad corporis humani vivi nutritionem, vitæ & sanitatis conservationem necessarium & destinatum.*

Sicuti igitur innumera animalia & vegetabilia sunt, ex quibus cibi parari possunt, ita sine fine dari alimenta, & esculenta, totidemque alibilia parandi modos, inter omnes constat.

Verumtamen in primis alimentum quo ad *substantiam* aliud *solidum* est, & *cibus* nominatur; *liquidum* aliud, & *potus* nuncupatur.

Item alimentum aliud *eupeptum*, seu facilis concoctionis, aliud *dyspeptum*, seu difficilis concoctionis est. Aliud itidem *euchymum* est, quod bonum succum, aliud *cacochymum*, quod pravum succum præbet; illud multum, hoc parum nutrit.

Rursus alimentum quo ad *quantitatem* aliud excessu, aliud defectu peccat. Quo ad *qualitatem* aliud alimentum *proprie* tale est, aliud *improprie* tale, quod non modo alit, verum etiam simul corporis partes alterat, inde & *medicamentosum* nuncupatur.

Aliud denique *salubre*, aliud *insalubre* est. Ex quibus clarum, dilucidumque conficitur: quo ad nutriendi, alendique rationem & usum, expendendas esse non solum *substantiam*, *quantitatem* & *qualitatem* alimentorum, verum etiam comedendi *ordinem*, *tempus* & *horas*. De quibus jam singulis perspicue agere instituti ratio efflagitare videtur.

T §. II.

§. II.

De alimentorum assumendorum substantia, quantitate & qualitate.

Quod ad alimentorum *substantiam* attinet, salubrius diætæ regimen cogitanti id genus esculenta eligenda sunt: quorum partes substantiales facile concoctioni auscultant, multum alunt, facili quoque opera in substantiam alitti transeunt & convertuntur; atque adeo a partibus *acidis*, *flatulentis dulcibus* & noxiis immunia bonum & laudabilem suppeditant chylum, sicque promptius nutriunt, succosque vitales pessumdatos & perditos instaurare valent. Vnde huc referendæ sunt carnes juniorum animalium, eorum *succi* & *juscula*, carniis præsertim *bovinæ*, *vitulinæ*, *gallinarum*, *columbarum*, *pullorum*, & ex his extractæ *gelatinæ*, *ova* item *sorbilia* &c. quæ sua nutriendi virtute primum sibi vendicant locum, quum eorum substantia promte digestioni pareat, atque ab *acidis*, *flatulentis*, & *heterogeneis* partibus immunis, bonum & laudabilem præbeat chylum, quo optime corporis nostri partes *solidas* & *fluidas* altum & nutritum imus.

Nihilo tamen minus ubique medium tenuere beati; hinc spectando *alimentorum quantitatem*, ea moderata & tanta sit, oportet, quantam vires corporis & stomachi facile ferunt; unde & alimentorum laudabilium, ac bonum succum nutritium suppeditantium, & vitiosorum, quæ exiguum præbent succum nutritium, excessus & helluationes fugere præstat, eo quod a nimiis ingestis ventriculus gravetur, ingestorum concoctio sternatur & depravetur, cruditates in primis viis cumulentur, chylus crudus, crassus & vitiosus conficiatur, quo partes *solidæ*, *ventriculus* nempe, *mesenterium*, & *intestina* &c. ac *fluidæ*, *sanguis*, *serum*, & *lympha* labem subeunt, & inquinantur; atque adeo cuduntur cruditates morborum genitrices, nutritionis negotio pœ-

nun-

nuntur limites, morbosa congeritur colluvies, quæ corpus disponit ad morbos; unde a nimiis comestis periclitari sanitas & vita, atque arrodi & vulnerari solent.

At vero ne ad amussim quidem ingestorum *quantitas* determinari potest, in qua non modo ratio *ætatis*, *sexus*, *temperamenti*, *virium roboris*, *vitæ status* & *consuetudinis*, verum etiam alimentorum *substantiæ*, *qualitatis*, *coctionis* & *præparationis* habenda est, pro quarum varia ratione circumstantiarum, ingestorum *quantitatem* variare, & variandam esse, eum in modum, ut, aliam esse victus rationem *pueri*, aliam *viri*, illam *litteratorum*, hanc *rusticorum* &c. nunquam dubitatum fuerit.

Porro de hac determinanda quantitate id nobis videtur, eousque commedendum esse, quousque natura cibum urget & appetit, verusque appetitus alimenta exposcit; quamprimum vero appetitus ratio, & naturale edendi desiderium incipit desinere, nihilque amplius latrat stomachus, actutum cadat cochlear, & abjiciatur, etiamnum superstite adhuc quadam vescendi cupidine, id, quod semper & ubique ad mensam memori mente tenendum esse, existimemus. Siquidem ex nimia ingluvie & ventriculi repletione periclitari salutem tum corporis tum animæ, ipsimet abdomini nati & gurgites vivi testes erunt, qui non semel lustris suis & helluationibus, quum opes suas & substantiam, tum sanguinem, sanitatem & vitam helluati, corpore, utinam non anima, periere.

Vnde auream mediocritatis regulam (*ne nimium*) animis nostris insculptam servemus, Poetæ Medico auscultantes, dum accinit:

Si tarde cupis esse senex, utaris, oportet,
Vel modico medice, sive cibo modice.
Sumpta, cibus tanquam, lædit medicina salutem,
At sumptus prodest, ut medicina cibus.
Pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas,
Esse cupis sanus? sit tibi parca manus.

Verum suæ salutis memori non solum victus *substantia* & *quantitas*, sed etiam *qualitas* animo versanda est. Siquidem ingesta, quadam labe, & prava qualitate, *acida* nempe *salsa*, *acri*, *viscida*, *dulci & flatulenta* &c. prædita, certe multum a chyli & sanguinis indole recedunt, succumque gastricum sui labe contaminant, ac *acidum*, *acrem* & *viscidum* reddunt, ventriculi fibras & nervos rodunt, vellicant, relaxant, & tonum virtutemque digestivam stomachi sufflaminant, unde non solum nihil corpus nutriunt, verum etiam varii generis cruditates pariunt, ac mala a ciborum nimia *quantitate* orta producunt in medium, id, quod horaria experientia & observationes Medicæ abunde loquuntur.

Atque adeo ad omnem mensam cibaria duriora, nimis *acida*, *salsa*, *acria*, *aromatica*, *dulcia*, *pinguia*, *viscida*, *flatulenta*, nec non *bis cocta* & *rancida*, *frigida*, carnes nempe *duriores* & *minus elixæ*, *sylvestres ferinæ præsertim ætate provectiores*, nec non *fumo induratæ*, *suillæ*, *acidæ* & *salsæ*; cibi crassiores *farinacei*, ac *fructus horæi crudiores*, *pyra*, *poma*, *pruna* &c. atque legumina *pisa*, *fabæ*, *rapæ*, *lentes*, *nuces*, *allium*, *cæpæ*, acetaria, *lactucæ* & *lacticinia*, demum & pisces in aquis stagnantibus degentes &c. parcius edantur, vel potius exulent, si ventriculi rebus consulere, & sanitatem servare integram, subit animum.

§. III.

De signis sufficientis, simul & excessivæ sub pastu alimentorum comestorum quantitatis.

Ut in bonum, commodumque valetudinis tuæ vescaris, & assumptorum excessus declinare, aut jam commissos corrigere possis & emendare, notionem *sufficientis*, & *excedentis ingestorum quantitatis* hic promere, operæ esse pretium duximus.

Quam

Quam ob rem in primis poſt menſam ſatietatis perceptio, uperſtite tamen adhuc aliquali comedendi deſiderio, nec non enſuum tum internorum, tum externorum vigor, ac mentis perationes ſolitas ſufficiens ſubeundi facultas, & promptitudo, ıon minus perſeverans conſuetas functiones exercendi capaci-as, & alacritas ſatis quidem, non tamen in exceſſu, corpus uiſſe refectum, teſtatum faciunt. Contra poſt paſtum immi-ens animi, & actionum animalium torpor, adveniens ſomni ropenſio, ventriculi gravedo & gravaticus dolor cum abdo-ıinis tenſione, inflatione & difficili reſpirio; atque totius cor-oris laſſitudo, motuum & functionum hebetudo, quibus quan-oque accedit alienus in ore ſapor, ſomnique nocturni turba-o, inquietudo, & interruptio, nec non omnimoda appetitus ejectio, & cibi quædam averſio, exceſſum, & helluationibus tatum fuiſſe, perfecte nunciant, & palam atteſtantur.

§. IV.

Qua ratione commiſſus ingeſtorum exceſſus, aut eorum prava qualitas corrigi poſſint?

Sive forte fortuito in cœna, vel prandio, ſive in quovis alio convivio ingluvie exceſſeris, id genus exceſſus corrigere, & commiſſos menſæ errores ſequentem in odum emendare præſtat; ſcilicet ſubſequens in primis pran-ium vel cœna pro re nata ſemel iterumque omittatur, vel ſal-m parcius & tenuius (victum ingerendo facilis concoctionis, *la* nempe *carnium brodia*, *cremores hordei*, aut *ova ſorbilia*) victite-ır, eousque proſequendo tenue hoc victus regimen, quous-ue commiſſi exceſſus damna & ſymptomata diſpareant, atque aturale redeat cibandi deſiderium, quo ad novas dapes invi-mur, ac noſter latret ſtomachus, qui denuo ſatiari cupit. oc namque tenui victus regimine, quæ in exceſſu ingeſta ſunt, que indigeſta in ventriculo & inteſtinis moras agunt, a ventri-

 culi

culi nativo calore, & humore digeſtivo gaſtrico ſenſim & pe
gradus ſubiguntur, demum digeruntur & diſſolvuntur, atqu
digeſta penitus & reſoluta per ſua excretoria naturæ ope & m
limine e corporis receſſibus amandantur.

Verum, ſi vis unita fortior, ad ingeſtorum exceſſus co
rectionem cum dicto jejunio, & religioſo victus regimine tem
peratum corporis motum, per *labores*, *ambulationes*, *vectione*
aut alia moderata corporis exercitia conjungere, e re prorſu
fore, exiſtimetur; enim vero id genus exercitio totius co
poris, & viſcerum internorum præcipue ventriculi & inteſti
norum nativus calor rurſus excitatur, ſenſim augetur & ex
tatur, ventriculi robur & tonus adjuvantur; quibus ita co
ſtitutis, cruditates in ventriculo & primis viis contentas prom
ptius reſolutum, & diſſipatum iri, nunquam dubitare cœpimus.

Porro ſi neque abſtinentia, neque motuum exercitia a
malum evellendum ſuffecerint, ad ea præſidia, quæ digerun
ſtomachum roborant, & digeſtioni patrocinantur, confugie
dum erit; præſtant igitur nobis id obſequii radices ſacchar
conditæ *calami aromatici*, vel *enulæ*, *galangæ*, aut *zinziberis*,
quarum una, vel altera mane jejuno ſtomacho, aut veſper
vel ante cubitum ad pondus unius drachmæ maſticare & ing
rere, aut eorum loco unam & alteram potus *thee* vel *caff*
ſcutellam ſorbere, aut dictis horis unum, vel duo cochlear
aquæ cinnamomi, aut vitrellum *vini Hungarici Budenſis*, ſeu alt
rius generoſi ſtomachalis, vel *trageam quamdam ſtomachicam* ſi
domeſticam, ſive pharmaceuticam, aut brodium carnis *rad*
cichorei coctum & *alteratum* delibare, omne feret punctum, omnem
que abſolvet paginam, dum id genus præſidiis & ingeſtoru
exceſſiva quantitas & prava *qualitas* corrigetur, ac ventriculus
lutus, vulneratusque perſanabitur.

Verumtamen rurſus circumſtantiæ *temperamenti*, *ſexus*, *æ*
tis, *vitæ conditionis*, *naturæ roboris* & *conſuetudinis* animo volvend
ſunt, ex quibus utique Petro plus, Paulo minus alimenti in

pune

qune delibandum & ingerendum eſſe, plene planeque colligitur, id, quod conſtante omnium horarum experientia perſpicuum conficitur & corroboratur.

Denique & id ſubjungere, noſtri utique fore muneris exiſtimemus, ſcilicet nonnunquam ex incuria, aut fatis peſſimis & de induſtria alimentis venena addi: hæc fata dum ſubieris, venenatasque ingeſſeris dapes, ſalutem tuam verſari in anguſtis, mortemque pulſare fores, aut plane tecum actum eſſe, a prudentum nemine vocabitur in dubium. Atque adeo accepti veneni notas & curationem hic ſubdere, noſtrarum eſſe partium duximus. Vnde mala, quæ ſequuntur, & ſymptomata, alimenta venenis mixta comeſta eſſe, pene ſuſpicionem ingerunt, ſcilicet, brevi, ſumpto cibo, *ſubſequens pectoris & præcordiorum ingens anxietas*, *ventriculi & inteſtinorum lancinans roſio & tormina*, *cardialgia*, *ſeu dolor ſtomachi*, *& vomitus continuus*, *frequentiora animi deliquia cum cruentis alvi dejectionibus*, *color faciei lethalis*, *& pallidiſſimus*, *rigor*, *frigusque totius corporis cum convulſionibus*, *inſolitisque virium proſtrationibus* &c. ſi hæc inquam, & ſimilia phœnomena absque alia cauſſa præcedente nobis cognita derepente & brevi poſt menſam lugubrem ſuam luſerint ſcenam, accepti veneni conjecturam non eſſe de nihilo, haud in vanum auguramur.

Illico igitur curatio acceleranda eſt, maloque ſine mora mederi præſtat, atque adeo mox cœpta tragœdia *lac recens*, ſeu potius ejus *cremor ad libras*, *menſuras* & amplius afflicto potandus detur, vel hujus loco *oleum amygdalarum dulcium* recens ſine igne expreſſum, aut recens *oleum olivarum* in copia cum *carnium brodiis pinguibus* ingeratur; ac motibus veneni paulo ſopitis aliquid *theriacæ* aut *mithridatii* porrigendum & cum carnium brodiis ſedulo continuandum erit. Id tamen cum primis ſuaſero, ut in fatalibus ejusmodi caſibus, quam primum licuerit, præſentiſſima ſua opitulatione Medicus adſit, qui ad ſublevandam venenati miſeriam præſtanda præſtet.

§. V.

§. V.

De cibandi ordine, horis & tempore.

Quemadmodum de rerum ordine generatim æque ac pe spicue cum laude ſentiendum eſſe videtur, ita & ciban cum primis ordini ſuum pretium ſtatuendum fore, dub tari non poteſt.

Atque adeo ex mente tum Veterum, tum Recentiorum un ore, unoque calamo nobis firmo talo ſtabit: alimenta *calidi mollia*, *humida*, *tenuia* in prandio & cœna *frigidis*, *craſſis*, *dur* & *ſolidis* præmittenda fore, id, quod ſequentes verſus, quo Medica vetuſtas vernacula cantat, contendere omnino videntu

In dem Menſchen iſt zu mercken wohl,
Daß man das Warme eſſen ſoll,
Ehe man genieſt die kalte Speis,
Flüchtige, dünne, waiche und leichte gleicher Weis,
Den harten, dicken und ſchweren ſollen vorgehen,
Dann alſo des Leibs Geſundheit wird beſtehen.

Ratio aſſerti eſt, quod cibus præmiſſus *mollis*, *calidus*, *te nuis* ventriculum ad coquendum paret, dum ſtomachi calore excitat, lympham gaſtricam diluit, & fluidum nerveum in mo tus concitat, ut alimenta dein ſubſequentia, ad coquendum pa ratis omnibus, promptius digerantur, & coquantur facilius ſecus, quam ſi prius *craſſa* & *frigida*, quæ refrigerant, & ſu frigore ſuccum gaſtricum inſpiſſant, ventriculi fibras & nervo conſtringunt, adeoque concoctrices ventriculi vires enervant præmiſſa fuiſſent; ex quibus utique perſpicue ſatis colligitur: *te nuem mollem* & *calidum* victum *craſſiori* & *frigidiori* victus generi a menſam præmittendum, atque alimenta *calida* & *tenuia*, ant *craſſas* & *frigidas* dapes ingerenda fore.

Quod

Quod jam ad cibandi *horas* & *tempus* attinet, certum edendi tempus, horasque certas definire, in difficili erit; enim vero pro diverſa ratione *ætatis*, *temperamenti*, *virium roboris* & *conſuetudinis* ſe ſe reficiendi tempus omnino variat, quum, frequentiore utique & tenuiore parvulis præ adultis, ruſticis cum ſudore vultus ſui pane veſcentibus præ literatis, & vitam ſedentariam viventibus, frequentiore & craſſiore victus genere opus eſſe, ſana ratio ſuadet, neque unquam vocatum fuiſſe in dubium, nobis perſuadetur.

At vero his non obſtantibus certum cibandi tempus ſtatuere, ſtatasque menſæ horas civitate donare, omnino oportebit. Vnde cum primis toties cibus potusque ſumendi ſunt, quoties verus & naturalis appetitus ad menſam invitat, urgetque verum cibi deſiderium; atque ſitis ſenſibilis potum efflagitat, ſuavem clamat lympham, & dulce ſollicitat liquidum.

Siquidem hoc cibi, potusque deſiderium argumento eſt, concoctionem comeſtorum, vel jam penitus, ſeu potiſſimam ſaltem partem abſolutam fuiſſe, atque adeo naturam novum alimentum appetere, quo corporis *ſolida* & *fluida* alerentur, vita & ſanitas ſuſtentari & conſervari poſſent.

Diximus paulo ante, quod ſi *appetitus naturalis* ad menſam invitet, ſe ſe reficere, opportunum eſſe, eo quod nonnunquam (ut in morbis ab *acido ſtomachali* exorbitante pendentibus ſolet accidere) præternaturalis appetitus cibum urgeat, a quo tantum abeſt, ut nutriamur, quin potius offendamur, & morbus augeatur; adeoque in hoc rerum ſtatu detrahendum potius, quam addendum fore, voraci guturi altius inculcare juverit.

Denique temetipſum hic auſculta, quousque nempe cibum clamet ſtomachus, ſatiarique cupiat, illius ſaluberrimi moniti probe memor: *Tantum cibi potusque adhibendum eſſe, quo reficiantur, non opprimantur vires corporis.*

In ſumma igitur, quoties ratio & neceſſitas exigunt, toties menſæ accubetur. Interim more receptum fuit: aliud

 tem-

tempus, aliasque horas vulgo, & infimo genere natis, alias literatis, & generosa stirpe profectis ad cibandum destinatas esse; unde priores plerumque mane hora *septima* vel *octava*, tempore meridiei hora *undecima* vel *duodecima*, post meridiem hora *tertia*, vel *quarta*, noctu hora denique *septima*, vel *octava* mensæ adesse; posteriores vero ad meridiem hora *undecima*, vel *duodecima*, ad cœnæ tempus hora *sexta* vel *septima* se se reficere consueverunt. Dignos igitur censeo, quos hic diætæ versus addam:

Bis tibi quoque die cibus est sumendus, at ille
Sit bene conditus, sit lenis & modicus.
Mœsta procul fugiant longæ fastidia mensæ,
Sic pota, ut sitias, sic ede, ut esurias.

§. VI.

An largius prandium, cœnamve esse largiorem, an & jentacula, merendasque in deliciis habere præstet?

Qui salutis suæ amantes salubrioris Diætici instituti legibus nomen dedere, hos neque prandio, neque cœna excessuros esse, hinc iis prandium cœna largius, & cœnam prandio largiorem vilescere, spe firma tenemur. In promptu asserti ratio est: sive enim largiore prandio, sive cœna largiore ea mala (quæ superius a nimia alimentorum ingestorum *quantitate* natales duxisse, ostendimus) prodire in medium, ex iisdem rationibus nemini ulli obscurum esse potest.

Atque adeo aurea frugalitas tum prandii, tum cœnæ excessui longe anteponenda, & ambabus ulnis amplectenda est, qua non solum nulla labe vitiabitur stomachus, verum etiam salus & sanitas in tuto collocabuntur.

At vero in summa communis Medicorum fert sententia, largius esse prandium cœna, præstare, ex eo forte, quod diurnus cor-

corporis motus plus nocturna quiete comestorum digestioni serviat. Hac super re SALERNOS auscultemus, quibus in res nostras hoc modo modulari placet:

Ex magna cœna stomachi fit maxima pœna,
Vt sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

Jam vero ad eos modo convertimur gurgites & helluones, quibus prandii, cœnæque refectione minus contentis, in dies jentando & merendando tum opes suas corradere, tum vitæ sanitatisque suæ substantiam abligurire, more pessimo receptum fuit. Atque adeo non tam rustici & mercenarii, quorum labor, sudorque plures de die refectiones requirunt, quam litterati, & viri publici horum helluonum censum subeunt, qui etiam atque etiam certe non vilipendendo salutis suæ dispendio jentare & merendare consueverunt.

Damna ergo & calamitates ex jentaculis merendisque oriundas breviter recenseamus.

Siquidem dum, ciborum digestione cœpta, non dum vero absoluta, novus cibus ingeritur, cum priore ingesto is commiscetur, hinc concoctio duplicatur & depravatur, secundi assumpti cibi inchoanda digestio minuitur & hebetatur, imperfectus chylus enascitur, & chylificatio violatur; unde cruditates colligi, & continente merendarum labore vires & facultates coctrices stomachi magis magisque dejici, humani corporis partes *solidas* & *fluidas* gravius percelli, atque actiones in primis naturales & excretiones pessumdari, nec non materiam & fomitem ad morbos cum non levi salutis vitæque dispendio cudi & congeri, meridiana solis luce clarius elucescere videtur.

Præclare igitur & verissime de id genus materiæ argumento SANCTORIVS advertit, dum LIB. I. *aphor. 54.* ita disserit: *Nulla major pestis est valetudinis, quam, cibo non cocto, alium cibum ingerere.*

Porro quid opus multis? commeſſatores, gurgites, me
rendarios & jentatores miſeram & valetudinariam vitam vivere
iisque ante tempus maturam eſſe latam mortis ſententiam, quo
tidiana experientia comprobat, id, quod non tot, quin plures
caſus lugubres, & obſervationes Medicæ teſtatum volunt.

Quibus itaque ſalus ſua & longior ætas (præcipue vero
Literatis, & ad majoris momenti munera natis, quorum aliunde ſa
lus & valetudo ex nimiis ſtudiis & lucubrationibus vacillant
cordi fuerint; jentacula, merendas, & helluationes, niſi ma
turas mortis pœnas luere velint, omni modo, declinandas eſſe
palam eſt, id, quod altius helluonum animis inſculptum eſſe
volumus.

§. VII.

An finita menſa quieti vel corporis motui indulgendum ſit, num & brevi ſumptis dapibus ſtudiis vacare liceat?

E Amore, cultuque Eruditorum, in quorum obſequium
cum primis ſcripſimus, hæc agitatur quæſtio, quam
vero SALERNI SCRIPTORES unico hoc verſiculo ocyus ſo
lutum properant, hoc modo concinentes:

Poſt menſam ſtabis, aut paſſus mille meabis.

Hoc carmine innuitur: alicui motus exercitio, præſertim
moderato finita menſa indulgendum eſſe, atque præſtare, ut
motus temperatus quieti & vitæ ſedentariæ anteponatur; enim
vero moderato hujus motus exercitio, tum modo inchoata,
tum ad finem vergente comeſtorum concoctione, domi
forisque ſerena aura inſtituto, alimenta ingeſta ſatius commi-
ſcentur, ſuccus gaſtricus, ventriculi nervi, ac fibræ ad blan-
dum motum concitantur, motus ventriculi, & inteſtinorum
periſtalticus paulo magis intenditur, & ſollicitatur; quibus ſtan-
tibus aſſumptas dapes citius digeri & perfectius, adjuvari chy-
lifi-

ificationem, chylum rite in ſuas partes diſtribui, inde chylificationis, nutritionisque negotium ad vota fluere, nullus dubitandi relinquitur locus.

Verum tamen id genus motus exercitium pro diverſa ratione *ætatis*, *ſexus*, *virium roboris*, *anni temporis* & *conſuetudinis* intendendum, aut remittendum, & minuendum eſſe, facile ad intelligendum eſt, quum ſemper & ubique circumſtantiæ mutent caſus.

At vero ſi moderatus motus, milleque paſſus mox poſt menſam commenſurandi ſunt, ac temperati motus proderit exercitium, ſumptis epulis propediem vacare ſtudiis & lucubrationibus, pernicioſum fore, indeque ſanitatem offenſum iri, nullo tibi negotio perſuaſum erit.

Siquidem dum ejusmodi ſtudiis, ſpeculationibus, & intentioribus mentis operationibus mox poſt menſam, cœpta, aut paulo continuata digeſtione, opera datur, ſpiritus animales (quorum munus eſt in ventriculi nervos influere, & ciborum digeſtioni ſuccurrere) ad mentis actiones & literarum ſtudia in cerebro remanent, ibidem ſtudiis & mentis lucubrationibus impenduntur, unde eorum in ventriculi nervos influxus, quo adjuvari deberet concoctio, impeditur, ventriculi atonia adducitur, atque adeo ex hoc defectu influentium ſpirituum ventriculi coquendi facultati poni limites, quibus mala & ſymptomata a læſa alimentorum digeſtione oriunda producuntur, prorſus neceſſe eſſe, videtur.

Præterea & id addam, animum poſt menſam ad ſubeundas actiones animales, ſtudia & lucubrationes plerumque minus diſpoſitum eſſe, atque ad quietem potius, quam literarum ſtudia inclinare; hinc ſi omni niſu, omnique conatu ad ſtudendum intenditur, eo ipſo naturæ quædam violentia infertur, fluidum nerveum & ſpiritus animales mirum enervantur, adeoque ipſam intellectus regiam, ipſosque ſenſus & externos & internos arroſum iri & offenſum, perquam facile ad intelligendum erit.

 Prin-

Principes igitur humani corporis partes hac improba illic post epulas studendi consuetudine, & noxia lucubrandi solerti *caput* nempe & *stomachum* arrodi & oppugnari, abunde ex dicti liquet; id quod Literatorum auribus & cordibus altius inseren dum esse, putemus, quorum intererit, non pleno (sed cibo rum coctione finita, aut properante ad finem) & vacuo ventr litterarum vacare studiis; hinc de mane consilium, & auroran esse musis amicam Eruditis memori mente tenendum erit. Atqu adeo, quæ hucusque recensuimus, a vero minime abludere & aliena esse, horariis casibus & observationibus stabiliri potest.

SECTIO III.

De cibo speciatim spectato, ejusque differentia

§. I.

ALimentis hactenus generatim expensis, ad ali mentum speciatim expendendum, seu cibum progredi mur, naturam ejus & dotes, usus & abusus ad judici stateram appensuri. Vnde cum primis opinamur:

CIBVM *esse alimentum plus minus solidum, ex regno animal aut vegetabili petitum ad famem sedandam, & humani corporis par tes & solidas & fluidas nutriendas necessarium & ordinatum.*

Haud secus vero, ac alimentum, cibus dividitur I. in *Euchy mum*, qui bonum & laudabilem suppeditat chylum, seu parti bus *salubribus*, *oleosis*, *pinguibus*, & *spirituosis* humani corporis nutritioni accommodatis & respondentibus constat. II. in *ca cochymum*, qui pravum & illaudabilem chylum suggerit, atque partes heterogeneas, insalubres, *acidas*, *flatulentas*, *acres*, & corporis nutritioni minus idoneas in sinu suo fovet. III. in *eu peptum*, qui in ventriculo facilis est concoctionis, & substantiam, seu partes *molles*, *tenues*, *leves*, *humidas*, *aquosas*, *pingues*, & *oleagi-*

nosas

nosas multum nutritias continet. IV. denique in *dispeptum*, qui difficilius digestioni auscultat, atque substantia, seu partibus *duris*, *gravibus*, *crassis*, *solidis*, *crudis*, *viscidis* & *terrestribus* constat. Ex quo igitur facile eruitur, cibos *euchymos* & *eupeptos* pro salubribus, *dispeptos* vero & *cacochymos* pro insalubribus habendos esse, quorum *priores* humani corporis nutritioni patrocinantur, *posteriores* potius inutiles & excrementitii corporis partium *solidarum* & *fluidarum* alitioni resistunt. Atque adeo quantocyus salubriores cibos petemus.

§. II.

De cibis salubrioribus ex regno animali petitis.

E Cibos, quos ex regno animali accersimus, cum primis ex *quadrupedibus*, salubriores esse tenemus, carnes seu elixatas, seu assatas *agnorum*, *boum*, *vaccarum juniorum*, *caprorum*, *& caprearum juvencularum*, *cervorum*, *hinnulorum*, *avicularum*, *lepusculorum*, *porculorum*, *suum bene nutritarum*, *vervecum*, *annicu-lorum*, & *bimulorum*, *vitulorum*, reliqua. Atque carnes partium & viscerum ex quadrupedibus animantibus exemptorum, *linguæ* nempe *bubulæ*, passulis & amygdalis præparatæ, *genarum* præsertim *vitulinarum*, *aurium suillarum*, *corda* item & *mesenteria* vitulorum lactatorum, *ubera* suum, ovium, vaccarum juniorum, *thymi* speciatim vitulorum, *pulmones* juniorum animalium teneri, succulenti, & rubicundi, *medullæ* & ossium *pinguedines*, *lac* recens ex sana vacca mulsum laudabilis substantiæ, & qualitatis, ac mediocris consistentiæ, dulce & candidum; ne vero in ventriculo acescat, concedatque in putredinem, ante ejus usum aliquid salis vel sacchari lacteo addendum succo, sicque corrigendum lac, & a putredine arcendum erit. *Butyrum recens*, *caseus bene butyrosus*, & recens natus, minime vero fœculentus, vetus, induratus, & verminosus, cujus hoc versiculo SCHOLA SALERNA meminit:

Caseus est nequam, qui digerit omnia sequam.

De

De recente vero & salubri caseo, nec non de pane bene defœcato eadem SCHOLA hoc modo modulari amat:

Caseus & panis sunt optima fercula sanis,
Si non sunt sani, tunc hunc ne jungito pani.

Ex cœtu vero *animalium volatilium* salubritatis laudibus excellunt, qui modo cibi sequuntur: nempe carnes *alaudarum, anatum* & *anserum juniorum, attagenum, caponum, columbarum, ficedularum, gallinarum, gallorum gallinaceorum juniorum, pullorum, gallorum indicorum, urogallorum juniorum, perdicum, phasianorum, palumbarum, rusticolarum, turturum, & avicularum montanarum juniorum.* reliqua.

Atque huc referenda sunt horum, aliorumque volatilium *cerebella, linguæ, corda,* aliæque partes, præcipue vero *ova recenter elixata sorbilia* gallinarum, quibus salubria inter edulia principatum deberi, testis est SCHOLA SALERNA, quando his versibus accinit:

Ova recentia, vina rubentia, pinguia jura,
Quum simila pura naturæ sunt valitura.

Porro jam ad *aquatilia* festinamus, quæ inter in primis pisces suæ salubritatis laudibus celebramus, præcipue eos, qui corpore suo carnes molles & tenues gerunt, ac mediocris magnitudinis cocti bene sapiunt & nutriunt, nec non in fluidissimis puris & limpidis aquis degunt; cujusmodi sunt pelagii, saxatiles, fluviales, nominatim *anguillæ, barbones, cancri, cyprini, funduli, gammari, husones, linguaculæ, lucii minores, percæ, rhombi, salmones, soleæ, thymiali, rutæ minores,* &c. de quibus sequentes versus audiendi sunt, quos hoc modo SCHOLA SALERNA cantat:

Si pisces molles, magno sunt corpore, tolles,
Si pisces duri, parvi, sunt plus valituri.

Atque adeo hæc edulia ex regno animali mutuata tum *quadrupedia,* & *volatilia,* tum *aquatilia* vel ex eo præclaris salu-

bri-

britatis elogiis extollenda ſunt, quod tanquam *euchyma* & *eupepta* facilis promptæque digeſtionis & diſtributionis ſint, multumque materiæ alibilis & nutritiæ in ſinu ſuo foveant, adeoque adprime nutriendis corporis partibus & *ſolidis*, & *fluidis* velificentur.

§. III.

De cibis ſalubrioribus ex regno vegetabili oriundis.

Cibi, qui ex regno plantarum vegetabili natales ducunt, ſequentes excellere videntur: radices ſcilicet *cichorei*, *paſtinacei*, *petroſelini*, &c. Herbæ & folia *cichorei*, *acetoſæ*, *beccabungæ*, *chærefolii*, *endiviæ*, *lactucæ*, *naſturtii hortenſis* & *aquatici*, *ſpinachiæ* &c. Flores borraginis, bugloſſæ, cichorii. Semina *hordei*, *avenæ*, *milii*, *oryzæ*, *tritici*. Fructus, *amygdalæ* nempe *dulces*, *berberes*, *cappares recentes*, *ceraſa*, *cydonia*, *ficus recentes* & *ſiccatiæ*, *fraga*, *nuces juglandes*, *pineæ*, *jujubæ*, *mala aurantia*, *citria*, *olivæ maturæ*, *piſtachia*, *poma dulcia damaſcena*, *Borsdorffiana*, *ribes*, *ſebeſten*, *uvæ maturæ recentes* & *paſtæ*.

De fructibus vero hortenſibus, *pyris*, *pomis*, *prunis*, *ceraſis* &c. in ſumma id notare juverit: has illecebras quandoque delibare, nuſpiam vero iis familiarius uti, & excedere, præſertim in debiliore ventriculo & vita ſedentaria, licere, quia cruda hæc edulia ſunt, hinc & cruditates in corpore pariunt, plerumque digeſtioni reſiſtunt, & adverſantur.

Denique cibos inter ſalubriores panis numerandus venit, ex *bona farina*, *aqua* & debito condimento, *ſale* ſcilicet & *fermento* (nonnunquam addito ſemine *aniſi*, vel *fæniculi*, aut *cumini*) piſtus, fermentatus & præparatus, mediocris ætatis & ſoliditatis, hinc ne inveteratus, nimiſque induratus ſit, oportet, qui panis his dotibus conſpicuus non ſolum nihil *diſpeptæ* & *cacochymæ* continet ſubſtantiæ, verum potius partes *euchymas* & *eupeptas*, quæ ad alendum corpus omnino aptæ & idoneæ ſunt,

in ſinu ſuo condit, unde eximiis ſalubritatis elogiis extolli meretur.

Quid vero magis hanc noſtram firmet ſententiam, quam exempla & ſacræ hiſtoriæ? quibus inſignem panis nutriendi facultatem firmari, & inclareſcere, nullum ſubit dubium. Qua de cauſſa in primis vitæ SANCTORUM PATRUM de Divo Antonio Eremitarum Patriarcha teſtatum volunt: Eum cultioris, ſanctioris que vitæ inſtituto ductum nonaginta & amplius annis in ſua ſolitudine ſuo ſerviiſſe Numini, quibus annorum luſtris ſolo *pane* & *aqua* refectus & enutritus ſuos vitæ dies transegiſſe perhibetur..

De Divo Paulo Hieronymus refert: hunc Anachoretarum Principem per centum annorum ætatem in deſerto Divinis ſacris adjeciſſe animum, qua annorum ſerie quadraginta annis indies frigido aquæ, & paucis dactylis, reliquo vero vitæ tempore, ubi hæ fruges defeciſſent, dimidio panis per ſingulos dies a corvo allati paſtus & ſuſtentatus fuerat. Porro quis ignorat? hodie dum innumeros humili caſa natos, quibus res anguſta domi, numerandos eſſe, qui ſolo pane & aqua, ſive crudis, ſive coctis pauperculam vivere vitam, & inopes vitæ dies conſervare coguntur, ut adeo a prudentum nemine de inſigni panis alendi, nutriendique facultate dubitari queat.

§. IV.

De cibis ſalubrioribus ex reptilium, ranarum, limacum, ſerpentum, & viperarum cœtu deſumptis.

Improbitatis forte inſimulabor, & immanis videbor Æſculapius, dum venenata hæc animalcula producere, & in cibum commendare nihil vereor, nihil erubeſco. At mitius ſpero fore judicium, mitioremque imputati ſceleris ſententiam, quando ob oculos poſuero, ejusmodi reptilia non modo admirandis corpus nutriendi pollere viribus, verum etiam morbis graviſſimis medendi facultate eluceſcere, demonſtravero.

Quam

Quam ob rem in primis *ranæ*, *cochleæ*, *teſtudines euchymæ* & *eupeptæ* ſunt ſubſtantiæ, ac lege artis coctæ & præparatæ partes *molles*, *tenues*, *oleoſas*, & *gelatinoſas* noſtri corporis partibus nutriendis conſentaneas ſuppeditant; unde hæc inſecta, & eorum brodia comeſta humectant, nutriunt, & humorum acredini dulcedinem & temperiem conciliant; hinc non abs re modo internis varii generis ægritudinibus, ab humorum acrimonia & putredine ortis, *febribus* nempe, *catarrhis*, *arthritidi*, *rhevmatiſmo*, *podagræ*, *ſcorbuto*, *phtyſi*, *tabi*, *atrophiæ* &c. verum etiam externis cutis defœdationibus, *ſcabiei*, *ſiccæ* & *humidæ*, *lepræ*, *ulceribus* &c. tum nutriendo, tum medendo dicta reptilia, eorum gelatinæ & brodia auxiliantur, & ſaluberrimo præſidio ſunt.

Majoribus laudum elogiis carnes viperæ vivæ celebrandas eſſe, contendimus, quippe hæc reptilia viva, licet in externis partibus *cute*, *cauda*, *capite* & *lingua* quadam veneni labe commaculata eſſe putentur, attamen laudabiles *carnoſas* & *ſucculento-pinguiuſculas* ac *tenuiſſimas partes ſpirituoſas* in ſinu ſuo condere, quibus mira ſanguinem & humores depurandi, atque partes ſolidas nutriendi & roborandi virtute reſplendent, non modo ratione ſolida, & authoritate, ſed & frequente experientia inter omnes conſtat.

Profecto namque novimus, quos vivis vidimus oculis, tam præclaros & admirandos *viperarum brodia*, curæ methodicæ more adhibita, in morbis etiam graviſſimis & propemodum conclamatis effectus præſtitiſſe, ut ego, aliique præſentes in admirationem rapti, viperina juſcula recens cocta & præparata, ſummis medendi viribus, & facultatibus prædita eſſe, merito in animum induceremus.

Digna ſunt, quæ hic addam viperæ merita, quorum Clariſſimus ETTMILLERVS in ſuo regno animali his verbis meminit: „ Vipera ſummum in primis alexipharmacum, & mul„ torum morborum ſaluberrima medicina eſt. Quod virtutes „ attinet, in genere non vipera tantum, ſed re vera quilibet

„ ſerpentes promiſcue in uſum medicum mihi poſſunt inſervire
„ Pollent mirabiliter *vi alexipharmaca*, *ſudorifera*, *virium reſtau-*
„ *rativa*, & *malignitatis expulſiva*. *Variolarum*, *purpuræ*, & *ſcabiei*
„ *retropulſæ* tam *benignæ*, quam *ferinæ*, ſeu *malignæ expulſiva* &
„ *balſamica* ad vitam ſanam.

Porro in aliis humani corporis afflictionibus & ægritudini-
bus a ſanguinis & humorum *acrimonia*, *putredine* & *ichoreſcentia*,
viſcerumque atonia pendentibus, cum primis *lue venerea*, *arthri-
tide*, *podagra*, *cephalalgia*, *melancholia*, *ſcorbuto*, *purpura rubra* &
alba; in affectibus *ſpaſmodicis* & *convulſivis*, in *abſceſſibus*, *tabe*, *phty-
ſi*, *atrophia*, *febribus lentis* & *hecticis*, in *virium deperditione a mor-
bis gravioribus exantlatis oriunda*, *in delaſſato ſenio*, *omniumque cor-
poris partium atonia & robore perdito* viperina juſcula tanquam
celeberrima alimenta medicamentoſa, & excellentiſſima anti-
dota ſummam commendationem, laudesque non vulgares me-
reri, uno pene ore, uno Medicorum calamo & conſenſione
ſtabilitur.

Sunt, qui ſpeciatim nominatimque noſtris placitis ſuffra-
gia ferunt, ſubſcribuntque Medicinæ Prudentiæ Atlantes MI-
CHAELIS, GALENVS, BORELLVS, ZWELFERVS, ELI-
DEVS PADVANVS, CHARAS, RHEDI, BOYLE, AN-
DROMACHVS, WORMIVS, WEDELIVS & alii, a quibus
una omnium conſentientium voce & conſenſione in noſtram
itum fuiſſe ſententiam, lubeat experiri.

§. V.

An ad unam, eandemque menſam promiſcue varios & multiplices cibos ingerere liceat, an & dapes aſſuetæ, vel inaſſuetæ ſalubritate præſtent?

Tametſi varii & multiplices cibi una, eademque menſa
comeſti noxias ſuas & deleterias vires non illico & ubi-
que in corpus humanum exerant: tardius tamen & ſuo tempore

inge-

ingestorum multiplicium varietatem sanitatis rebus officere, & œconomiam animalis vulnerare, actutum erit obvium, tuosque ponetur ante oculos. Siquidem tot & diversa edulia totidem diversis partibus & qualitatibus, quæ contrariis & diversis motibus & actionibus in ventriculo agunt, & operantur, constant & abundant, atque adeo ingesta fermentare, in motus contrarios agi, hinc concoctionem turbari, & depravari, ac minus laudabilem chylum confici, sed potius a læsa digestione massam crudam, & cruditates morborum fœcundas genitrices (eo modo, ut in cibis *nimia quantitate* ingestis solet accidere) enasci & prodire in medium, & ratione & experientia liquet.

Quod modo ad *assueta*, vel *inassueta* attinet, id nobis sentiendum esse videtur, quod licet *inassueta* edulia quo ad substantiam & qualitates ejusdem pretii ac bonitatis, sicut *assueta* esse possint, nihilo tamen minus hæc ceu naturæ amica inassuetis tanquam inimicis præstent; quum assueta corpori nostro grata inassuetis facilius a ventriculo coquantur & digerantur, hinc & perfectiorem chylum, seu succum nutritium suppeditent, qui prompte distribuitur, ac pro nutriendis nostri corporis partibus lege & occasione humorum circulationis in sua loca defertur & alendis partibus tum *solidis*, tum *fluidis* apponitur; adeoque plus salubritatis *assueta* præ *inassuetis* nobis præstare, extra dubium positum esse videtur. Id, quod cum Medicinæ Parente asserere nihil veremur, qui assueta licet paulo deterioris conditionis inassuetis anteponenda esse, contendit, dum SECT. II. *aphoris*. 5. conceptis verbis ait: *Quæ ex longo tempore assueta sunt, etsi deteriora sint inassuetis, minus molestare solent.*

Assertum hoc peregrinationibus, cœli & aeris mutationibus firmatum & illustratum eamus, quibus certe constat: eos, qui e patrio solo alio in remotiora & nova loca migrant, conceduntque, ibi diutius commorantes novis & inassuetis cibis ac aere vescuntur, non raro suo tempore, quin de morbi caussa constet, infirmari, & in morbos incidere, quas sanitatis mu-

tationes, morbos & calamitates novo, ac inaſſueto victui & aeri tribuendas fore, non abs re exiſtimandum erit. Ex quibus conſectarium eſt, non modo cibos inaſſuetos aſſuetis inſalubriores eſſe, verum etiam ciborum aſſuetorum licet paulo deteriorum uſui indulgeri poſſe; hac tamen lege, ut in ſumma naturæ vires & ventriculi, cui nempe pares ſint ferendo oneri, propius attendantur.

§. VI.

An cibi ex regno animali, vel vegetabili, item an ex animalibus terreſtribus, vel aquatilibus deſumpti ſalubritate præſtent?

In hac volvenda quæſtione id nobis videtur, quod cibi ex regno animali petiti, præ iis, qui ex regno vegetabili oriundi ſunt, item edulia, quæ ex animantibus terreſtribus petuntur, ante aquatilia, ſeu piſces ſalubritate antecellant; ratio aſſertionis eſt: quod cibi ex regno animali oriundi partes humani corporis nutritioni magis pares & conſentaneas; *pingues* nempe, *molles*, *oleoſas*, *gelatinoſas* & *ſpirituoſas* (ſecus ac plantæ & piſces) in ſinu ſuo foveant, atque adeo majore nutriendi facultate cibos regni animalis, quam vegetabilis, item animantia terreſtria, quam piſces & aquatilia refulgere, vix in dubium vocari poteſt. Sententia firmatur obſervationibus Medicis, quibus conſtat: a cibis regni vegetabilis & aquatilium mox offendi debiliorem ventriculum, qui ab ingeſtis regni animalis nihil offenditur, verum potius a morbo immunis conſervatur.

§. VII.

§. VII.

Verumne ſit tritum illud effatum? *Quod ſapit, nutrit.*

Nunquid helluo! placet hic in aure ſonus? mulcent hæ mellitæ voces? quibus AVICENNA LIB. I. *ſenſ. 3.* favet, & ait: *Quod ſapit, nutrit.* Pergratum forte Author abdomini natis tulit nuncium, quo nunciavit: eousque ventres replendos eſſe, quo usque cibus, potusque placent & ſapiunt, quum eſculenta & potulenta cum deſiderio, aviditate, & voluptate aſſumpta promptius ampleƈtitur ventriculus, expeditius coquit, atque adeo hoc modo intus ſumpta humani corporis nutritioni propius velificantur. Sed ne triumphes ante tempus helluo! non dum enim parta eſt viƈtoria, neque adhuc palma ad tuas delata manus. Siquidem hoc adagium: *quod ſapit, nutrit*, ne ſolum dubium, verum etiam ab omni vero eſſe alienum, vel ex eo liquet: quod innumera ſunt, quæ palato placent, & ſapiunt, verum tamen non modo non nutriunt, ſed potius corporis noſtri nutritionem violant & turbant, adeoque proſpere valetudinis ſucceſſus vulnerant, id, quod rationi & experientiæ congruere videtur. Ecce enim *bellaria dulcia, & legumina, fruƈtus crudos, horæos, oſtreas, anguillas, en fungos, ubera terræ, caſeos veteres, acidos, putridos, verminoſos!* &c. quæ utique edulia forte ſapiunt, tuoque palato placent, interim tantum abeſt, ut corpus nutriant, quin potius corporis nutritioni arƈtiſſimos ponere limites, adeoque valetudinis bona arrodere, & opes, tum alibi ob oculos poſuimus, tum quisque alius, modo ad id genus dapes advertat animum, nullo labore experietur.

Quam ob rem minime gentium in viƈtus genere ratio ſaporis aut palati, ſed laudabilis potius ipſius cibi dotis & qualitatis habenda eſt, a qua ſolum, & præcipue, nequaquam vero a palato & ſapore genuinam nutriendi rationem pendere, con-

cordi

cordi Medicorum calculo constat, id, quod a nemine ull[i] facile ignoratur. Vere igitur, & sapienter Doctissimus WEI[N]HARDIVS in sensa nostra refert, dum QVÆST. XXI. *sui th[e]saur. sanitat. fol. 123.* his verbis ait: „ Igitur vitiose voluptu[o]„ sus & gulosus sapor est ægritudinis Mater, morborum fo[ns] „ uberrimus, damnorum appendix, doloris germanus frate[r,] „ temperantiæ invisus hostis, rubigo animæ, virtutum carn[i]„ fex, ac esca malorum plurimorum, adeo, ut quod sapit, nutri[at] „ non *hominem*, qui ad majora natus est, quam ut sit mancipiu[m] „ sui corporis, sed *gulam*, sed *morbum* attineat, quia servi[re] „ ventri morbus est gravissimus, & ubi ventris ingluvies, i[bi] „ morborum colluvies; quare pravam hanc alimentorum h[or]tante HORAT. EPIST. I.

Sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas.

Alius igitur sensus Avicenniani adagii erit, quam is, q[ui] lustris & abdomini natis in votis est, & qui porro nobis f[re]quens esse videtur: quod nempe sapit, & voluptate gula[m] afficit, tanquam cibus jam a teneris, aut plurium annoru[m] lustris assuetus, vel cibus laudabilis & homogeneus, & facil[is] concoctionis, qui naturæ, ætati, corporis & ventriculi vi[ri]bus respondet, aut denique cibus, licet in se amodo vitiosu[s] rarius tamen & modice sumptus, is inquam: nutrit & confer[t] est, quod uno ore, & una voce approbatur. At vero cib[os] insolitos, naturæ nostræ dissentaneos, qui difficilis concocti[o]nis sunt, & minus laudabilem chylum suggerunt, eousque co[r]pus nostrum nutrire, quousque sapiunt, est, quod etiam i[n] arte Medica hospes & peregrinus merito inficiatur. Eni[m] vero ab id genus eduliis non solum nihil probæ nutritionis, verum potius corporis sordes & cruditates morboruw genitr[i]ces, quæ a cibis difficilioris digestionis oriundæ sunt, exsp[e]ctandas fore, neminem in dubio versari sinet. En itaque me[n]tem AVICENNÆ, & sensa Avicenniani effati, *quod sapit, nu*

trit,

trit, quibus inſtructus ita comedes, ut comeſta ſapiant & nutriant, atque adeo beatæ valetudinis proſperitates conſervatura ſint, id, quod toto precamur animo.

§. VIII.

Referuntur leges quædam generales ad omnem menſam obſervatu utiles.

E Brutis vorandum, & homini ſuæ ſalutis avido manducandum eſt, hic namque ab illo certa edendi, veſcendique ratione differt, aut differat, oportet, ut igitur ſalubrem & ſalutarem cibandi ordinem ſervet homo, non modo hortamur, verum etiam eum in finem certas leges condere, haud abs re fore exiſtimamus.

I. Homo ſalutis ſuæ amans, nunquam menſam adeat, & comedat, niſi naturali quodam appetitu, fame aut ſiti vocatus & monitus, quo ſtomachum vocantem, & cibis forte vacuum ſaturabit, atque ſic facilius coquet ſtomachus, & cibos parabit pro nutriendo corpore. II. Nullum cibi genus comedatur, niſi prius lege artis coctum & præparatum, unde cruda minus *elixata*, aut *aſſata*, item exceſſiva *dulcia* & *acida*, nec non *bis cocta* edulia exulent, quum facile in ventriculo putreſcant & fermentent, difficilius ſubigantur & coquantur a ſtomacho, hinc ex ejusmodi comeſtis mala a læſa digeſtione oriunda pullulant & enaſcuntur. Atque adeo recte is monuit, qui lingua vernacula his verbis ait:

Es iſt beſſer, daß die Speiſen ſeyn vorher wohl gekocht in dem Hafen, als daß ſie erſt müſſen gekocht werden in dem Magen.

III. Præſtat, cibos in ore pro digeſtione præparare, unde in os aſſumpti, antequam deglutiantur, prius dentibus in ore probe maſticentur, & comminuantur, quo facto facilius ſuccedet concoctio, omiſſa vero maſticatione digeſtio lædetur & perturbabitur, atque læſæ digeſtionis mala & ſymptomata ex-

orientur, ut adeo adprime veritati conſonet effatum Medicum. *Decem boli bene triturati, menſtruoque ſalivali macerati, facilius in ventriculo ſolvuntur, quam unus non maſticatus.* Qua de cauſſa & ARABES vere & ſapienter ſenſere, dum ajebant: *Qui maſticationem negligit, vitam odit.*

IV. Ne nimis præpropere cibi maſticati deglutiantur, namque ex repentina & celeriore deglutione extemplo & forte fortuito in laryngem & pulmonum bronchia aliquid cibi irruit; unde nonnunquam metus adeſt ſuffocationis, mors & fata imminent, id, quod triſtis experientia, & obſervationes Medicæ teſtatum volunt. V. Ad quamvis menſam, prandium & cœnam id tenendum cibandi conſilium, ne ad plenam & omnimodam manducetur ſatietatem, & ad rumpendum quaſi ſtomachum, ſed ſatiari nos oportet quodam ſuperſtite adhuc cibi deſiderio, quo vires ſtomachi tuebimur, ciborum ſolutio, eo, quo modo decet, peragetur. VI. *Liquida* reſpondeant *ſolidis*, & *ſolidis liquidis*, ſeu potulenta eſculentis, & eſculenta potulentis, quæ ſervata proportione ſolida inter & liquida concoctio ſecundabitur; ubi ſi plus ingeſſeris liquidi, quam exigunt ſolida, aut plus ſolidi, quam requirunt liquida, turbatur concoctio, & chylificatio, quas læſas læſæ chylificationis mala excipiunt & ſymptomata. VII. Quisque declinet edulia, quæ ab ineunte ætate odit, & a teneris averſatur: enim vero hæc contra naturam ingeſta digeſtionem turbant, minus coquuntur, & non ſemel per vomitum ejiciuntur, hinc ſufflaminatur ſtomachus, & læſæ concoctionis incommoda prodeunt, & enaſcuntur. VIII. Ad prandium & cœnam æqua frugalitatis ratio habenda, & debitus cibos ingerendi ordo attendendus eſt; unde omnis menſæ exceſſus, ſi ſanitatis rebus, ſubit animum, conſulere, faſtidiamus, id, quod cum primis abdomini natos & gurgites, qui in luſtris & commeſſationibus vitam & valetudinem amant prodigere, altius monere juverit. Memore igitur mente teneant hi Ganeones & Decoctores, quæ SCHOLA SALERNA mo-

monet, dum his verbis differit: *Sanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis; & cum reliquiis famis ſurgere.*

Atque adeo has leges Litteratis præcipue, & altioris momenti immerſis negotiis, qui noxiæ vitæ ſedentariæ, noxiisque lucubrationibus morem gerunt, ſi ſanam vitam vivere, & venerandam conſequi cæſariem, eorum ſubit animum, eſſe commendatas efflagitamus.

SECTIO IV.
De diverſa victus ratione reſpectu temperamenti, virium roboris, vitæ ſtatus, & anni temporis.

Quemadmodum non omnis fert omnia tellus, ita non omnis homo omnem fert victum, qui pro diverſa ratione circumſtantiarum *fortis* nempe & *imbecillis*, *Litterati* & *ruſtici*, *euſarchi* & *gracilis* &c. variat, mutat, & mutandus eſt, id, quod prudente ratione conjicitur, & experientia ſtabilitur. Vnde ſit

§. I.
De victus ratione & diætæ regimine hominis athletæ & imbecillis.

HOMO ATHLETA is eſt, qui forti & nervoſo corpore, ac eximiis viribus gaudet, qui ad quosvis motus & actiones tum *voluntarias*, tum *neceſſarias* prompte ſubeundas ſufficit. Vnde & animo forti, magnoque ac ingenio alacri athletæ ſunt, nec tam facile in morbos ruunt, atque a rebus noxiis, rerumque injuriis tardius offenduntur, nec tam facile valetudinis labem ſubeunt.

Id genus vero hominis athletæ robur, viresque quum a corporis *ſolidorum* præſertim *oſſium, nervorum* & *muſculorum* du-

ritie, magnitudine & ſoliditate, nec non a *fluidorum boni ſanguinis*, *fluidi nervei* & *ſpiritus vitalis* copia dependere, nemini ulli captu obſcurum eſſe poteſt. Atque adeo recte *fortes* inter & *athletas* numerantur homines robuſti nervoſi & lacertoſi, ruſtici nempe, plebeii, ac alii ad dura & aſpera nati; ratione *ætatis* juniores, intuitu *temperamenti* ſanguineo-cholerici, reſpectu *habitus corporis*, qui neque ſunt nimis pingues, neque nimis teneri & graciles, verum tenuere medium, quos natura ad ſua præſtanda nervorum & muſculorum robore viribusque abunde inſtruxit.

Recte igitur huc referuntur tum *educationis*, tum *climatis* gratia, *Weſtphali*, *Pomerani*, *Hungari*, *Brunſwicenſes*, *Tyrolenſes*, *Helveti*, aliæque Germanæ originis gentes, quibus ob naturale ſuum robur, viresque eximias athletæ prærogativa æquo & jure debetur.

Quod jam ad victus rationem, & diætæ inſtitutum horum athletarum attinet, certe ſuis gaudent privilegiis, neque tam ſtricte & religioſe, ut debiliores ad diætæ leges obligantur; in multis etiam noxiis a ſuæ naturæ & naturalium virium benignitate exemti & diſpenſati non tantum a rerum inſalubrium uſu & rerum naturalium abuſu minus offenduntur, & impune evadunt, verum etiam a Diætetici regiminis peccato citius abſolvuntur in priſtinam ſalutis ſuæ redituri gratiam. Quin immo iis opus eſt ad dura & aſpera natis crudiore diætetici inſtituti regimine, cui utpote jam a teneris aſſueverunt; quod & CORNELIVS CELSVS præcipit, dum de homine robuſto LIB. I. *cap. 1.* his verbis effatur: *Homo robuſtus ex omni parte valens non facile a quodam exceſſu læſionem ſentit, ideo non ſe tam ſtricte obligare debet legibus diæteticis, ſed varium vitæ genus habere, omnibusque aſſueſcere oportet.* Provide tamen & ſapienter Author in ejusdem fine Capitis ſubdit, *ne in ſecunda valetudine adverſis præſidiis conſumantur.* Id eſt: ne vires ſuas quovis modo athletæ, præcipue vero aperte noxiis ſive *alimentis*, ſive *medicamentis*, aliis-

que

que rebus perniciosis non naturalibus perditum dissipatumque eant, si animo ratum firmumque habeant, valetudinis suæ tueri fortunas, vitæque consequi diuturnitatem.

Ex quibus utique pronum est colligere: fortiores & athletas posse non semel impune excedere, modo manifeste noxia declinent, & virium conservationi studeant, secus ac imbecillibus licet, qui stricte diætæ legibus obligantur, quorum igitur victus rationem & diætæ regimen ocyus significatum dabimus.

Quam ob rem recto ordine ab athleta debilis & imbecillis (qui debiliore corporis constitutione vel hereditario jure, aut aliis rebus noxiis contracta instructus est, & dolet) adeundus erit, cui utique ob debiliorem naturæ complexionem, quæ a debilis corporis angustioribus vasis sanguiferis, ac fibris & nervis tenuioribus, musculis & tendinibus laxis & sensibilibus ortum ducit, diætæ regimen aliud a fortiorum diæta omnino diversum competere, dubitari non potest, id, quod modo testatum facere, & apertius demonstrare propius ad nostrum accedit propositum.

Quapropter cum primis imbecilles (quorum cœtum subeunt quo ad *ætatem* infantes & senes, intuitu *vitæ status* Litterati, desides item otio vacantes, valetudinarii, & ex superatis morbis resurgentes, vel adversis animi pathematibus viribus fracti, aut medicamentis drasticis, vel fame & egestate, aut nimiis sanguinis profusionibus virium jacturam passi, sexus fœmineus præ virili &c.) labores arduos, adversa animi pathemata, iram, mœrorem, tristitiam, curas, sollicitudines, litterarum studia & lucubrationes, vitam sedentariam, cibi, potusque quosvis excessus, calorem nimium, & frigus excessivum, nimium somnum, nimiasque vigilias, omnesque vitiosi & insalubris aeris injurias omni modo devitare conentur, si miseram & valetudinariam prolongare vitam, sibique esse propitiam, in votis habeant.

Quum igitur miſera imbecillium vitæ conditio a corpori ſui benignorum & laudabilium humorum *ſanguinis* nempe & *ſucci nutritii* inopia, liquorum *corruptione* & *acrimonia*, *ſolidorumque atonia* potiſſimam partem pendeat, id præcipue Medici ſpectet induſtria, ut perperam medicamentorum voragine adhibita, quæ imbecillitati gradus addit, debita victus ratio, præcipue vero *naturalis ciborum concoctio*, & *inſenſibilis perſpiratio* ſartæ tectæ ſerventur, & quam primum paulo læſæ fuerunt hæ actiones principes, ocyus corrigantur & redintegrentur, quibus ſalvis & integris quum laudabiles nutritii humores reparantur & augentur, tum humorum acrimonia & putredo tollitur & emendatur.

Exulet igitur in primis omnis exceſſus cibi potusque tum quo ad *quantitatem*, tum quo ad *qualitatem*, exulent, quæ difficilis concoctionis ſunt, quorum cenſum ſubeunt edulia *acida*, *dulcia*, *flatulenta*, carnes nempe *ſylveſtres*, *fumo indurata*, legumina *fabæ*, *lentes*, *piſa*, *nuces*; fructus horæi *poma*, *pyra*, *pruna*, *caſeus*, *lacticinia*, *farincea*, eſculenta nimis ſalita, & aromatiſata, pinguia, bis cocta, & quæ lege artis cocta non ſunt, &c. His inquam & ſimilibus eduliis, nec non quibusvis aeris injuriis terga vertere, imbecilles omnino decet.

E diverſis autem iis conveniunt & commendanda ſunt dapes facilis concoctionis, & pravæ qualitatis expertes, brodia ſcilicet carnium *macra*, *cremores hordei* & *avenæ*, *juſcula cancrina*, carnes *elixatæ* potius, quam *aſſæ*, *vitulinæ*, *gallinæ*, *vervecinæ*; *ova ſorbilia* &c. His rurſus vetantur nimia ſtudia, lucubrationes, vita ſedentaria, adverſa mentis pathemata *ira*, *triſtitia*, *curæ*, *ſollicitudines*, *terrores*; prodeſt vero ipſis moderatus corporis motus, *vectione* vel *equitatione*, aura temperata & ſerena, celebrari ſolitus, aeris vero exceſſus, tum nimis calidus, tum nimis frigidus, ut inſenſibilis perſpiratio ſalva ſervetur, angue pejus fugiantur.

§. II.

§. II.

De victus ratione & diætæ regimine Litteratorum.

Quam certo & indubie conſtat, tuendæ valetudini *motum corporis* & *moderata exercitia* perpetuo eſſe præſidio, tam dilucidum perſpicuumque conficitur, nihil magis humani corporis ſaluti parare inſidias, & quotidiana infligere vulnera, quam *immodica litterarum ſtudia, lucu-rationes & vitam ſedentariam*, utpote quæ in Doctos & Erudi-os fremere, eorumque ſanitatis ſpes & opes arrodere ac pro-igere conſueverunt.

Atque adeo *ſtudia* quidem & *lucubrationes*, dum ſpiritus ani-nales & fluidum nerveum abſumendo in corporis vires graſ-ſantur, eas perdunt & diſſipant, adeoque eruditum enervant nimum; *vita vero ſedentaria*, quod in primis humores inſpiſ-et, eorum circulum, itum & reditum tardet, ſpeciatim cibo-um ſolutionem minuat & deprimat, hinc chylum vitioſum roducit, cruditates ſordesque morborum genitrices in ven-riculo & inteſtinis ingenerat; ſpeciatim igitur nominatimque *ardialgias, dolores ſtomachi, flatus, ructus, alvi obſtipationes*, præ-ipue vero *illam Litteratorum peſtem, malum hypochondriacum* dictam, x inſalubri hac vena (immodicis ſtudiis & vita ſedentaria) uere, ergo resque ſpesque ſalutis vacillare, & graviores ca-amitates eos incurrere, quotidianis exemplis patet, viventibus-ue videri poteſt oculis. Recte igitur in obſequium Litterato-um (quos nunquam non ſingulari veneratione proſequimur) ic certas diætetici regiminis leges condere, noſtri eſſe muneris xiſtimavimus.

Quam ob rem Litterati I. non ad ipſam usque menſam & ctualem ciborum ingeſtionem pulpito ſuo aſſideant, ac ad lit-eras incumbant, verum dimidio ſaltem horæ ſpatio ante dapes tudere deſinant, & ſuo jure, ſuaque commoditate (vel diſcur-

ren-

rendo, vel converſando) utantur, in ipſa vero menſa procul ab iis curæ abſint, mentis meditationes, & ſtudiorum recollectiones, ſed animus ſuæ libertatis ſit, ſuavique recreetur colloquio, atque hæc ſunt, quæ egregie concoctioni ſubveniunt, ſuosque gradus addunt. II. Tempus, horæque ſtudiis ſacræ, & dicatæ Muſis juxta illud: *Aurora Muſis amica*, matutinæ plerumque & veſpertinæ ſint, quia his horis ciborum ſolutio aut jam abſoluta eſt, aut ad finem properat, mens ſerena eſt, & corporis vires a concoctione liberæ jam ſtudiis opportunius impendi poſſunt. Quam parum igitur III. ſuæ ſaluti conſulant, qui ſumptis cœna & prandio illico ad pulpitum ſuum advolantes per horas plures aut dimidias noctes in litteras inſudant, ex eo pronum eſt colligere, quando his horis naturæ coquendum, & minime ſtudendum eſt; unde totis viribus eruditus moneatur animus, ne hoc ciborum concoctioni deſtinato tempore intenſius Muſis litet, dum ſaluti ſuæ conſulere, & venerabilem conſequi cæſariem, deſiderat. IV. Quorum fuerit vacare litteris, tenuiore utantur victus genere, declinando in primis illa edulia, quæ flatus progignunt, & concoctioni reſiſtunt, ut ſunt leguminoſa, *fabæ*, *piſa*, *cæpæ*, *lentes*, *nuces*, *caſeus*, *vina acida*, *cereviſiæ craſſæ*, una & *merendæ* ac *jentacula*, item *carnes fumo induratæ & pingues*, *lacticinia*, & *farinacea*, nec non *fructus horæi*, *pyra* & *poma*, aliaque *dulcia*, *cruda* & *acida* &c. quum id genus epulæ difficillime coquantur, flatus, & cruditates in ventriculo pariant, qui caput petunt, ſenſus obtundunt, & intellectus regiam obſcurant, atque adeo litteratum animum infirmant, minusque idoneum reddunt ad ſuas actiones & functiones peragendas. Contra vero Litteratis conveniunt victus tenuior & facilis ſolutionis, *carnium* nempe *brodia macra*, *cremores hordei* & *avenæ tenues*, *carnes elixatæ bubulæ*, *vitulinæ*, *gallinæ*, *ova ſorbilia*, *piſces ex aquis fluidis*, *cereviſiæ tenues*, *vina aqua diluta*, aliaque id genus edulia, quæ prompte digeſtioni auſcultant, & tanquam amica ſtomacho & capiti, Litteratorum ingenio

genio & valetudini oppido patrocinantur. V. Ne nimis dormiant, nimiumque vigilent Eruditi, oportet, illius Salerni moniti memores:

Septem horis dormisse sat est juvenique senique.

Enim vero tum vigiliarum, tum somni excessus spiritus vitales & animales depascunt, hinc vires corporis consumunt, corpusque enervant, unde actiones œconomiæ animalis languent, excretiones naturales pessumdantur, præcipue vero concoctio minuitur, & conquassatur, atque adeo coquuntur in stomacho sordes & cruditates, quæ morbis materiam suggerunt, & summo illibatæ Eruditorum sanitatis bono exitium parant. VI. Se se penitus Palladi, & Musarum sacris devoventes, certos suis studiis limites, certosque fines ponant, ac corpus suum, animumque jucundo nonnunquam otio, *amica nempe conversatione*, vel *obambulatione*, *vectione*, aut *equitatione*, *amicorum visitatione & quodam itinere* recreent, ac suis porro quandoque interponant gaudia curis, quo fiet, ut animus studiis fractus novos ad studendum resumat spiritus, vires lucubrationibus perditæ recolligantur, mens ad repetenda studia rursus excitetur & animetur, id, quod non modo utile & salutare, verum etiam Erudito animo prorsus necessarium esse, nobis persuadetur. VII. Quum nihil sit, quo facilius Litterati, quam studendum inter & lucubrandum indesinente sessione vel statione, offendantur, minime perseveranter sedere, aut una stare serie, sed mutare, quandoque scilicet sedere aut stare, modo surgere & obambulare (ut sessionem vel stationem inter & obambulationem alternetur) expedit, quo modo sessio cum ambulatione & ambulatio cum sessione ita attemperabuntur, ut litterarum studia hoc modo instituta minus sanitatem feriant, atque inviolatam relinquant Litteratorum salutem.

§. III.

De victus ratione & diætæ regimine euſarchorum & gracilium.

EVSARCHVS is eſt, qui corpore pinguis, obeſus & læ certoſus eſt, ac non ſolum humoribus abundat, verum etiam carne locuples eſt, & ſanguine dives.

Quemadmodum igitur euſarchus habitus corporis a nimi carnis & ſanguinis mole pendet, ita hac carnis, ſanguinis, & humorum redundantia tollitur proportio *movens* inter & *mobil* ſeu ſpiritus *moventes* inter & ſanguinem, ac humores *movendos* quum nimia carnis, & humorum copia vaſa ſanguifera, pe quæ ſanguis vehitur & circulatur, comprimuntur, nec no ſpiritus in nervos preſſos minus influunt, cruorque per vaſ circulandus major eſt, quam ut a vaſis rite capi & moveri po ſit: quibus itaque anguſtioribus redditis vaſis ſanguiferis & va ſculis, vaſorum dilatatio & conſtrictio (ablata *movens* inter & *mobile* proportione) minus poſſunt ſuccedere & in motu præ pediuntur, adeoque ſanguinis libero motui circulatorio ponun tur limites, unde humani corporis actiones hebetantur, humo rum noxiorum inutilium excretiones diminuuntur, ſordes i corpore colliguntur & cumulantur, atque adeo non modo ſegne & deſides in ſuis actionibus ſunt pingues, verum etiam ſalut ſua, plus quam alii, periclitantur. Inde eſt, experientia teſte *euſarchos a rerum non naturalium* abuſu offendi citius, & præ alii in morbos incidere, ac morboſos difficilius redire in gratiam & convaleſcere, proinde opus habere, ut ſingulare iis diæta regimen conſecretur.

Quapropter ea præſidia iis commendanda ſunt, quæ re dundantes ſpiſſiores humores attenuant, fluidos reddunt, & digerunt, digeſtos & redundantes e corpore tollunt & proſcri-

bunt

bunt, qua ratione corpus alleviatum, & morborum materiam resciſſum imus.

Præſtant igitur id emolumenti in primis aer calidior & ſerenior, victus tenuior, & facilis ſolutionis, *carnium* nempe *brodia macra, tenuia, carnes vitulinæ, gallinæ, ova ſorbilia*, &c. *potus theiformes, vina generoſa aquis diluta*, victus potius defectus, quam exceſſus, præ ſomno vigiliæ, præcipue vero motus corporis jejuno ſtomacho *ambulatione* vel *equitatione*, aut *vectione* inſtitutus, labor, & cibi abſtinentia, mentis hilaritas, excretiones vero naturales reſpondeant, debitoque ſuo ordine conſerventur.

E diverſo, ea præſtat fugere, quæ humores corporis inſpiſſant, augent, & accumulant, quorum cenſum ſubeunt aer in primis craſſus, impurus, frigidus & humidus, ingeſtorum exceſſus, & cibi difficilis digeſtionis, ut caro *bubula*, & *fumo indurata, piſces aquarum ſtagnantium, caſeus, lacticinia, farinacea*, leguminoſa, *fabæ, lentes, piſa, nuces*, fructus horæi, *pyra, poma, cereviſiæ craſſæ* &c. quies & vita ſedentaria, nimius ſomnus, lucubrationes, & ſtudiorum exceſſus, adverſi item affectus animi, curæ, ſollicitudines, mœrores, terrores &c. quoniam hæc omnia ad humores in corpore inſpiſſandos & cumulandos apta nata ſunt, & pinguium ſalutem offendere poſſunt, hinc utique *euſarchis* ſummopere fugienda erunt.

Quod ad *graciles* attinet, dum nihil in iis humores abundant, vaſaque habent liquidum vehentia plerumque latiora, liberiusque ſe ſe moventia, diverſum utique ab *euſarchorum* diæta diætæ regimen iis obſervandum eſſe, palam eſt, atque horum humores in corpore retinendi potius, quam eorum excretiones accelerandæ ſunt.

Quam ob rem *gracilibus* ſuppetias ferunt cibi *diluentes, humectantes*, & *nutrientes, juſcula* nempe *carnium, cremores hordei* & *avenæ tenues*, carnes *elixæ* & *aſſæ, bubulæ, vitulinæ, gallinaceæ, gelatinoſa, cereviſiæ tenues, vina aquis diluenda, ova ſorbilia* &c. aer

 humi-

humidus & temperatus, quies potius, quam motuum exceſſus, ſomnus præ vigiliis, & moderati animi affectus, ac omnia, quæ corpus noſtrum diluunt, humectant, & nutriunt, atque corporis *ſolidis* & *fluidis* benignos & laudabiles ſuccos nutritios conciliant, eo quod gracilium & tenuium corpora *calida* & *ſicca* plerumque ſunt, atque adeo *diluentibus*, *humectantibus* & *nutrientibus* præſidiis conſervanda erunt.

Porro id coronidis loco addam, ut graciles & tenues (qui plerumque temperamenti bilioſi ſunt) iram in primis, nec non aerem *calidum* & *ſiccum*, immodicos item motus corporis, alimenta & medicamenta *calefacientia* & *exſiccantia*, potus nempe *thee*, *caffee*, *ſpiritus vini*, *vina generoſa*, *vomitoria*, *validiora purgantia*, & *ſudorifera*, quæ alvum, & ſudores fundunt, quo modo fieri poteſt, averſentur, iisque circumſpecte, & non niſi neceſſitate efflagitante utantur, quum id genus præſidia in exceſſu ſumpta gracile & ſiccum corpus exſiccent amplius, humidum radicale, ſeu laudabiles corporis nutritios ſuccos depaſcant, viresque abſumant; unde corpus gracile ita exſiccatum, & fractum viribus ad mala quævis & ægritudines diſponitur, in morbos præceps agitur, vita & ſanitas gravius offenduntur, atque tam immani percuſſæ vulnere non raro & ſpe citius naturæ debitum ſolvunt, & extinguuntur.

Subjungenda hic mihi forent victus ratio & diætæ regimen reſpectu *temperamenti* & *anni temporum*, ſed quoniam de iis, ubi de *temperamento* & *aere* egimus, abunde dictum fuit, piget vetera recoquere, & Erudito Lectori faſtidio eſſe.

SE-

SECTIO V.

De potulentorum & liquidorum salubritate & insalubritate.

ÆQuo & jure *solida* & *liquida*, seu cibus & potus tanquam vera *nutritionis* materia æstimantur; atque adeo, quam necessaria sunt *solida*, seu cibi pro nunutriendo humano corpore, tam parum unquam *liquidis* seu potu carere licuit, quibus eo modo ut *solidis*, seu cibis, nutritio corporis peragitur, & secundatur. Enim vero quum in cœtu animantium, tum in regno vegetabilium nullas actiones, nullas mixtiones & nutritiones, atque excretiones nullas, fœcundationes & generationes absque liquidis & humidis succedere, & ad vota fluere, tam certum & exploratum est, ut a nemine ullo dubitari unquam cœptum fuerit.

§. I.

De potu, ejusque differentia.

POTVS *generatim spectatus est liquor alimentosus, fluidus, ab homine assumendus, ad sitim sedandam, & corpus nutriendum destinatus.*

Grandia vero sunt commoda, & suis certe celebranda laudibus, quæ potus corpori, & humani corporis valetudini præstat. Vnde speciatim ea attingere, & suo recensere ordine operæ esse pretium existimavimus.

Atque adeo I. potus suis partibus liquidis & fluidis, quas in sinu suo condit, humani corporis partes humectat, emollit, irrorat, & sitim sedat. II. Comestos cibos in ventriculo diluit, resolvit & attenuat; hinc non modo concoctioni, & chylificationi, verum corporis partium nutritioni optatas fert suppetias.

petias.

petias. Vnde III. chylo jam parto, & allato ad ſanguinem præbet vehiculum, & fluiditatem conciliat, quo citius & facilius ad ſuum terminum pervenire queat. IV. Ipſi ſanguini & aliis ſuccis partes fluidas & humidas ſuppeditat, quibus ſanguis & ſucci dilui & attenuari, ac fluxiles reddi; partes vero corporis humidæ & fluidæ (quæ per ſudorem & urinam, aliaque excretoria diſperſæ ſunt) reparari queant. V. Humani corporis partes ſolidas potus ſuis humidis & fluidis particulis humectat, & oleoſis nutrit, aliaque corpori commoda affert & emolumenta.

Differt tamen potus *quantitate* & *qualitate*. Ratione quantitatis potus vel *paucus* & *moderatus*, vel *copioſus* & *exceſſivus* eſt. Qualitatis cauſſa alius eſt *craſſus*, alius *tenuis*, *clarus* alius, vel *turbidus*, ille *ſpirituoſus* potus eſt, hic *vaporoſus*, rurſus alius *frigidus* alius *calidus*, *ſimplex* alius eſt, aut *medicatus*, alius denique *ſalubris*, vel *inſalubris*. reliqua.

Diverſos hos potus nullo labore diſtingues, potus tamen *ſalubris* & *inſalubris* te forte notio fugiet, quam ocyus modo detegemus. Vnde ſit

§. II.

De potus ſalubris & inſalubris notione.

Quum tuendæ valetudinis cauſſa, tum neſtoreæ ætatis conſequendæ gratia plurimum certe refert, quo utamur potus genere: unde ſalubrioris nectaris hic notas prodendi anſam cepimus.

Quam ob rem I. potus, qui clarus, tenuis, & mediocriter ſpirituoſus eſt, boni potus partes, & dotes habere cenſetur. II. Quo ad quantitatem neque deficiens, neque exceſſivus ſit, oportet. III. Qualitatis cauſſa hyberno tempore in ſcaturigine ſit potius calidus, & æſtivis diebus frigidus, ſeu verius per omnes horas temperatus. IV. Omnis alieni ſaporis & odoris expers, atque ab omnibus fœculentiis, & heterogeneis immunis partibus.

Ve-

Verum si alias dotes dictis contrarias in sinu suo potus foveat, jam insalubres inter potiones numerandum fore, minime inficiamur; atque adeo in primis potus *glaciatus* huc referendus est, qui frigore & aliis heterogeneis contaminatus partibus non raro humani corporis valetudinem petit, œconomiæ animalis graviores nonnunquam calamitates machinatur, dum nempe cum primis ventriculi fibras & nervos constringit & contrahit, succum gastricum inspissat, calorem naturalem minuit, unde ventriculi & intestinorum motui tonico & peristaltico limites ponit; atque adeo ex his caussis *coctionem* deprimi, *intemperiem partium frigidam* adduci, *cardialgiam*, *dolores stomachi*, *& intestinorum tormina*, *stases*, *alvi obstipationes*, & *intestinorum inflammationes* &c. non raro concitari, & Medicinæ Primores, & observationes Medicæ abunde loquuntur.

Si vero maligno aere potum (quod grassante aeris malignitate accidit) coinquinatum esse suspicemur, sequentibus præsidiis corrigendus erit. I. Non abs re fuerit, mane jejuno stomacho potum thee ex foliis *salviæ*, *rutæ*, *veronicæ* paratum sumere, juxta illud SALERNORVM DOCTORVM:

Salvia & ruta faciunt tibi pocula tuta.

II. Potui ordinario cortices *pomorum citri*, vel *aurantiorum*, aut *limoniorum*, vel aliquid *radicis contraiervæ*, aut *angelicæ*, vel *grana junipera contusa* affundere, & in eo relinquere, atque ita infusum, alteratumque potum sitis sedandæ gratia bibere juverit, ut a malignitatis labe immunes servemur. Plura antidota malignas aquas corrigere valentia supra de malignitate aeris videre erit, quo ergo Benevolus Lector remittatur.

Porro id hic subdere & monere superest, ne ad unas easdemque epulas plures & distincti potus promiscue & absque ullo ordine ingurgitentur, siquidem id genus differentium potuum modo nempe *cerevisiæ*, jam *vini* & *spiritus vini*, aliorum modo generosorum falernorum, (quæ diversis omnino & contrariis quali-

qualitatibus conſtant, & fermentant) ingurgitatione violari con
coctionem; unde mala & ærumnas, quas ex *variorum & multi
plicium ciborum helluatione* provenire ſupra diximus, hic quoqu
prodire in medium, nuſpiam dubitari poteſt.

Denique modo ad potus, qui quotidiano deſtinantu
uſui, progredimur, quorum alii communes, *aqua* nempe, *vi
num* & *cereviſia* in noſtra patria ſunt, & uſuveniunt. Particu
lares ſunt alii, licet ſatis familiares potus, *ſydra* ſcilicet, *meth
hydromel*, nec non *aqua vitæ*, *ſpiritus vini*, *roſoli*, ſorbitione
item *thee*, *caffee* & *chocolatæ*.

In ſingula igitur horum potuum genera, eorum ſalubrit
tem & inſalubritatem penitius inquirere, noſtri inſtituti rati
omnino expoſcit. Sit igitur

§. III.

De Aqua.

Tam præſtans, & tam ſalubre aquam potuum genus eſſe, u
Magnus Halæ Magdeburgicæ Conſiliarius FRIDERICV
HOFFMANNVS eam non modo alimentum celeberr
mum, verum etiam generale medicamentum ſalutare nih
cunctaretur, poſthac pluribus demonſtratum dare, ſubit animum

Atque adeo cum ipſo Authore CAP. II. *fol. 8. de principii
rerum mechanico-phyſicis* tenemus, quod

AQVA *ſit corpus fluidum, flexile & valde dilatabile, hinc maxi
mam aeris & ætheris admittat copiam, ad humani corporis uſus de
ſtinatum.*

Quam ob rem aquarum uſus ſunt, emollire corpora, ea redde
re fluida, atque ſalium & gumatum poros ſubire, nec non corpo
rum compages diſſolvere, corpora humectare & refrigerare &c
hi inquam & ſimiles uſus ſunt, ad quos aqua ex natura ſu
ordinatur.

Ex qua igitur varietate effectuum pronum eſt colliger
aquam, non, ut priſci ævi cenſuere Medici, *ſimplicem* eſſe

ſed

ſed eſſe corpus aliquod *compoſitum*, vero ſimilius eſt, id, quod ex aquæ notione, ejusque diverſis dotibus omnino palmarium eſſe videbitur.

Tria igitur rerum phyſicarum periti principia aquis in acceptis referunt, I. nempe *materiam æthercam*, *ſumme mobilem & tenuiſſimam*, ceu generale corporum agens & principium. II. *Humidum*, ſeu partes molles, humidas & flexiles. III. Demum *ſolidum*, ſeu partes ſolidas & terreas, quas plus minus aquæ in ſinu ſuo fovent, & cuſtodiunt.

Atqui modo horum diverſorum principiorum vires & facultates ad rationis ſtateram revocare, ſuisque momentis ponderare juverit.

Vnde cum primis aquæ primi principii nempe *ætherei* viribus corpora non tam refrigerant, quam potius calefaciunt; ſanguini & corporis ſuccis tenuitatem & fluiditatem fœnerant, viſcerum fibris & nervis robur viresque conciliant; atque adeo omnes humani corporis motus & actiones, tum *ſolidorum*, tum *liquidorum* perficiunt, excitant, unaque fœcundant. Hinc, quo uberius & copioſius hoc *principium æthereum* aquas incoluerit, eo præſtantiores & ſalubriores aquas fore, ſemper & ubique videtur.

Secundi vero principii *humidi* ſcilicet facultate aquæ ſanguinem & ſuccos diluunt, corporis lentos & viſcidos humores ſolvunt, attenuant, & eliquant, acidum & ſalia peregrina ac morbifera abſorbent, ſanguinem & humores ſpiſſiores fluxiles reddunt, nervos & fibras emolliunt & relaxant, adeoque ſanguinis & humorum motus, itus & reditus promovent, atque humani corporis actiones & excretiones adjuvant, unde œconomiæ animalis optato præſidio, remedioque erunt.

Digna ſunt, quæ hic conferam CONSILIARII REGII aquarum elogia, quæ hoc tenore refert: „ DEVS O. M. ſummas „ & longe præſtantiſſimas in aquis recondidit ſoterias vires, „ quarum tanta eſt excellentia, tantaque utilitas, ut longe

 „ mul-

„ multumque omnibus aliis remediorum generibus sint superio-
„ res, & si ex vero dicere licet, quod res est, universalio
„ aqua non datur medicina. Hac enim nullus sanus, nullu
„ ægrotus carere potest, hæc omne indicationum in medendi
„ punctum complet; hæc calefacit, siccat, refrigerat & hume-
„ ctat, omnesque in corpore excretiones æque promovet
„ ac immodicas compescit. Hæc efficacissime occlusa reserat
„ & omne id præstat, quod a Medicina universali, quam non
„ nulli in absconditis operose, frustra tamen quærunt, sperari
„ potest. Accedit luculentus experientiæ calculus, quæ in
„ numeris exemplis evidentissime hoc nostrum assertum con-
„ firmat. „

Quod ad tertium denique & ultimum aquarum principium *terreum* nempe, seu particulas solidas & terreas attinet, parum in recessu habent, quum, quo minus solidi & terrei hujus principii aquæ in sinu suo condunt, eo salubriores esse censeantur quo vero plus solidarum & terrearum partium secum vehunt eo minus sanitatis rebus & fortunis consulere existimentur inde est, aquas, quo leviores sunt, & minus terrei principii condunt, eo salubriores fore, quo vero sunt graviores, & plus terreæ materiæ in sinu suo alunt, eo insalubriores & potius noxias esse, id, quod nemo ullus constante experientia teste inficiari potest. Nostrum igitur interest, salubres inter & insalubres aquas distinguere, unde modo calamus ad notas salubriorum aquarum reflectendus erit.

§. IV.

De notis & notione salubriorum aquarum.

Quo magis sanitatis rebus & utilitatibus salubriores aquæ consulunt: tanto graviora damna, ærumnasque beatæ valetudini insalubriores fontes accersunt, unde inter aquas di-

stin-

stinguere, & salubriorum aquarum hic notas promere, operæ esse pretium, existimavimus.

Quam ob rem I. illæ aquæ inter salubriores reputantur, quæ non modo amoena *claritate, mollitie*, *tenuitate* & *levitate* excellunt, verum etiam parum morantur in corpore, ejusque viscera celeri transeunt pede, atque festinantes per loca excretoria e corporis latebris & recessibus amandantur, eo quod hæ aquarum dotes & proprietates de eminente *principio æthereo* testatum volunt. II. Quo sublimiore loco, & e terra arenosa ac salebrosa scaturiunt, eo salubriores esse putantur, quum tellus arenosa & salebrosa plena sit poris, alveis & meatibus, per quos aquæ commodius vehuntur & revehuntur, fluunt, & refluunt, qua fluxione & refluxione tanquam cribro filtrantur, atque ab omni heterogenearum partium labe eluuntur & depurantur. III. Quo citius aquæ ad ignis calorem incalescunt, & ab igne remotæ citius frigescunt, nec non hyberno tempore ad caliditatem, æstivo vero sole ad frigiditatem vergunt, eo puriores & perfectiores aquas fore, nobis persuadetur, quum hæ repentinæ vicissitudines caloris in frigus, & frigoris in calorem de sufficiente *principio æthereo*, ceu aquarum vita & anima, palam testentur. IV. Quo meliores pisces aquas incolunt, eo majori elogio dignæ aquæ sunt, quum bonitas piscium & aquatilium bonitati & puritati aquarum in acceptis unice referenda sit. V. Quo aquæ in vitra infusæ uberiores spargunt bullulas velut fundum & vitri latera occupantes perlas, & margaritas, eo magis id genus aquæ commendari merentur, quum hæ æthereæ margaritæ miram aquarum puritatem & tenuitatem præsagiant, quæ a latente in aquis copiosiore *æthereo spirituoso principio* natales ducunt.

§. V.

De salubritate aquarum nostrarum Cremisanensium.

E Provide & prudenter solertissimus rerum physicarum investigator HOFFMANUS hortatur, ut Medicus ex loco præcipue & statione, qua physici fungitur munere, probe noscendis inspiciendisque *climati*, *aeri* & *aquis*, a quorum notione vitæ sanitatisque tuitio plurimum pendet, omnem daret operam, omnemque industriam poneret.

En enim Authorem! in suo de elementis aquarum proœmio, in hæc profusum verba: „ Aqua autem sanguini & „ omnibus humoribus fluxibilitatem ad vitalem circulum „ desideratissimam conciliat. Ex quo patet, quantum inter- „ sit, ut Medicus non solum ejus loci, in quo degit, *aerem* „ & *aquam* cognoscat, sed etiam ut intelligat diversissimam „ aquarum, aerisque cujusvis loci indolem, ac proprietates, „ quo ceu medicinam has ipsas nonnunquam commendare „ queat. Foret utique perutile, quin immo summopere ne- „ cessarium, ut ii, qui custodes sanitatis audiunt, & morbis „ mederi student, aquarum salutarium passim scaturientium „ genuinas & proprias vires in primis probe & curate ex- „ plorarent, quo ægrorum incommodis recte consulere pos- „ sent. At vero dolendum utique est, quod ea, quæ ne- „ cessaria, quæ ad manus sunt, sicuti etiam in aliis accidit, „ solemniter negligantur, vel etiam plane non intelligantur. „

Ex quibus utique palam est: ægrius ferre, quin immo Authorem iis succensere videri Medicis, qui hæc salutaria negligunt, atque de his utilibus minus solliciti aerem & aquam sicco pede transeunt.

Verum ego hortantis secutus consilia, mei esse muneris judicavi, ut nostros aquarum fontes & scaturigines ad judicii stateram ducerem, & paulo altius investigarem, quibus fontes

es nostri pollerent viribus & virtutibus, qua & sanandi fa-
ultate refulgerent; id, quod salus proximi, & officii mei
atio omnino efflagitare videbantur. Altioribus itaque, meis-
ue parui consiliis, & fontes nostros, eo, quo modo sequi-
ur, cœpi experiri.

Atque adeo cum primis vel solam fontis spectando scatu-
iginem mihi præsagii, aquas nostras esse saluberrimas, ac quæ-
ue bona, quæcunque prospera & felicia ominari. Siquidem
d montis imas radices solis ortum spectantes prope templum
Divo Sigismundo consecratum aquæ crystallinæ ex arenoso
: salebroso solo scaturiunt, & quidem scaturigine tam beata,
um exoptata saliunt, quam aquarum exposcit salus, atque
ontium salubrium bonitas, benignitasque requirunt. Enim
ero fontes nostri urente in primis æstivo solis calore in sca-
ebra frigidi, & sæviente hyemis frigore in origine calidi sunt,
ec non ad ortum recens in vitra infusi amœnissimas æque,
: visu jucundissimas ad vitri fundum & latera in copia salien-
es bullulas referunt, quas non minus, aqua per noctem in
itro relicta, mane undique vitrum occupantes videre est,
uæ gregatim agminatimque in vitro salientes tanquam splen-
dissimæ perlæ mirum dictu! oculos pascunt, animumque re-
reant. Atque potæ hæ aquæ non modo brevi sitim sedant,
erum etiam nullas in corpore moras agunt, & paulo post
er solita excretoria loca (urinarias nempe vias) secedunt e
orpore, suæ stationis locum mutantes. Quæ hæc & similia
hœnomena, aquas nostras *æthereo spirituoso principio* excellere,
t superque testatum faciunt.

Porro nec his contenti phœnomenis fontes nostros scruti-
o chymico amplius odorati sumus. Vnde in primis affusione
idorum, *acido* nempe *vitrioli* mitis in conspectum fermentatio
rodiit. Ex adjecto *oleo tartari per deliquium* nihil immutatus
ons est, sed idem mansit, qui ante fuerat.

Verum delatus, vectusque fons per ductus & canales ad monasterium, ea non amplius, qua ad scaturiginem, bonitate splendet, vel ex eo, procul dubio, quod per impuros canales ductus canalium labe contaminetur; inde est, aquas quotidiano destinatas usui ab ipsa scaturigine (ut nos solemus) petendas fore; id, quod salutis suæ amantes omnino monere juverit.

Porro, si aquarum prærogativa est, dum ad res coquendas apprime aptæ & accommodatæ sunt, hac prærogativa cum primis aquas nostras dignas esse, dum ad coquendas epulas & cerevisias oppido esse aptæ atque idoneæ comperiuntur, coquis nostris & braxatoribus in comperto habetur.

Forent utique ad manus plura rationum momenta, quibus fontium nostrorum bonitati pondus addi posset, sed spe freti hæc suffectura esse, aliis supersedemus.

Quapropter, quum nihil utilius, nihil præstabilius communitas quædam, aut res publica in votis habere queat, quam salubrioribus beari aquis, & tanti momenti fortunari beneficiis: nostrorum utique civium erit, summo Numini pro summo hoc Divinæ misericordiæ dono & beneficio summas, æternasque referre gratias.

§. VI.

De præsidiis insalubres aquas corrigentibus.

Quæ aquæ in sinu suo dotes & qualitates dotibus & qualitatibus aquarum salubrium contrarias condunt, insalubritatis nomine omnino veniunt; unde si iis ceu quotidiano potu uti, necessitas urget, suis utique præsidiis corrigendæ erunt.

Atque adeo I. aquæ impuræ & insalubres ad ignem coquantur, qua coctione aquarum partes crudæ & terreæ alterantur & præcipitantur, impurum secedit a puro, & segregatur, atque remotæ ab igne & frigefactæ per duplicata lintea colen-

colentur; qua ratione impurum adhærefcet linteis, quod tranfit per pannum, mundum, & ab impuro immune fuperftes erit, quo tanquam potu communi uti nobis datum fuit. II. In aquas five coctas, five incoctas panis immittatur, & relinquatur, qui immiffus impuras aquæ partes attrahet, qua ratione impuras aquas correctum & depuratum ibis. III. Aquæ coctæ & colatæ vino diluantur, dilutæ ab omni labe eluentur, atque hoc modo tum vina, tum aquæ eousque corrigentur, ut non modo fanitatis rebus nihil officiant, verum potius confulant & gradus addant.

SECTIO VI.

De Vinis.

A Neptuno modo ad Bacchum gradus faciemus, atque quid hydrophilus de Deo fuo, & merophilus de fuo Numine fentiat, audituri fumus. Nos Neptuno magis quam Baccho immolandum effe, rati, utriusque partis & hydrophili & merophyli rationum momentis aufcultabimus. Vnde fit

§. I.

De vinis & eorum differentiis.

VINVM *generatim fpectatum eft fuccus e vitis uvis expreffus, fermentationis ope depuratus & defæcatus.*

Atque principiis feu elementis I. *fpiritu inflammabili.* II. *phlegmate.* III. *fale acido tartareo.* IV. *fulphure.* V. demum *fubftantia quadam plus minus dulci & oleofa paulo vifcida*, quæ vino gratum faporem & odorem, aliasque dotes conciliat, vina conftare, in fua chymia HOFFMANNVS, ubi de vino differit, teftatur palam.

Plus

Plus tamen & minus de singulis his principiis in sinu succ vina fovent, unde etiam mirum in modum falerna differunt.

Quamlibet vero vini differentiam vel a diversa principiorum mixtione, vel ab hujus aut alterius principii eminentia ortum trahere, nihil Eruditos inter & Physicos disputatur.

Atque adeo vinum aliud *molle* & *tenue* est, aliud *forte & spirituosum*, aliud *asperum*, aliud *acidum;* illud *gratum & suave*, hoc *crassum*, illud *tenue*, *album* denique aliud, & aliud *rubicundum* est &c. Sed omnes hæ vini dotes suos gradus habent, ex quibus vinorum salubritas aut insalubritas suos natales mutuatur.

§. II.

De vinorum salubritate & insalubritate.

Illa vina bonitate & salubritate excellunt, quæ salubrioribus principiis & elementis, atque salubriore elementorum mixtione & temperie constant. Vnde vini bonitas bonitati principiorum, eorumque debitæ mistioni & attemperationi merito in acceptis referenda erit.

Quodam ergo vini principio vel *inflammabili* vel *sulphureo* aut *acido* & *tartareo* &c. excedente, a quo vinum denominationem sortitur, tollitur debita vini mixtio & temperies, unde vinum vel est nimis *calidum*, vel nimis *frigidum*, &c. hinc minus temperatum, atque adeo jam noxia inter falerna reputatur.

Inde est, ut, quæ vina *spiritu*, seu *elemento inflammabili* turgent & eminent, suo calore & spiritu facile inebrient, sanguinem & humores in motus præternaturales & ebullitiones concitent, eorum cursus, itus & reditus turbent, depraventque, bilem quoque acuant, corpus calefaciant & exsiccent, humidum denique radicale perdant, & absumant, unde non modo humani corporis actiones & excretiones minui & turbari, verum etiam nullo negotio morbosas afflictiones in primis *hæmorrhagias narium*, *hæmoptysin* & *sputum cruentum*, aliasque sangui-

gui-

guinis effusiones & congestiones, *febres acutas*, *morbos arthriticos* & *podagricos*, ac affectus *spasmodico-convulsivos* &c. ex frequentiore id genus spirituosi & inflammabilis vini usu prodire in medium, quotidiana experientia neminem ullum dubitare sinit.

Aquis igitur, ut corpus tuum salvum & incolume relinquant, diluenda sunt, atque cautius & circumspectius, præcipue *sanguineis* & *cholericis*, cum id genus calidioribus falernis mercandum esse arbitramur.

At vero in quibus vini *phlegma*, & elementum *acido-tartareum* excedunt, tametsi amodo laxent & urinam cieant, nihilo tamen minus suo phlegmate & acido tartareo sanguinem & humores inspissant, eorum motus & circuitus arcent; alvi igitur obstipationibus & viscerum infarctibus materiam suggerunt & fundamenta ponunt, atque adeo producendis *febribus intermittentibus quotidianis*, *tertianis*, *quartanis*, *cardialgiis*, *malo hypochondriaco & hysterico*, *calculo*, *melancholiæ*, *ictero*, *cachexiæ*, *hydropi* &c. in primis vina viscida, acida & tartarea sufficere, experientia teste inter omnes constat.

Qua de caussa cum primis *Litterati*, *hypochondriaci*, *melancholici*, & *obstructionibus alvi alioquin obnoxii*, nec non *vitam sedentariam & litterariam viventes* aquis hæc vina diluant, iisque cum frugalitate utantur, dum resque spesque valetudinis suæ servare illæsas & inviolatas eorum subit animum.

Tutius tamen & securius, valentes, & qui assiduo motuum exercitio corpus exercent, quibusque debite & recto ordine excretiones naturales respondent, hoc vini genere ex sua quadam alvum & urinam solvendi facultate delectantur, quum in hoc rerum statu non modo nihil sanitatis fortunas offendat, verum potius iis gradus addat, atque bona corporis adjuvet & tueatur.

Ad tertium igitur vinorum elementum nempe *sulphureum* modo gradum facimus, de quo id notari meretur, quod mera, quæ *sulphure* locupletia sunt, minus in recessu habere, minus-

que mereri laudis, merito nobis persuadeatur; siquidem id genus sulphurata falerna in primis nervos petunt, eos lacessunt, ac torpes & motui impares reddunt, sanguinem & humores acredine imbuunt, succorum vitalium motus & cursus sufflaminant, nec non actiones & excretiones corporis depravant; atque adeo inimica in primis fibris & nervis *dolores capitis & articulorum cephalalgiam*, *arthritidem*, *rhevmatismum*, *malum ischiadicum*, *podagram*, *convulsiones*, *colicam*, *febres*, *apoplexiam*, *paralysim* &c. vina suphurata pariunt, id, quod observationes Medicæ abunde loquuntur.

Qui proinde *temperamenti sanguinei*, *vel sanguineo-cholerici* sunt, quibus & *bilis* dominatur, ac debilior naturæ constitutio obtigit, item *podagrici*, *arthritici*, *ischiadici* & *valetudinarii* religiose omnino hoc utantur nectare, vel ab eo potius abstineant, aut saltem aqua probe castigatum sumant, dum saluti suæ consulere, nihilque ab hoc in vitro latente veneno offendi cupiunt.

Quod denique ad ultimum vinorum attinet principium, illam nempe substantiam blande *dulcem & oleosam*, tantum abest, ut humani corporis valetudini diras intentet, quin potius hoc nectar moderate potum, gratum saporem & odorem conciliet, atque valetudinis bonis, & animalis œconomiæ mirum in modum patrocinetur.

Vnde ad horum vinorum classes in primis vina *Sect*, & *frontiniac*, aliaque nobiliora Hungariæ falerna referuntur, quæ ob ingentia commoda humani corporis languenti valetudini præstita, omnibus modis commendari merentur.

Atque adeo id genus generosa falerna moderate pota speciatim *hypochondriacis*, *litteratis*, *melancholicis*, in *febribus item intermittentibus*, *calculosis*, *obstructionibus alvinis obnoxiis*, & *quibus languet stomachus*, ceu sacram panacæam commendamus.

§. III.

§. III.

De signis & notis salubrioris vinosi liquoris.

EQuo tutius & certius saluti suæ consuleret merophilus, ac vina salubria inter & insalubria distingueret, salubrioris falerni notas hic addidisse, ne vanus quidem, irritusque conatus fuerit.

Quemadmodum igitur certas regiones certasque provincias solius cereris feraces esse, novimus, ita alias terræ plagas soli vinorum genesi favere, in comperto habetur.

Vnde in primis illud solum, quod præaltum sublime & montanum, nec non saxeum & arenosum est, atque ex scissili constat lapide, cuique sol suis vicinis favet radiis, infra vero & in pede viniferi montis præterfluunt flumina, quorum rore vites irrorantur, & vicino solis calore foventur, id genus inquam solum ad producenda vina aptum natum esse, & idoneum, quum prudente ratione, tum constante experientia teste in promptu est colligere.

Enim vero ros ad vitis & uvarum nutritionem, sublimis & salebrosa terræ situs ratio ad depurationem, solaris vero calor ad digestionem, maturitatem & coctionem suum conferunt symbolum; atque adeo has caussas mutuas rite attemperatas ampliori vinorum genesi velificari, regiones & provinciæ viniferæ, quæ locupletiore falernorum messe resplendent, sat superque testatum faciunt.

Vnde in testimonium dictorum vocamus *Tyrolim*, *Austriam*, *Hungariam*, *Italiam*, *Necarum* & *Rhenum* aliasque vini feraces terras, quæ ob præfatas caussas, *certum* nempe *terræ situm* & *qualitatem*, *solisque calorem propinquiorem*, ac *præterfluentia flumina* egregie viniculturæ favent, nostrumque assertum confirmant palam.

Recte modo intrinſecæ ſalubrioris meri notæ & notiones nobis adeundæ erunt, quas vero SALERNI DOCTORES his verſiculis, forte rarius tibi obviis, ocyus coram ſiſtunt:

Vina probantur odore, ſapore, nitore, colore,
Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis,
Fortia, formoſa, & fragrantia, frigida, friſca.

Quæ igitur falerna eximiis his dotibus *odoris* ſcilicet fragrantia, *ſaporis* penetratione, nec non *cryſtallina claritate* & *aureo*, vel *purpureo colore* radiant, non modo ſalubriora inter vina reputantur, verum etiam dictas qualitates & dotes (quæ ab intrinſecis vini principiis rite mixtis & attemperatis pendent) ceu ſalubriores vinoſi liquoris notas ſpectandas eſſe, nemo forte ullus inficiabitur; quum vina his dotibus conſpicua tum de excellentiore *ſpirituoſo principio*, tum de *ſubtiliore oleoſa ſubſtantia*, horumque debita mixtione & attemperatione aperte loquantur.

Quam ob rem id genus vina eximiis adeo dotibus & virtutibus conſpicua humani corporis valetudini, vitæque longævitati mirum dictu favere, validasque ferre ſuppetias, dubitari non poteſt; enim vero ſanguinem & humores in corpore ſpiſſiores & viſcidos ſolvunt, & attenuant, iis fluiditatem conciliant, acidum ventriculi vitioſum obtundunt & præcipitant, partium ſolidarum fibras & nervos (quos blande vellicant) firmant & corroborant, hinc fluidorum, ſanguinis nempe humorum & ſpirituum motus & circuitus adjuvant, adeoque corporis actiones tum *naturales vitales*, & *animales*, tum ſolitas excretiones potenter ſecundant; unde moderate ſumpta *malo hypochondriaco*, *hyſterico*, & *melancholico*, *calculo*, *febribus frigidis intermittentibus*, *litteratis* & *ſenibus*, *nec non ex morbis reconvaleſcentibus* & *ſtomacho languentibus* &c. medentur, atque non raro optatam opem & operam afferre conſueverunt.

Cum

Cum primis vero, quæ id genus commoda præſtant & ıuxilia, extera vina ſunt, nominatim *Hiſpanica*, *Gallica*, *Itaıca*, *Hungarica*, tum Germaniæ noſtræ ſelectiora, de quibus nodo ex conſulto tractare materiæ ordo efflagitat.

§. IV.
De vinis Hiſpanicis & Italicis.

Hiſpaniæ terras nominatim, *Granatam*, *Andaluſiam*, & *Valentiam* largiore vini geneſi inclareſcere, PLINIVS refert, dum ſuo jam ævo vina in Hiſpaniis nata, ad Itaiæ oras vecta fuiſſe, aſſeverat.

Atque his falernis ſuum ſtatuendum eſſe pretium, tum regni ratio, *terra nempe montana, & ſalebroſa, intenſior ſolis calor, ıc alluentium fluminum irrigatio*, quæ viniculturæ oppido favent, tum Hiſpanici meri excellens *principium inflammabile ſpirituoſum*, & *ſubſtantia oleoſa*, aliæque generoſi falerni dotes & virtutes, *grata nempe dulcedo*, *ſpirituoſus odor*, & *ſaporis penetratio*, quæ falerna prorſus commendant, aperte teſtantur.

His igitur penitius inſpectis palam eſt, non tam alimenti, quam potius medicamenti more, Hiſpanico utendum eſſe nectare, quum ſua calefaciente & ſpirituoſa virtute *fluida*, humores & ſpiritus in motus concitet, *ſolida*, nervos & fibras blande vellicet, ıdeoque cum primis caput & ſtomachum corroboret, vires dejectas inſtauret, cor & univerſum corpus recreet; *hinc imbecillibus, ſenibus, melancholicis, hypochondriacis, litteratis & ſtomacho languentibus* modice & medice ſumptum ſubveniat, atque optaam ferat opem & operam.

Id tamen de Valentiæ vinis, præcipue vero de mero *Vin de Tinte* dicto notari meretur, ea ceu aperte *dulcia*, *craſſa* & *rubicunda* vina inter minus ſalubria merito collocanda eſſe, quippe ſanguinem & humores petunt, & accendunt, nimis nutriunt, ſuccos vitales augent, & plethoram, ſeu redundan-

 tiam

tiam ſanguinis inducunt, tanquam dulcia facile fermentant, & in bilem abeunt, cruoris & ſpirituum motus ſufflaminant, corporis igitur actiones & excretiones turbant, unde morbis materiam ſuggerunt & cumulant, atque adeo his meris religioſe & cum debita circumſpectione utendum eſſe, memori mente tenendum erit.

At vero vina, quæ ex inſulis Canarienſibus, *Sect* dicta, item ex Candia, *Epira*, & ex Morea *Malvatica* oriunda ſunt, eundem cum Hiſpaniæ meris cenſum ſubeunt; unde de his ulteriorem mentionem ingerere, ſupervacaneum fore exiſtimavimus.

Venientibus modo nobis ad vina Italiæ, quæ tum *ſolis occaſione* tum *aquæ* & *terræ opportunitate* æque in copia, ac ſaluberrima Italia profert, ſeſe nobis in primis Siculum offert falernum, quod *Lachryma Chriſti*, ſeu *Vinum Virgineum* nuncupatur, atque ignivomos prope Veſuvios creſcit, colore ad rubedinem vergit, ac *ſaporis gratia*, & *odoris penetratione* excellit, nec non potum hoc nectar brevi per urinam tranſit; hinc *ſpiritu, & ſubtili ſulphure* cum blando acore temperato præditum eſſe fertur.

Sanguinem igitur & humores viſcidos, lentos, tenaces reſolvit, & fluxiles reddit, ac partium *ſolidarum* & *fluidarum* motus & curſus adjuvat, fibras & nervos firmat, horumque tonum & robur inſtaurat; quam ob rem ſolatio eſt *debili & languenti ſtomacho, fluido nerveo, & fractæ digeſtionis negotio*, nec non *debiliori corporis complexioni*, *melancholicis* item, *hypochondriacis*, *febricantibus*, *litteratis*, *ſenibus*, *& ex morbis ſuperatis reconvaleſcentibus*, ac *intenſius ad litterarum ſtudia incumbentibus* ſacræ panacææ eſt, quum eorum imprimis caput & ſtomachum roborat, vires præſentes conſervat, & perditas reparat, atque labentem cadentemque ſalutem firmat, & ad priſtinum vigorem integritatemque revocare ſolet. Sed religioſe & Medicinæ more hoc ſuavio uti præſtat.

Ve-

Verum in aliud modo incidimus Italiæ nectar, quod *Surrentinum* dictum, non procul a *Lachryma Christi* crescit, cujus vero laudibus, quæ cum Virginei meri elogiis ob easdem dotes consonant, supersedendum fore nobis persuademus.

Jam ad mediæ Italiæ oras progredientes vina *Apiana* die Muscateller & *Albanica* coram spectamus, quorum illa tanta dulcedine mulcent, & in laqueos irretiunt, ut iis delectatus non unus modo merophilus, verum merobibones innumeri hoc nectare immersi, & suffocati severas gulæ pœnas dederint. Ista vero *Albanica*, quorum *alba* & *rubra* extant, benigniora sunt, mira levitate excellunt, ac prompte per meatus urinarios suum moliuntur exitum. Vnde *spirituoso suo principio*, quod cum *subtiliore tartaro* temperatum fovent, non solum salubrem potum, verum & Medicamentum (quod calefacit, confortat, caput, stomachum & vires recreat) suggerunt.

Aliud modo Roma alit rubellum falernum, quod de *monte Bolsano* nuncupant; viribus & virtutibus par *Albanico* pares cum eo laudes & paria meretur elogia. Vtrumque igitur hoc vinum partes corporis solidas fulcit & firmat, perditas vires restituit, humores spissiores solvit, & fluidos reddit, actiones & excretiones præsertim urinæ promovet, unde hæc vina *debilibus*, *melancholicis*, *valetudinariis*, *hypochondriacis*, *senibus*, *calculosis*, *litteratis*, *languenti & minus coquenti stomacho*, *læsæ digestioni*, *corporis lassitudini*, item *podagricis*, *arthriticis* moderate sumpta medentur, & saluberrimo præsidio erunt.

Propius his vini liquoribus superioris Italiæ vina, *Vernacense* nempe der Vernatscher, & *Marceminum* der Marcemin, nec non *Prosecense* der Prosecker Rein-Fall accedunt, quorum hoc ultimum primo loco ponendum tanta *saporis* & *odoris* gratia, tamque amœna *coloris* flavedine splendet, ut mirum in modum delibantium palata recreet; egregie igitur *fluida* spissiora & viscida resolvit & digerit, corporis *solida* roborat, dissipatos spiritus, & vires instaurat, concoctionem valide juvat, œconomiæ

nomiæ animalis actiones & naturales excretiones tuetur, atqui adeo iis, quibus vinum de *monte Bolſano* ſolebat, morbis & calamitatibus omnino mederi ſolet. Inde eſt, Liviam Cæſaris Augusti conjugem hoc ſolo nectare uſam fuiſſe; atque ætatem octoginta duorum annorum conſecuta tantam vitæ longævitatem huic falerno in acceptis retuliſſe fertur.

§. V.

De vinis Gallicis & Hungaricis.

Italiæ vina modo deſerentes Gallias verſus progredimur, ſed pene in limine regni adhuc conſiſtentes vina habemus obvia, quæ non modo pretio & præſtantia Italica mera adæquant, verum etiam iis nonnulla eſſe ſuperiora referuntur.

Quatuor igitur, Gallica inter vina, vinorum genera excellere dicuntur, nempe merum *Campaniæ*, der Campaner-Wein, *Burgundicum* der Burgunder, *Frontiniacum* der Frontiniack, & *Muſcatinum*, *vin de Muſcat*, der Muſcat-Wein.

Atqui omnia hæc meri genera *principio ſpirituoſo inflammabili* eminent, unde corpus calefaciunt, exceſſivum humidum abſumunt, humores ſpiſſiores attenuant, & fluidos reddunt, ſpiritus & vires augent, ac ſolidorum tonum & robur promovent, adeoque *læſæ* præſertim *digeſtioni*, *& languenti ſtomacho* ſuccurrunt, *imbecilles reficiunt*, atque *animi deliquiis*, *hypochondriacis*, *ſenibus*, *litteratis*, & *reconvaleſcentibus*, quorum ſtomachum & viſcera ſolantur, potenti auxilio ſunt, quæ proinde tanquam *celebre cordiale pharmacum*, & *ſacra panacæa ſtomachi* ſuis laudibus extollantur; atque adeo in dictis morbis & calamitatibus id genus falernorum unum, alterumve vitrellulum perquam liberaliter, & per modum medicinæ diſpenſamus.

Sed quid ſumptus e remotis adeo terris vina accerſendi multiplicemus? quum propinquiora ex Hungaria petenda, & mino-

minore redimenda pretio falerna ſuppetunt, tantis digna laudibus, ut non modo Italica, Gallicaque mera bonitate adæquare, verum etiam longo intervallo antecellere videantur.

Teſtem appello aſſertionis meæ omni exceptione majorem Halæ Magdeburgicæ MEDICINÆ INTERPRETEM, qui de Diæta CAP. I. §. 20. de vinis Hungaricis hoc modo diſſerit: „ Quod ſalubritatem falerni Hungarici attinet, ejus præſtan„ tiam ſenſuum beneficio facile aſſequimur; neque negandum „ eſt, id largiore præditum eſſe ſubſtantia *ſubtili ſpirituoſa* & *tan„ tillo acidi;* unde etiam tutiſſimum fore, confido ad expe„ rientiam, optimam rerum Magiſtram, appellare, qua cer„ tum & confirmatum habemus, quod largior hic potus nul„ lum excitet capitis dolorem, neque alio corpus afficiat „ malo. Præterea in *morbis ſpasmodico-convulſivis, arthriticis, „ podagricis, tyrannide item hypochondriaca,* & aliis ejusmodi cru„ ciatibus vinum Hungaricum genuinum longe Rhenano præ„ ſtare, & opitulari citius, certiſſimum eſt. Deſuper ſumpto „ hoc mero, toto corpore alacriores ſumus, ſalutari liquoris „ omine, inde pendere vigorem, quod hoc nectar ſanguinis, „ humorum & ſpirituum motus & circuitus egregie ſecundet; „ quare fit, ne in ſanguine & corpore noxia contenta cumulen„ tur, ſed potius e corpore per vias communes excretorias „ proſcribuntur & eliminantur.

Certe nec cetera elogia diſſimulanda ſunt, quæ nectari Hungarico Auctor tribuit, dum OBSERV. XXIV. pergit & his verbis effatur: „ Hæc vina Hungarica in eo aliquid ſingu„ lare præ aliis habent, quod quædam ex iis præſertim der „ Ausbruch, und Beer-Wein ſuam teneant dulcedinem: dein„ de quod aromatico ſapore & odore prædita ſint: quod vim „ habeant diaphoreticam, & liberalius etiam hauſta nullum „ dolorem in capite, nullum languorem in artubus relinqnant: „ denique quod vappam non facile contrahant etiam ſub aeris „ liberioris admiſſione, & per multos annos conſervari poſſint. „

Quid ultra jam laudis, quid virtutis & ſalubritatis, ac hucusque recenſitum fuit, ab Hungariæ vinis deſiderari poſſit, nos latet, atque vel hoc ipſo Authoris tenori & elogiis acquieſcendum eſſe, merito arbitramur.

Id tamen addere conſultum fuerit, non unius, ejusdemque indolis vina Hungarica eſſe, ſed pro diſcrimine regionis, terræ ſitus, ſuorumque principiorum, & eorum mixtione differre, atque adeo horum laudes & virtutes ſuos omnino admittere gradus.

Quapropter omnium primum ſibi vendicat locum *Tockavienſe* falernum der Tockeyer, quod tanta virtute, tantaque ſalubritate excellit, ut non inter Hungarica modo, verum etiam quævis alia inter vinorum genera principatum teneat.

Siquidem mirum dictu, quam grata mulceat ſaporis ſuavitate, & odoris quoque gratia eluceſcat, atque mira *principii ſpirituoſi cum ſubſtantia blande oleoſa* temperie inſtructum ſit, qua cum primis ſtomacho & ejus officio auxiliatur, caput, nervos, & partes corporis ſolidas firmat, humores ſpiſſos & viſcidos reſolvit, & attenuat, acidos & acres dulcificat, nec non ſuccorum vitalium motus & circuitus auget, actiones & excretiones œconomiæ animalis ſartas tectas ſervat, vires perditas reparat; unde *imbecilles & ventriculo languentes, valetudinarii, ſenes, melancholici, hypochondriaci, litterati, arthritici, podagrici, paralytici, & ex morbis reſurgentes* &c. his Tockavienſis falerni viribus & præſidiis egregie adjuvantur.

Porro huic Tockavienſi mero, mox alia, quæ Hungarica tellus genuit, falerna ſuccedunt, nominatim *Poſonium* & *Sempronium*, nec non *Budenſe* & *Tranſylvanum* tum *rubra*, tum *alba*, quæ tametſi Tockavienſe nectar haud adæquent, ea tamen propius ſuæ tenuitatis gratia Tockavienſibus virtute & ſalubritate accedere, pro certo & indubio conſtat.

Sed modice, inquam, & medice, in recenſitis nempe morbis, & tempore quadrageſimæ, ac præcedente menſæ exceſſu, & inde

nata

nata ventriculi indiſpoſitione &c. Medicinæ (nequaquam vero potus quotidiani more) his utendum eſſe falernis, ſuæ ſalutis amantes ſuo altius repetant animo.

§. VI.

De vinis Germaniæ, in primis Auſtriacis & Tyrolenſibus.

Expenſis modo exterorum vinorum dotibus, viribus & facultatibus, eorumque legitimo uſu & abuſu in chara jam patria, in noſtra Germania pedem ſiſtimus, Germaniæ quoque vina, ne ingrati cives audiamus, poſituri ob oculos, id quod patriæ expoſcit ſalus, & amor natalis ſoli efflagitat.

Vnde cum primis a vinis Auſtriacis exordium ducimus, quæ Auſtria Inferior tanta profert copia, ut non modo patriis ſufficerent uſibus, verum etiam finitimas regiones alienata aliorum ſervirent commodis & utilitatibus.

Atque non modo ſola copia, verum etiam bonitas & ſalubritas vina Auſtriaca præſertim *Clauſtro-Neoburgica*, *Gumperskirchenſia*, *Medlingenſia* & *Nusdorffiana*, hisque vicina falerna commendat, quæ trium, quatuor & amplius annorum ætatem conſecuta, & a fecum labe ſoluta, ac depurata *gratum odorem* produnt, *penetrantemque ſpirituoſum ſpargunt odorem*, quibus una *citrinus* & *aureus color* ſplendorem addit.

Sufficiente ergo *ſpiritu*, *ſulphure* & *ſubſtantia tartarea plus minus acida* ſuis tanquam elementis conſtant; unde religioſe delibata, ſeu potius aquis attemperata, primum afflicto ventriculo ſubveniunt, concoctionis curant negotium, partes corporis molles & laxatas, blande ſtimulando, roborant, & ad motum concitant, ac viſcera infirma firmant; humores & ſpiritus, eorumque motus & curſus ſollicitant, atque adeo humani corporis actionibus & excretionibus deſideratam commodant opem & operam.

Languenti igitur stomacho, debilibus, senibus, litteratis, valetudinariis, hypochondriacis &c. moderate pota, aut aquis diluta venire in subsidium, persuasi sumus.

Cautius tamen & temperatius cum liquore Austriaco *litteratis, hypochondriacis, & alvi obstrictionibus obnoxiis, calculosis, arthriticis & podagricis* mercandum erit, quoniam hi miseri, vinii paulo liberalius poti substantia *acida tartarea* & *sulphurea* ocyus offenduntur, suis malis fomitem suppeditant, procliviterque labem subeunt.

Jam ad charæ Tyroleos, cujus olim cives eramus, vina calamus reflectendus erit; a cujus tellure præsertim *Brixinensi*, & *Tridentina*, aliisque Athesino fluvio vicinis partibus proferri vina, tum copia tum bonitate conspicua, oculares nos testes sumus; mira namque hæc falerna *claritate*, *grato sapore* & *spirituoso odore*, alia *rubicundo*, *aureo* alia colore refulgent, quibus dotibus vina Tyrolensia *spirituosum & sulphureum principium cum substantia plus minus tartarea* in sinu suo condere, minime obscurum esse potest.

Propius igitur ad Austriaca mera accedunt, quorum quidem vires & virtutes æmulari, nec tamen eas adæquare (præsertim *rubicunda* illa & *dulcia*, quæ adstringunt, & naturales corporis excretiones prohibent, nec non plus solito sulphurata, quæ sanguinem & humores acres reddunt, ac nervos petunt) minus superare videntur.

Qua de caussa merophili *debilioris stomachi, alvi obstructionibus dediti, hypochondriaci, arthritici & podagrici, ac litterati vitam sedentariam viventes* hortandi sunt, ne in Tyrolensis vini (quod ob *sulphur suum & substantiam acidam tartaream* iis prompte nocet & malum auget) illecebris suæ spem certam salutis reponant, verum potius moderatius his suaviis, & quidem aqua mixtis, utantur, dum valetudinis suæ res & spes in tuto collocare, eorum subit animum.

§. VII.

§. VII.

De vinis Rhenanis & Alsaticis.

Si quæ ulla Germaniæ regio certe Moguntina ditio quum largiora, tum nobiliora falerna profert, quæ non solum inquilinis suis suppetunt, & civibus, verum etiam alio vecta & venundata in aliorum usus impenduntur.

Omnium vero, quæ Rhenana tellus vina parit, prima prodeunt in medium *Bacheracensia*, & *Rheingaviensia*, quæ non tantum *mira perspicuitate*, & *amœno sapore*, verum etiam *spirituoso odore* palatum odoratumque recreant; atque adeo ejusmodi dotes testes sunt, meris Rhenanis inesse *spiritum & principium plus minus sulphureum, cum acido tartareo mixtum*, quibus igitur principiis stomacho & ejus digestioni obviam itur, chylificationi succurritur, sanguis & humores viscidi & tenaces resolvuntur, partes solidæ nervi & fibræ roborantur, *solidorum* & *fluidorum* motus & circuitus adjuvantur, si quæ latent cruda & excrementitia, digeruntur, digesta per alvum & urinæ meatus proscribuntur e corporis limitibus.

Merito igitur salubrioris vini prærogativa præsertim moderate hausta, aut aquis saturata Rhenana falerna donantur.

Paulo minus ab his distant *Hochheimense* ad Mœnum, & *Klingenbergense* ad Lapidem, quæ præcedentium vires & facultates licet non adæquent penitus, propius tamen æmulantur.

His propediem succedit *Helveolum* nuncupatum der Schüller, album inter & rubrum medium, unde nomen *Helveoli* sortitum fuit, nomine ergo & omine *Helveolum* nuncupatur.

Sunt præterea alia Rhenana, nominatim vero *Hünnigense* & *Andernacense*; atque illa, quæ prope Wormatiam germinant, quorum unum *Lac Virgineum*, *Nierensteinense* alterum nominare consueverunt; unde omnia hæc meri genera cum prioribus, nisi quod iis magis temperata sint, conveniunt, præter *Nierenstei-*

renſteinenſe, quod, ut præſagit etymon nominis, medendis præcipue renum & veſicæ calculis deſtinatum eſſe fertur.

His modo Rheni vinoſis liquoribus Alſatiæ falerna ob majorem virium analogiam, quæ utrumque inter nectar intercedit, tum *alba*, tum *rubra*, adnumerantur; ſuperius vero eſſe id Alſatiæ merum ſuſtinetur, quod non procul Argentorato in ſic nuncupato vetere monte creſcit; præterquam enim, quod ſtomacho, & concoctionis negotio amiciſſimum ſit, renum præcipue & veſicæ morbis, *calculis* nempe & *arenulis* ſuccurrere, atque truculentas has calamitates tollere, minuere, & ſanare perhibetur.

Porro id in ſumma de vinis Rhenanis recenti mandetur memoriæ, hæc falerna, quo vetuſtiora ſunt, eo ſalubriora fore: atque adeo non recens nata, ſed majorem annorum ætatem adepta promiſſis fidem ſolvunt, ac humani corporis ſaluti & proſperitati conſultum eunt.

Tametſi vero Rhenana eximia laude & ſalubritate conſpicua ſint, verumtamen ii, qui vitam ſedentariam agunt, & quorum ventriculus ac primæ viæ acida humorum colluvie plerumque abundant (ut ſunt *melancholici*, *hypochondriaci*, *litterati*, & *intenſius in litterarum ſtudia incumbentes*, *quos & alvi laceſſit ſegnities* &c.) moderatius hoc utantur nectare, eo quod citius a vini uberiore *acido tartareo* offendantur, atque mala & afflictiones, quibus petuntur, gradus ſumant & incrementum.

§. VIII.

De vinis Moſellanis, Necarinis & Acronianis.

Moſellana falerna minus *ſulphureæ*, & *acido-tartareæ* ſubſtantiæ, ac Rhenana, in ſinu ſuo fovere, atque adeo præ Rhenanis majore temperie inſtructa eſſe, hinc & ſalubritate antecellere videntur.

Atque

Atque Mosellana *insigni tenuitate* splendent, *pergrato linguæ blandiuntur sapore*, *odoratum* quoque recreantia.

Spirituoso ergo principio, quo ventriculum firmant, & læsæ digestioni suppetias ferunt, corpus calefaciunt, & humores viscidos spissos resolvunt, attenuant, & fluxiles reddunt, nec non vires corporis perditas restituunt; atque sale copiosiore *tartareo-nitroso* (quo vias & meatus obstructos aperiunt, sanguinem & fluida viscida in motu suo impedita solvunt, iisque fluiditatem conciliant, hinc soluta impura & heterogenea per alvum & urinam e corpore amandant) Mosellana incedere, præfatæ eorum dotes & proprietates testatum volunt.

Vnde in *languente*, *& tardius coquente stomacho*, *cardialgia*, *peste hypochondriaca*, *melancholia*, *senibus*, *litteratis*, *debilibus*, *& reconvalescentibus*, *minuto urinæ fluxu*, *calculo*, *malo podagrico*, *arthritico & ischiadico* &c. Mosellana frugaliter pota, aut aquis diluta medentur, quæ hoc modo in usum data saluberrimo valetudini præsidio erunt.

Nec modo diutius Necarinis meris immorari vacat, quippe Mosellano falerno similioribus; calore tamen & spiritu Mosellum Necarina superat, illud vero a Necarinis sui saporis gratia & suavitate superatur; unde etiam germanicum adagium ortum duxit, quo in vernacula ajunt: Necker-Wein, Schlecker-Wein.

Siquidem eum in modum Necarina mulcent, & attemperata sunt, ut non modo quæcunque alia mera suavitate & temperie facile superent, verum etiam præ aliis potum suppeditent quotidianum, atque calidioribus æque, ac frigidioribus naturis & complexionibus, immo ad ipsam phtysin inclinantibus salutaria sint, nec non calculosis ob egregias, quas renes & vesicam abstergendi, depurandique vires, quibus calculi prohibetur genesis, possident, etiam atque etiam ex consilio Medici commendentur.

Quod

Quod denique ad Acroniana patriæ noſtræ falerna attinet, certe a multis non ſine injuria, quaſi ſemper & ubique flocci pendenda forent, rideri, ſibilisque excipi, nobis perſuaſi ſumus; enim vero licet recens nata parum in receſſu habeant, plures tamen annos conſecuta (quo enim vetuſtiora, eo ſalubriora ſunt) ne hilum quidem aliis Germaniæ vinis cedunt, quin vetuſtiora bonitate & ſalubritate iis merito æquiparanda fore, a me nunquam dubitari cœptum fuit. Siquidem hæc provectioris ætatis falerna *amœna claritate*, & *coloris gratia* reſplendent; ac *ſpirituoſo ſapore & odore* recreant; unde *ſpirituoſum* iis ineſſe principium cum elemento *tartareo-nitroſo* mixtum ex præfatis dotibus colligitur; atque adeo hoc nectar roborare ventriculum, & in primis vetuſtius renes & veſicam eluere, partium corporis *ſolidarum* & *fluidarum* motus concitare, ac ſanguinis & humorum circuitus ſecundare, hinc in *debiliore ventriculo*, *melancholicis*, *hypochondriacis*, *ſenibus*, *debilibus & reconvaleſcentibus*, *litteratis*, & in primis *calculoſis* (quibus miram ſpondent opem & operam) hæc ſelectiora & vetuſtiora falerna ſuccurrere, ac gratum ſalubrioremque potum ſuggerere, forte a nemine, niſi in vineis Acronianis hoſpite in dubium vocari, arbitramur. Inde eſt, Acroniana hæc falerna non ſolum inquilinis ſervire uſibus & utilitatibus, verum etiam in remotiores terræ plagas delata venumdari, & parato alienari ære. Atque hæc pro patria. Nam OVID. I. *pont.* 4.

Neſcio, qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

SE-

SECTIO VII.

De vinis aqua diluendis.

Profecto refert plurimum, quo potu tuendæ valetudinis gratia, aqua nempe, vino vel cereviſia fruamur; unde ſunt, qui cryſtallinis aquis ſubſcribunt, alii falerna adamant, nonnullis Cereris potus, ſeu cereviſia placet. Sed abunde hactenus de his liquidis dictum fuiſſe rati in aliam modo quæſtionem incidimus, qua ſcilicet de vino quæritur: *Solumne id*, & *purum*, an *aquis dilutum* & *temperatum* communi dare uſui, ac in quotidianos probare uſus præſtet, atque utrum *ſolum*, an *dilutum* ſalubrius ſit, plusque valetudinis rebus & facultatibus patrocinetur.

Verum nos fugit minime, fore ad quæſtionem ſolvendam Merophilos, qui vino mero votum nuncupent; fore & hydrophilos, qui vinis aqua diluendis immolent, ocyus nobis præſagit animus. Id interim pro certo tenemus, ſuæ ſalutis amantium, quo ſalubriore, ſuæque naturæ magis reſpondente utantur potus nectare, oppido intereſſe; atque adeo ſuffragia pro vinis aqua diluendis colligenda fore, æquo & jure exiſtimatur. Siquidem noſtrum ſubit animum, fortiora ſane & validiora inter tuendæ ſanitatis præſidia diluta reputanda fore, id, quod non populari quadam trutina, ſed æquiore judicii ſtatera indagare juverit, quo fiet, ut, an Baccho, an Neptuno, iisve mutuo junctis fœdere vovendum ſit, perſpiciamus, utriusque partis & merophili & hydrophili rationum momenta auſcultantes. Sit igitur

§. I.

An vinum merum medicamentum, an alimentum ſit?

E Vno ore, uno animo & conſenſione omnibus Medicinæ Proceribus in confeſſis eſt:]

ALIMENTVM *eſſe, quod naturæ amicum & conſentaneum corpus noſtrum alit, auget & nutrit, dum concoctionis ope, & nutrice facultate per calorem & motus immutatur, atque immutatum in ſubſtantiam tranſit aliti, ac noſtri corporis partibus aſſimilatur.*

MEDICAMENTVM *vero eſt: quod a quadam excedente qualitate humani corporis partes alterat, & immutat, iisque novam qualitatem addit.*

Qua de cauſſa quum vinum merum a ſua excedente qualitate corpus alteret, idque nova qualitate immutet, inter medicamenta numerandum fore, ex natura rei ſequi videtur.

Quanta vero vina mera corpus noſtrum alterandi potentia prædita ſint, tum vini naturales dotes & proprietates, *caliditas* nempe & *ſiccitas*, quibus humanum corpus incaleſcit & ſiccatur, tum Medicinæ Princeps GALENVS, qui de SIMPL. MED. CAP. XIII. ait: *Vinum ex ſecundo ordine eſt calefacientium, ſed quod admodum vetus eſt, ex tertio, caliditati ejus, ex proportione reſpondet ſiccitas:* dilucide teſtatum faciunt.

Ex quibus igitur vini *calefaciendi* & *ſiccandi* vires, adeoque corpus noſtrum immutandi & alterandi virtutes apertius conſtare, nemini ulli obſcurum eſſe poteſt.

Præterea nec id nobis diſſimulare licet, vinorum merorum *calefaciendi* & *ſiccandi* facultates ex vini ſpiritu (qui utique calidiſſimus & ſicciſſimus eſt) ceu merorum vita & anima amplius inclareſcere, ſic & corpus alterandi potentiam rurſus illuceſcere, evidente ratione inferendum eſſe arbitramur.

Nihil

Nihil vero obſtat, exiſtere vina tum *rubra*, tum *alba*, quæ ſecundum aliquam ſui partem nutriunt, enim vero id genus falerna ſimul accendere, ſiccare & inflammare, pro comperto habetur.

Porro vina mera modo infirmare, modo ſanare, jam *ſitim*, *vigilias*, *dolores capitis*, *appetitum proſtratum*, *viſcerum inflammationes* &c. producere, jam morbis & gravioribus ægrotationibus ex voto mederi, & priſtinam ſalutem reddere, adeoque corpus immutare, evidente experientia teſte minime ignorari poteſt.

Quin immo vina mera ad medicamentorum claſſes referenda eſſe, MAGNVS GENTIVM DOCTOR PAVLVS contendere videtur, quum I. AD TIMOTH. *cap.* 5. Timotheo ex ventriculo laboranti ſcripſiſſet, quo litterarum tenore ægrotum his hortatur verbis: *Noli bibere adhuc aquam, ſed modico vino utere propter ſtomachum, & frequentes infirmitates tuas.*

STOMACHALE igitur, *cordiale* & *analepticum* vina medicamentum eſſe, quo non modo ægroto ſuccurritur ſtomacho, verum etiam dejectis viribus & animo linquentibus, minime in dubium vocari poteſt.

Optime certe his congruit, quod HOMERVS *Iliad.* 106. cecinit:

> *Auget enim membris, quæ languent fracta labore,*
> *Egregias vinum vires.*

Et *Iliad.* 6.

> *Vina viro robur feſſo, vireſque miniſtrant.*

Poſtquam igitur vina mera, ut ex dictis clarum eſt colligere, non alimenta, ſed medicamenta ſunt, pro naturali & quotidiano potu (niſi aquis diluta) præſertim in tanta doſi, in dies ad menſuram & amplius, qua ſumi ſolent, admitti nequeunt, quum ipſa SAPIENTIA ÆTERNA TESTE; *ſanis non opus eſſe Medico, neque medicamento*, dilucide conſtet, id, quod merophilis & Bacchophilis memori mente tenendum erit.

Addam hic monitum Medicinæ Parentis HIPPOCRATIS, qui APH. II. 51. his monet verbis: *Simul & ſemel multum & repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quovis modo corpus movere, periculoſum. Ad ſanitatem enim tuendam opus eſt vel Medico modice, vel modico medice.*

Atque adeo præſtat motos componere fluctus, ſeu Bacchi vires cryſtallinis aquis compeſcere, qua ratione ardens vini ſpiritus ab aqua, aquæ autem frigus a calido vini ſpiritu attemperabitur, ſicque gratum, ſanitatis gratia, vini cum aqua initur conjugium, quo

Vtraque mundatur, dum palma palma lavatur.

§. II.

Vinum merum in potum quotidianum & ordinarium admitti nequit.

Quemadmodum *ſolidorum* ſeu *ciborum* eſt, cibi ſatisfacere deſiderio, famemque ſedare, ita ad *liquida*, ſeu *potulenta* ſpectat, ſitim fallere & pellere, id, quod vel etiam in arte hoſpes noverit.

An jam vina mera id nobis præſtent obſequii, ſitimque ſedent, indagare juverit; atque adeo naturam ſitis, vinique vires expendere oportet, quo propius ad ſcopum noſtrum contingemus.

Quoniam igitur ſitis *naturale eſt liquidi ſeu potus deſiderium,* quo defectus humidi reſarcitur, digeſtio promovetur, ingeſtorum ſalia, quæ vellicando ſiniſtrum ventriculi orificium ſitim concitant, potu aqueo diſſolvuntur, fervidus hepatis & aliorum viſcerum ardor vel ab externo ignis, aeris vel ſolis calore, aut intenſiore corporis motu & exercitio oriundus aquæ hauſtu attemperatur & refrigeratur; vina vero mera ex natura ſua calida & ſicca ſunt, ſitis contra teſte Stagyrita *appetitus frigidi & humi-*

humidi eſt actu vel facultate; vel ex ipſo naturæ lumine dilucidum fit, ſi contraria contrariis curanda ſunt, non *calidum* & *ſiccum*, ſed *frigidum* & *humidum* ſedandæ ſiti accommodatum eſſe, & ſufficere, quo naturali potus deſiderio fiat ſatis.

Argumento noſtro exemplis robur additur, ſic ſiti vel a ſolis aut aeris calore, ſeu ab alia cauſſa exorta, merum bibatur, primus hauſtus repetatur, huic tertius, & ſic porro accedat alius: nec ſitibundus ſatiabitur, immo creſcet ſitis & gradus ſumet, haud obſcuro omine, nequaquam mera *calida* & *ſicca* domandæ ſiti ſufficere, quæ contrariis, *frigidis* nempe & *humidis* unice ſedari cupit.

Porro hic gurgites & helluones vel etiam inviti noſtri aſſerti teſtes erunt, qui, quo plus potant, quo & frequentius ſeſe inebriant, eo plus ſitiunt, & una voce merum clamitant, quin vel ſemel ſitis levetur, & gurges ſatietur; ſed neque id ſine cauſſa, quam ex mericola Poeta canit:

Si recte memini, ſunt cauſſæ quinque bibendi,
Hoſpitis adventus, præſens ſitis, atque futura,
Et vini bonitas, vitri quoque gratia rari.

Quam ob rem de ejusmodi gurgitibus Athena refert, optaſſe ipſos, ut in balenas converterentur, modo quoque mare totum in generoſa falerna verti poſſet.

Optandum igitur foret, ut id genus ſtrenui meri pugiles ſaluberrimis optimi morum Magiſtri SOCRATIS conſiliis morem gererent, quibus contendit, nullum cibi potusque genus (quod ultra naturale famis, ſitisque deſiderium ad edendum & bibendum amplius alliceret) ſibi aſſuefaciendum fore; qua ratione nunquam helluandi conſuetudinem inducerent græcatores, ſicque magis ſaluti ſuæ conſultum, rebusque ſanitatis & facultatibus proſpectum irent. Quum igitur nihil magis quam vinum merum ultra naturale ſitis deſiderium alliciat, ſitimque con-

concitet non uno alterove hauſtu ſedandam & reſtinguendam juxta illud Poetæ:

Præteritam primus, præſentem proximus hauſtus,
Venturam extinguat tertius iſte ſitim.

Nunquam vina mera bibendi conſuetudini litandum fore & monet SOCRATES, & tua ſalus, ac optatæ valetudinis ratio efflagitare videntur.

Denique ſolas aquas pro ſedanda ſiti & nutriendo corpori a ſummo rerum omnium RECTORE procreatas eſſe, vel ex eo pronum eſt colligere: quod ipſe FONS VITÆ, SAPIENTIÆ & INTELLECTVS in univerſum mundum & mundi plagas aquarum rivos & ſcaturigines effuderit, ac diviſerit; contra potior mundi pars tanta vini prematur inopia, ut nec Arctous nec oppoſitus alter polus unquam vites viderit, immo ducto nonnullorum calculo, ſi univerſus terrarum orbis in ſex & triginta partes divideretur, duæ ſolum partes vina gignant; quarum nihilo tamen minus incolæ civesque ad unum omnes nutriuntur, eorum ſedatur ſitis, ac ſuos vitæ dies ſanos tranſigunt & incolumnes, quin immo firmiore virium robore, & beatiore valetudinis ſorte, quam hydrophobi, fruuntur, vitæ ſalutisque ſuæ proſperitate mericolis plerumque ſuperiores.

Vt igitur ſitis tuæ deſiderio fiat ſatis, vina aquis diluenda erunt, id, quod rurſus GALENVS præcipit, dum LIB. II. *cap. 20.* de ſalubritate diætæ his effatur terminis: *Quos ſitis infeſtat, cibos hi & labores minuant, ac dilutum bibant, idque quam frigidiſſimum.*

Sed quæres, qua ergo doſi, qua & aquarum quantitate vina diluenda ſint? Regero ego: circumſtantias mutare caſus, adeoque non ita planum & expeditum fore, qua aquei humoris quantitate vina diluere præſtet; id vero pro certo habemus: duo ad probam vini cum aqua mixtionem expendenda eſſe, *conſtitutionem nempe merophili, ipſasque vini vires & facultates.*

Atque

Atque adeo magis dilutum *junioribus, complexionibus calidioribus & ſiccioribus, temperamentis ſanguineis & cholericis, ætati puerili, juvenili, quo & clyma calidius, tempus fervidius, conſuetudo, victus & morborum ratio* referenda ſunt, indulgeri poſſe; contra minus dilutum *frigidiori corporis conſtitutioni, ſenibus, temperamentis phlegmaticis, & melancholicis, litteratis & vitam ſedentariam viventibus, ubi ſimul ratio frigidioris clymatis, anni temporis, ac debilioris ſtomachi* habenda eſt, conducere & profuturum eſſe, ex ipſo naturæ lumine ſequi videtur.

Vnde perſuaſi ſumus: *junioribus* & *calidioribus* ad dimidium diluendum, *frigidioribus* vero & *ſenioribus naturis* tertiam ſaltem vel quartam aquæ partem cum vino miſcendam fore, id, quod merobibo alta mente repoſtum teneat.

Quod vero ad ipſas vini vires attinet, quo hæ fortiores, & generoſius, ac calidius vinum eſt, eo plus & liberalius diluere, quo vero debilius merum erit, eo minus aquæ addere, expedit. Id interim tibi certum & expeditum ſit, largius diluendo, vix ſemel errari, parcius miſcendo rarius tuto potari Falerna.

§. III.

Vinum merum naturalem appetitum dejicit, & proſternit.

Iis, qui nomen Medicinæ dedere, nihil notius, nihil antiquius eſſe poteſt, quam veram appetitus rationem a ventriculi *ſalinoſo-ſpirituoſo ſucco gaſtrico* dependere, quo ſucco ſalvo & in ſtatu naturali conſtituto, ſenſibile ſiniſtrum ventriculi orificium blande ſuis horis vellicatur, vellicatio nervoſi orificii continuatione nervorum ad ipſum cerebri commune defertur ſenſorium, hic percipitur, qua perceptione alimenta appetuntur.

Ex quibus igitur prompte colligitur, oportere, ut *liquidum illud ſalino-ſpirituoſum* integrum & ab omni labe immune ſit,

quo

quo dicta vellicatio, & ſenſatio concitetur, atque adeo ena- ſci & produci appetitus poſſit.

At vero quotidiano meri potu (qui in dies menſuram ſa- tem adæquat) mirum hunc ſuccum gaſtricum lædi & violari dum ejus particulæ *ſalino-ſpirituoſæ* vini calore diſſipantur, hin ſuccus iners & vappidus redditur, virtus vellicans conteritur adeoque appetitum dejici & proſterni, extra dubium poſitum eſſe videtur. Enim vero vini ſpiritus, & acidum, quotidi tanta quantitate ſucco gaſtrico affuſum cum ſucci particulis *ſa- lino-ſpirituoſis* in motus abeunt & fermentant, hinc lymphæ ga- ſtricæ ſubtilior & ſpirituoſa portio incaleſcit & exaltatur, par- ticulæ ſubtiliores in motum concitatæ avolant, unde ſuccus gaſtricus ſuo ſpiritu, ſuisque exutus viribus, acidus, viſcidus & vappidus relinquitur, quo & vellicationem minui, hinc ap- petitus rationem tolli & peſſumdari, omnino neceſſe eſt.

Non hic jam attingam vini *ſulphur narcoticum*, quo ventri- culi nervos & fibras oppido frangi, eorum robur, motusque contundi, ac figi in motu ſuo ſpiritus animales, adeoque ven- triculi motum hebetari periſtalticum, hinc ſiniſtri ventriculi orificii ſenſationem minui, & appetitum tolli, helluones teſte ſunt, quibus jam de mane cum vino aut vini ſpiritu conſilium quo omnem appetitum perdunt, demum ante tempus in mor- bos ruunt, præſertim in *cachexiam*, *abdominis tumores*, *hydropes*, *tabes*, *phtyſes*, aliasque inſanabiles ægritudines: id quod innu- meri helluones & gurgites, qui ante tempus naturæ ſuæ debi- tum ſolverunt, exemplo triſtiſſimo docuere.

Inde etiam eſt, id genus græcatores ex ventriculo adeo arroſo, ejus acido & viſcido ſucco gaſtrico, adeoque digeſtione pene penitus abolita non modo eructare fœtores olentiſſimos: verum etiam e vinolentis faucibus fœdiſſimos ructus & odores tetricos, ceu ætnæos vapores exhalare, id quod merito ad- ſtantes horrent, & honoratiores perſonæ faſtidire ſolent. At- que adeo, ut ſalutis tuæ rebus conſulas, appetitus integer

&

& incolumis ſtet, non meri puri, ſed aqua temperati potus valetudinis tuæ œconomiæ ſerviet, aqua, inquam, quam Magnus Æſculapius *voracem* & *edacem* nuncupat, eo quod vellicando & paulo corrugando ſuperius ventriculi orificium, non voracem modo & edacem convivam redderet, verum etiam appetitus vigorem tueretur & cuſtodiret.

Si igitur frigida ad menſam vocat, & ad dapes appetitum ſtimulat, a calido & ſicco mero, quod nervoſas & membranaceas diſſolvit ventriculi tunicas, ejus vires & motus enervat, prohiberi & vetari cibi deſiderium, facili conjectura auguramur. A *calido* vero & *ſicco*, quale merum eſt, appetitum & ejus facultates proſterni, Medicinæ Parens HIPPOCRATES APHORIS. XVI. his verbis teſtatum voluit: *Calidum frequentiore uſu hæc invehit incommoda, carnis effœminationem, & nervorum incontinentiam.*

Porro quid opus multis? horaria experientia loquatur, qua firma utique fide conſtat: hydropotas, aut merum aqua miſtum bibentes conſtantius longe & avidius appetere, ac edaciores eſſe, quam meri pugiles, calicumque remiges, qui propemodum plerumque inappetentes ſunt, cibos odio habent, & edulia faſtidiunt, atque eousque miſere & medice vivunt, quousque ſolo meri potu ſervati & ſuſtentati vel *hydrope* vel *tabe*, aut alia immedicabili ægritudine intereunt, triſtes meri pœnas ſubeuntes. Diluat ergo, qui hæc tormenta, & has pœnas evadere cupit.

§. IV.

Vinum merum difficillime a ventriculo coquitur, hinc a vino ventriculus, & ejus concoctio violantur.

Tantum abeſt, ut vini vires & ſpiritus a ventriculo coquantur & ſubigantur, quin potius, ab effero ſpirituoſo vini liquore ventriculum vinci, & ejus facultates arctioribus conſcribi limitibus, æquo & jure in animum induci patiamur.

Quandoquidem paulo ante, & materia præcedente oſtenſum fuit, ſuccum gaſtricum, ciborum digeſtioni deſtinatum, a meri potu corrumpi, in acidum & vappam verti, adeoque proſterni appetitum, tunc utique ventriculi rebus & facultatibus concuſſis & peſſumdatis, vini efferum calorem, & acidum tartareum dominari ventriculo, vincere vinum, vinci ventriculum, atque ſuperiores meri vires evadere, quam ut ventriculi vires vina poſſent coquere, adeoque difficillime vina mera coqui a ventriculo, nullam dubitationis ſubit aleam.

Quibus ita ſtantibus vinum ſui juris redditur, vitioſus chylus enaſcitur, liber vini ſpiritus incitato motu venas petit, per vias ſolitas ſanguinem ſubit, quocum per corporis partes circulatur; unde vinum partes & viſcera, ad quæ lege circuli ſanguinis pertingit, non modo *ſuo ſpiritu* exſiccat, accendit & inflammat, verum etiam *acido ſuo tartareo* cum primis ventriculum & inteſtina afficit, eaque arrodit, vellicat, corrugat, atque adeo *tormina, cardialgias, dolores colicos, ſpasmodico-convulſivos*, ac ad alias corporis partes delata mera alias afflictiones pro varietate nempe partium, ad quas pertingunt, producere ſolent: ſic in renibus hæc mera non raro *calculum, iſchuriam, ſtranguriam*, in artubus *tremores, lancinantes dolores*, in pulmonibus *difficilem ſpiritum, catarrhos, tuſſes, phtyſes*, in abdominis viſceribus *inflammationes, obſtructiones & hydropes*, in capite, *cephalalgias, defluxiones, vertigines, apoplexias*, atque in aliis corporis partibus, ad quas occaſione circuli ſanguinis feruntur, alias calamitates & ægritudines, nec non ſexcenta malorum progenerare conſueverunt.

Ad quæ igitur tam dira, & tam immania declinanda mala, ærumnasque, & corporis miſerias utique Bacchophile tibi auctor parensque ſum, ut vinum aquis diluas, ac Neptuno potius voveas, quam ut tanto cum ſalutis tuæ diſcrimine Baccho te vini meri voto obſtringas, quo certo certius ad ruinam properas, vitæ maturas terminum, ipſique tibi paras necem, ſtruisque interitum.

Ex

Ex quibus igitur conficitur, blando & temperato vini calore (quum omne nimium naturæ ſit inimicum) ventriculo opus eſſe ad coquendum, ſi enim ſolo vini effero calore opus foret, quo modo puerorum, virginum, ruſticorum, pauperum, immo totius Mahometis Imperii gentium, aliorumque abſtemiorum ſtomachi coquere poſſent, ego divinare nolim.

Porro quotidiana praxis clinica, & conſtans experientia loquantur, quibus utique indubie conſtat: merobibones & Bacchophilos ſuis plerumque ingemiſcere ventriculis, miſeramque & infelicem ſtomachi ſui conditionem (valentibus diluta bibentibus) lamentari, neque id ſine ratione; teſte namque Græco Principe vinum merum calidum & ſiccum eſt, quo Divinus ventriculi calor (ita eum Archi-Medicus nominat) deprimitur & depravatur, ac a meri calore ſuperatur. Vnde Poetarum Medicorum nonnemo ipſus noxios vini calores & fata expertus mero hoc carmine ſuccenſuit:

Languenti ſtomacho ſunt vina potentia peſtis,
His magis enervas, quo magis illa bibis.

§. V.

Vinum merum chyli diſtributionem prohibet.

Vt chylus in ventriculo, & inteſtinis tenuibus confectus terminum ſuum (corpus nempe nutriendum) attingeret, per certas vias, ut alibi dictum, certos ductus & meatus, ſanguinem, & cum eo omnes humani corporis partes & *ſolidas* & *fluidas* ſubire & peragrare debet, adeoque vehiculo (non calido & ſicco) ſed tenui, ſubtili & humido, quo iter ſuum chylus perficeret, opus eſſe, ocyus nobis perſuadetur.

Atque adeo dari melius, opportunius, & præſtabilius vehiculum, vehens chylum, quam vinum aqua dilutum (per-

petuo repudiato mero) merito nemo non inficiatur. Siquidem vina mera calida & ſicca cum primis vero *rubra* & *nigra*, *dulcia* & *craſſa*, *acida* & *auſtera* &c. non tam chylum nutritium ſubigere, abſtergere, humectare, & fluidum reddere, hinc chylo præbere vehiculum, quam potius calore ſuo eundem exſiccare, ac acidis ſuis & tartareis, terreisque inſpiſſare partibus, quo minus fluidus redditus ſuccus nutritius tardius ſuos contingit terminos, corporis nempe partes nutriendas, ad quas debite diſtribui non poteſt, id, quod pene manibus contrectamus.

Nunquid enim generoſa falerna ſuo ſpiritu ambo vitæ lumina *humidum* nempe *naturale*, *& calidum nativum* arrodunt, obſcurant, & ſubtiliores humani corporis humiditates (craſſiore vitioſo ſuperſtite) depaſcunt? Nunquid vina acida, tartarea, & terrea ſuo *acido tartareo* ſuccum ventriculi gaſtricum & liquidum inteſtinorum inſpiſſant, unde pari modo chylum contaminant, eum acidum, terreumque reddunt & ſpiſſiorem; tantum igitur abeſt, ut chylo diſtribuendo ſuppetias ferant, eique vehiculum præbeant, ut potius eum ſpiſſiorem & acidiorem redditum in motu ſuo & diſtributione morentur, atque adeo exſiccando & accendendo partes ſolidas & fluidas, *ſites*, *calores*, *febres*, *tuſſes*, *phtyſes* &c. obſtruendo vero & inſpiſſando *alvi obſtipationes*, *abdominis infarctus* & *tumores*, *cachexias*, *hydropes*, *calculos* & *urinæ ſuppreſſiones*, *malum hypochondriacum* &c. producant, quorum geneſis malorum haud alia ratione prohibetur, quam ſaluberrimo vini cum aqua connubio, quo vini calor & ſpiritus compeſci, major mero claritas conferri & tenuitas, atque *contemperandi*, *aperiendi*, *abſtergendi* & *humectandi* facultas vinis ita mixtis tribui ſolet, qua valide ſanitatis rebus conſulitur, vitæque integritas in tutis collocatur, id, quod pridem SALERNI MEDICI redoluiſſe viſi ſunt, quando CAPIT. XVI. *de conſervand. valetud.* hunc in modum cecinerunt:

Vinum ſit clarum, antiquum, ſubtile, maturum,
Ac bene dilutum, ſaliens, moderamine ſumptum.

En

En auro cedroque dignissimam, immo æneis inserendam tabulis SALERNORVM sententiam, & dogma saluberrimum! quo non modo vinum aqua diluendum Medicinæ Prudentiæ Antistites præceperunt, verum etiam condiderunt sapientissimum salubrioris potus consilium, atque hac lege & consilio, rectæ vitæ instituto, illibatæque valetudinis fortunis & prosperitatibus prospectum esse cupiebant. Certe igitur carmen hoc diæteticum, quod ex vena Salerna fluxit, dignissimum est, ut & merobibonum, & cum primis Bacchophilorum altius insideret animis, ac in eorum sinu memori æternum mente conderetur.

Sileo hic alia commoda, sileo plura bona & emolumenta, quæ ex vino aqua diluto in œconomiæ animalis bonum & incrementum redundant, quæ & unico hoc versiculo Poeta hydrænophilus perstringit, dum ita modulari amat:

Lymphatum crescit, dulcescit, lædere nescit.

CRESCIT: postquam dimidia, tertia vel quarta parte quæ vinis addita non modo sanitatis rationes & opes conservantur, & vinum augetur, verum etiam securior evadit substantia marsupii, & florescit, ut adeo recte is senserit, qui judicavit:

Meri abstinentiam non esse substantiam,
Tres tamen conservare substantias,
Corpus, animas & pecunias.

O dogma vere beatum & saluberrimum, immo præsentibus cum primis his sæculi moribus opportunissimam accommodatissimamque sententiam! qua non solum statuitur, qua ratione corporis, & animæ bona sarta tecta, servari, verum etiam in præsens florentissima œconomia stare integra & adjuvari queat, aperte docetur, & palam commonstratur.

DVLCESCIT dilutum, dum addita aqua intensior vini calor attemperatur, & cicuratur, dentata meri acrimonia demulcetur, salia ejus acida & tartarea contunduntur, superstite vini dulcedine, quam diluendo vina fovent.

LÆDERE NESCIT, dum potus quotidiani more ufurpatum, ut ex rationibus bene multis hucusque allatis palam eft, non folum admiranda humano corpori commoda præftat, fanitatisque rebus & profperitatibus potenter patrocinatur, verum etiam mala innumera, morbos & pericula, quæ vitæ valetudinisque integritati ex vini meri potu impendent, arcet & prohibet, quum vinum potens vinum nocens, & vinum dilutum naturæ amicum effe refertur: atque adeo falubriori diluto (ad orbis usque fines repudiato mero) jure merito nos confecremus.

§. VI.

Vinum merum equo Trojano comparatur.

Non ita inter fe fe differre vinum merum & equum Trojanum, ut diftant æra lupinis, ex penitiore vini meri cum equo Trojano confenfione liquido conftare videtur. Minabatur namque equus urbi Trojæ necem & interitum, vinum vero merum humani corporis Trojæ precari pessime, ejus valetudini diras intentare, vitæque parare exitium, a nemine nifi merobibone vocari in dubium, fpe certa tenemur.

Siquidem ex vino mero ceu equo Trojano grandia eaque fexcenta profilire mala & fanitatis incommoda, ac Herculeas humani corporis afflictiones & ægritudines, & porro lernam malorum œconomiæ animalis Trojam invadentes & oppugnantes: *dolorificas nempe in dentes, oculos, pulmones, aliasque in capiti fubjectas partes defluxiones, rhevmatismos, cruciatus arthriticos, periculofas vifcerum inflammationes, eryfipelata & phlugofes, fubitaneas apoplexias, cephalalgias, parefes, paralyfes, artuum tremores infanabiles, fpafmos & convulfiones; infimi ventris inflammationes, cardialgias, obftructiones, indeque pendentes icteros, hydropes; lethales phtyfes, turpiffimas cutis & faciei defœdationes, cupriosque nares, humidas & fic-*

cas

cas ſcabies, & ulceroſos pedes; ſæva inteſtini coli tormina, atroces renum & veſicæ lithiaſes; in ſexu ſequiore probroſas ſterilitates, infelices abortus, ac varii generis febres, &c. conſtans omnium horarum experientia teſtatum facit.

Vere igitur & ſapienter ait celeberrimus ille Oenipontanorum Medicinæ Interpres WEINHARDIVS, vir medendi, docendique munere ſpectatiſſimus: „ Vinum merum illam lernæam hydram eſſe, tot horrendis vitæ noſtræ civitati infeſtam capitibus, quibus vincendis & detruncandis ne una manus Herculea, ſed ſubjugandis, trucidandisque unum aqua dilutum ſufficit. „

At ne temere, & per vanas duntaxat vocum phaleras vinum merum tot exiſtere cauſſam malorum oſtentare videamur, ſuis rationum momentis meri criminationes probatum ibimus.

Nunquid enim merum calore ſuo rudi & effero blandum, temperatum, & naturalem corporis noſtri calorem perdit, calidas viſcerum intemperies, febres & inflammationes parit? dum ſævo ſuo & inflammabili ſpiritu ſanguinem & humores in orgasmos & ebullitiones agit, partes ſolidas nervos & fibras accendit, & in motus præternaturales concitat; nunquid merum ſuis particulis acido-acribus nervorum, & nervoſarum partium fibrillas criſpat, corrugat, & in dolorificas ſpaſmodico-convulſivas contractiones conjicit? Nunquid vina mera fluido nerveo & ſpiritibus impuro ſuo ſulphure narcotico torporem inducunt, adeoque ſpiritus, ac partium ſolidarum tonum ſuis producendis motibus & actionibus impares reddunt? atque ne demum partes vini terreas, acidas, tartareas & auſteras diſſimulemus, a quibus humani corporis partes in primis liquidas labe contaminari, & inſpiſſari, partium ſolidarum & viſcerum poros ac meatus obſtrui, & ſolidorum vias invias reddi, adeoque ſanguinis & humorum impediri curſus, & hebetari circuitus (ex quibus viſcerum *infarctus*, *tumores*, *icteri*, *hydropes* &c. natales ducunt) ex ipſa rei natura videtur conſequi?

Atque

Atque adeo hæ ſunt tam noxiæ, tam exitioſæ & internecinæ vini meri particulæ, quas non modo ex vini natura & dotibus colligimus, verum etiam ex meri analyſi chymica, qua mera in ſuas partes & principia reſolvuntur, vivis videmus oculis, quæ partes tot & tam ſtupendas humani corporis afflictiones, morbos & calamitates Bacchophili & gurgitis imponere humeris conſueverunt. Et tamen, quod captum merito ſuperat, non terrent hæc veſtigia, dum non obſtantibus tot malis, totidemque ærumnis, in quas præceps agitur gurges, ſciphis etiamnum immergi & poculis nihil veretur. Sic nempe fit, poſtquam conſuetudo peſſima in naturam migravit, profecto enim carina facilius notis adverſa curret, Æthiops in Europæum faceſſet, quam helluo lympham amet, ſuamque ponat vina mera helluandi conſuetudinem.

Dum igitur vinum merum adeo ſævit in corpus humanum, atque bona corporis, beatæque valetudinis ſpes & opes prædatur, id caſtigare, efferosque ejus ſpiritus domare frigida utique oportebit; teſte namque Venerando Palomio Cœnobita occidere vinum, non ab eo occidi præſtat. Enim vero

Perditur a vino, qui non vult perdere vinum.

Quum, ſi vinum diluas, vinum quidem perdas, ſi autem non diluas, te perdas, quoniam vinum aqua dilutum (quo igneus meri calor attemperatur, potens nocensque acidum contunditur, ejus ſulphur narcoticum proteritur, partes ſalino-acres diluuntur & edulcarentur) non tantum a præfatis malis, & dira meri tyrannide præſervat, verum etiam diluta bibentes vel a morbis prorſus immunes degunt, vel ſaltem mitius ægritudine tenentur, mitiusque decumbunt, atque citius perſanantur in priſtinam facilius redituri gratiam.

Verum, quod dolendum, non omnes capiunt verbum hoc, aut capere nolunt, ſolo FLACCII HORATII diætæ regimine contenti, qui dicere ſolebat: *Pereamus ſplendide*, ſeu *ſua-*

viter

viter, & *fortiter*. *Suaviter*, vina generoſa bibendo, *fortiter*, ægritudines fortiter ferendo. Etenim:

Qui ſine lege bibit, magnas vacuando lagenas
Sorbet, ad extremum pœnam experietur amaram.

§. VII.
Vinum merum cum primis Litteratis officit.

Duo præcipue ſunt, ſcilicet *intenſiora litterarum ſtudia & vita ſedentaria*, quæ Litteratis jugiter inſidias ſtruunt, quibus non raro ſanitas eorum, vitaque graviore vulnere percelluntur.

Illa namque caput petunt, in cerebrum perdendo ſpiritus & fluidum nerveum deſæviunt, adeoque animæ ſedem, & actiones animales læſum vulneratumque eunt. Iſta ventriculum adoritur, ejus digeſtionis, & chylificationis ſucceſſus interturbat, dum ſeſſione immodica & *ſolidorum* & *fluidorum* motus languent, præcipue ventriculi & inteſtinorum periſtalticus, quo chylificatio perficitur, torpet & hebetabur, concoctio ingeſtorum arroditur, læſa & impedita digeſtio cruditates parit fœcundas morborum genitrices.

Recte igitur tot his malis ſtomachi & capitis mederi, & roborante ſua virtute ſuccurrere ſuaviſſimum illud nectar vinum, nobis perſuadetur: vinum inquam, illud curarum amuletum, ſpirituum & virium ſolamen, mentis ingeniique robur, dulcis medulla cordis, totius lætitia hominis, laborum & ſtudiorum levamen, ac præſentiſſimum omnis languoris alexipharmacum, nobiliſſimæ intelligentiæ regiæ ſolatium, humani corporis coctionis officinæ oppido adeſt, & potenter patrocinatur; vinum inquam: non quidem merum, ſed aquis dilutum tam bene mereri, & tantas Litteratorum cerebro & ſtomacho ferre ſuppetias, tantasque afferre utilitates (contra merum prorſus officere) ſuis dilucidum fiet rationibus, ſuisque argumentis inclareſcet.

Siquidem fervidus vini vapor illustrem sapientiæ sedem occupat, rationis aulam obnubilat, suis merum vaporibus & fuliginibus cerebrum replet & obfuscat, acidis & acribus particulis spiritus animales vitiat, eorum necessarios in nervos motus & influxus depravat, unde consequitur, evanidum & evapidum reddi cerebrum, ac animi ingeniique perire vigorem, in- & externos violari sensus, & actiones animales hebetari, ut adeo prorsus vero consonent versus, quos PALINGIVS ZODIAC. III. ita canit:

At quicunque mero indulgent, & gaudia ventris
Sectantur: fiunt hebetes, fumoque meraci,
Haud secus, ac nebula sol obscuratur eorum,
Ingenium, & nequeunt veri spectare nitorem.

Atque adeo id genus capitis læsiones, & actionum animalium perturbationes, cerebrique ægritudines & calamitates ex meri potu oriundas ipsa jam odorata est antiquitas: dum in primis non abs re sapientissimus PLATO II. DE LEG. iis vini usum interdictum voluit, quorum altioris momenti officiis præesse interfuit, ut a vini meri labe immunes serena fronte potiti, suo, ut decebat, munere fungerentur. Sic & a SOLONE uno ex septem Græciæ Sapientibus, morte Principem, qui forte ebrius deprehenderetur, mulctandum fore, lege sancitum fuerat, ut ea de caussa Hector heroum fortissimus apud HOMER. ILIAD. VI. severas has pœnas, merique ærumnas veritus, vini poculum a Matre Hecuba sibi oblatum filiali, una & gravi comitate deprecaretur, in hæc effusus verba:

Ne mihi, ne veneranda Parens huc dulcia vina
Protuleris, ne me enerves, animique vigorem
Obtundas potius, roburque a corpore demas.

Nec Carthaginenses hic prætereo, qui Heroum vestigia secuti belli cum primis tempore militi suo, ut ad stringendum

arma

arma ſemper expeditus eſſet, vini uſum interdixerunt, vinoſo liquore in perpetuum e ſuis relegato caſtris.

Lacedæmonii, referente PLVTARCHO *de pueror. educat.* liberis ſuis ebrietatis horrorem & odium tanquam materno cum lacte inſtillaturi illos in conſpectum ſervorum, qui vino mentem obruiſſent, adduxerunt, quo viſo hoc ſpectaculo non modo ab ebrietatis vitio abſterrerentur, verum etiam ab omni meri potu abſtinerent, & averterentur, idque nectar ſumme noxium paterentur perpetuo a ſe repudiari.

Venienti modo mihi ad Sacras tum Veteris, tum Novæ Legis hiſtorias, quæ meo dicendi argumento robur adderent, in primis Lege Veteri LEVIT. X. & NVM. VI. ſcriptum legitur: Sacerdotes, quo tempore cultui Divino in Tabernaculo vacarent, ac orationes ſuas, meditationes, aliasque functiones Divinas alacritate quadam, promptitudine & voluptate ſubirent,

Nam Divina parum curant, qui vina ſequuntur;

ab omni vini potu fuiſſe prohibitos, id, quod merophilis præcipue & Bacchophilis memori mente recolendum eſſe, arbitramur.

Addam hic teſtimonium ore DIVI AVGVSTINI LIB. I. *de morib. Eccleſiaſt. cap. 30.* pronunciatum, qui Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos & Monachos ævo ſuo florentes miris extollit laudum elogiis, quod omnem vini abſtinentiam potiorem habere, quam religioſæ continentiæ leges ullo modo violare mallent.

Nec minore laude DIVVS HIERONYMVS EPISTOLA XXII. *ad Euſtoch. de Virginit.* Palæſtinæ Cœnobitas (quos ad ſydera effert) proſequitur, quod non modo ſani & incolumes, verum ægroti quoque & debiles omnem vini uſum a ſe longe alienum eſſe cupiebant.

Fœminis etiam & pueris, quod cerebrum debilius, & impar peragendis functionibus animalibus haberent, ne amplius hujus ſexus debile caput fatiſceret, & hebetaretur, olim meri

usus omnino interdictus fuit, quando LEG. XII. TABVL. conceptis verbis decretum est: *Si vinum biberit uxor, ut adulteram punito.* Quam ipsam quoque legem in Græcia viguisse, XENOPHON testatum voluit.

Pueris vero teste PLAT. II. *de leg.* priscis ævis ad annum usque vigesimum secundum, merum vetabatur, tum quia non oportuit ignem igni addere, quod referente PLATONE *Æneid. lib. 6.*

Igneus est illi vigor, & cœlestis origo.

Tum quia vinum halituosum est, & caput vaporibus replet, tum quia puerile corpus siccat & enervat, cui tamen ex consilio HIPPOCRATIS I. APHORIS. 16. victus competeret humidus, quo puerile cresceret corpus, atque accessionem caperet & augeretur.

Haud dissimile ferre judicium de juvenibus mera bibentibus e re fore putamus: quos merum teste GALENO feroces, & ad libidinem proclives facere, unaque ingenii vires & animi vigorem enervare fertur. Id, quod stultorum parentum mentibus, qui jam a teneris liberos suos mera bibere & Baccho vovere docent, altius insculpendum esse, jure & æquo existimetur.

Porro quanta mala, quæ & pestes ex vini meri usu, quod caput in primis petit, & rationis regiam devastat, in corpus redundent & animam, omnium optime tenuit illud summæ sapientiæ prodigium SALOMON, dum his verbis ingemuit: „ Cogitavi in corde meo abstinere a vino carnem meam, ut „ animam meam transferrem ad Sapientiam (Amorem DEI) „ devitaremque stultitiam (vitia carnis) donec viderem, quid „ esset utile filiis hominum. „ Quippe prorsus Spiritum Domini non super vinum, seu *stultitiam*, sed ferri super aquam, seu *Sapientiam* (quæ quasi desponsarentur) Rex novit, cui & Poeta Vates accinit:

Qui diluta bibunt, servant rationis honorem.
In stultos abeunt, qui mera vina bibunt.

§. VIII.

§. VIII.

Vinum merum neque ſenibus eſt ſalutare, neque lac ſenum ſalutari meretur.

Ut venerabile Senium, eo, quo par eſt, cultu proſequamur, id, quod provectiori ætati utile, commodum & ſalutare, producere in medium, tum noſtri inſtituti ratio poſtulat, tum expoſcit amor & reverentia, qua ſenio obſtringimur, probe gnari: graviorem ætatem (quam ipſam morbum eſſe ajunt) & revereri, & natu majores in præcipuis habere honoribus, oportere.

Atque adeo antidotum, quod in præſentiarum valetudini ſenum, & venerandæ ſenectuti faveret, & gradus adderet, cum primis offerre ſenio, noſtri eſſe muneris exiſtimavimus; antidotum, illud nempe vinoſum nectar *Lac Senum* nuncupatum, quod ſenii frigus corrigit, idque ad ſymmetriam reducit, quod triſtitiam & melancholiæ nubes, quæ ſenium aggravant, diſpellit, ſomnum, quo fere deſtituuntur, revocat; antidotum, quo perditæ ſenii vires reparantur, antidotum, vinum nempe aquis dilutum (undique repudiato mero) venerabili Senio conſecramus. Tantum enim abeſt, ut merum ſenio faveat, adeoque *Lac Senum* nuncupari mereatur, ut id potius oppido ſenibus officere, hinc *ſenum venenum* nuncupandum fore, nobis perſuaſiſſimum ſit.

Quandoquidem ſenum corpora *frigida* & *ſicca* ſunt, atque eorum partes ſolidæ nervi nempe & fibræ, vaſa, canales, & membranæ, ac ex his ſolidis congeſta viſcera ſiccitate, duritie & coanguſtatione affecta reperiuntur; quo vero ad partes liquidas, ſenum ſanguis & humores acidi, viſcidi, ac ſpiſſitudinis labe coinquinantur, atque adeo ſanguinis & humorum motus & circulus, liber itus & reditus languent & interturbantur; qua modo ratione, venerabili ſenio cum vinis conveniat,

quo consilio falerna ex natura sua *calida* & *sicca*, *acida*, *viscida*, *tartarea* & *sulphurea* senum valetudini consulant, quum magis exsiccent, & humores amplius inspissent id genus vina: nemo nisi turpiter in arte hospes ignoraverit; hinc multo magis vina mera senum sanitati exitio fore, & graviora vulnera infligere, ut quidem par est, nemo forte ullus inficiabitur.

Ait Medicinæ oraculum HIPPOCRATES SECT. III. *aphoris. 31.* morbos senio in primis familiares esse *mephritidem*, *defluxiones*, *vertigines*, *catarrhos*, *tusses*, *calculum*, *cephalalgias*, *apoplexias*, *rhevmatismos*, *arthritides* &c. atqui hæc mala non modo a partium solidarum siccitate, duritie, & vasorum angustia, verum etiam a sanguinis & humorum spissitudine, acrimonia & aciditate ortum trahere, inter artis Medicæ Optimates indubie constat; quum vero id genus vinosæ particulæ *acido-tartareæ*, & *salino-sulphureæ* minus a sanguine spissiore & tardius circulante subigantur, atque sui juris redditæ, hinc inde in viscerum vasis & canaliculis stagnent, & congerantur, congestæ præfatis morbis materiam suggerunt, & ægritudines pariunt: quas vino mero in acceptis referendas esse, rebus penitius inspectis nuspiam dubitari potest.

Profecto venerabile Senium doloribus *arthriticis*, *rhevmaticis* & *podagricis* ab humorum colluvie *acida*, *tartarea*, & *salino-acri sulphurea*, partium & viscerum nervis, & membranis nervosis inimica, pendentibus, plerumque rodi, convelli & cruciari, hisque dolorum generibus vinum merum suum addere calculum, & horaria exempla, & SERENVS DE ENNIO testes sunt: & quidem SERENVS, dum sic canit:

Ennius ipse Pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Callidus namque hostis merum in primis crura petit:

Ac tentat gressus, debilitatque pedes.

Quum

Quum e diverſo vini abſtinentia, vel diluto hæc pedum tormenta & ægritudines perſanatas, aut impeditas, vel ſaltem mitigatas fuiſſe, obſervationes Medicæ teſtentur.

At neque id diſſimulandum erit, debilem ſenectutis calorem ab effero vini calore nullo labore vinci & ſupprimi, adeoque imparem eſſe ſenum calorem coquendis vinis, hinc vinum indigeſtum in cruditates *frigidas*, *acidas*, *acres* faceſſit, quæ charum ſenium non modo in innumeras ægritudines & calamitates conjiciunt, verum etiam paulo liberalius hauſta faterna efficiunt, ut magnis paſſibus ad nullos paſſus properet ſenium, aut ſaltem ſolito prius repueraſcat, aut infantilizet ante terminum, id, quod ætati ſenili (quam immaculatam nuncupant) turpe & indecorum fore, non abs re ſuſtinemus, atque adeo vinum merum nequaquam *Lac Senum*, verum potius venerabilis ſenii *venenum* nuncupandum fore, firmo rationum pondere hucusque firmatum fuiſſe, arbitramur.

§. IX.

Vinum merum longævitati vitæ limites ponit.

Tantus eſt amor vitæ, tamque deſiderata vitæ longævitas, ut, quid vita potius, quid ejus longævitate beatius & exoptabilius eſſe queat, ignoretur. Mira res! vitæ ſenium depoſcimus omnes, concultatis tamen mediis, quæ prima optato fini auxilio ſunt, vitæque longævitati patrocinantur.

Atque adeo vitæ longioris ſubſidia cum primis ſpernunt, conculcantque, qui vina mera potus ordinarii more bibunt, qua mera bibendi facultate longitudinem dierum arctioribus circumſcribi limitibus pluribus rationum momentis, & conſtante argumentorum robore, comprobatum ibimus.

Siquidem vini meri potu ambo vitæ lumina, *radicale humidum* & *calidum innatum*, ſeu blandum humani corporis calorem, &

te-

tenuius naturale humidum, quæ vitæ noſtræ perpetuo lucent minui, deſtrui & depaſci, eo minus dubitari poteſt, quo cer-tius effero vini calore utraque *humidi radicalis*, & *nativi caloris* effunditur & diſſipatur ſubſtantia, hinc partes *ſolidæ* nervi & fibræ areſcunt, & ad motus inhabiles fiunt; partes vero *fluidæ* ſanguis & humores inſpiſſantur, inertes evadunt, & motui ſuo circulatorio redduntur impares; quibus ita ſtantibus hu-mani corporis actiones tum *naturales* & *vitales*, tum *animales* atque ſolitas excretiones turbari, & depravari, hinc vitioſa ſordes & cruditates, quæ morbos pariunt, & vitæ reſecan terminum, congeri in corpore & cumulari, prorſus eſſe neceſſ videtur.

Quam ob rem non abs re celeberrimus WEINHARDIVS ingemuit, dum in hæc prodiit verba: „ O! quam innumera „ mortalium myriades in Erithræo hoc meri pelago ſubmerſæ „ immo longe plures in mari meriterraneo, quam mediterra-„ neo, ſanitatis ac vitæ naufragium perpeſſi ſunt. Atque plure „ ſane Baccho, quam Marte pereunt, juxta illud tritum:

Enſe cadunt multi, perimit ſed crapula plures.

„ Vt adeo merito quis dubitare poſſit, pluresne ſuſtulerit in „ aliena manu hoſtilis gladius, ac in propria cantharus.

Porro quid opus multis? vinicolas inter & aquicolas ſub ducto calculo videamus, quæ pars, an illa, num iſta plus valeat beatioresque, & ætate graviores dies vivat, & certe ne quidem viſus aciem fugiet, vinicolas, præcipue paulo magis Baccho litantes, & Medicam & ærumnoſam vivere vitam, atque æta-tis ſuæ annum vix quadrageſimum vel quinquageſimum attin-gere: firmis adeo aquicolis & valentibus, ut non modo ſeptua-ginta & octuaginta annorum ætatem numerent, verum etiam veneranda adeo ætatis canitie conſpicui, tanto virium robore inſtructi incedant, ut quosvis ſubeundo labores, immo expe-dito pede juga montium ſcandendo, & vertices, nullis ſe

cun-

cundi, vinicolas ætate etiamnum inferiores, in agendis, gerendisque rebus longo antecedant intervallo.

Non jam producam in medium humili loco, & obſcuro genere natos, quibus non raro, ne quidem ſemel per annum vel etiam guttulam vinoſi mellis guſtare licet, qui nihilo tamen minus optime valent, & neſtoreas conſequuntur ætates. Diſſimulo ſacerrimos Anachoretarum Cœtus, quos horridas ſylvas, & ſquallidos nemorum ſpecus incolentes, ſuoque ſervientes Numini, ſolius aquæ potu ſuos vitæ dies ſanos & incolumes in centum & amplius annos propagaſſe, conſtat.

Denique quis ignorat? ante diluvium neque vina, neque vini exſtitiſſe uſus, quo tempore nihilo tamen minus valuiſſe mortales, immo ſuos vitæ dies ad ætates pene mille annorum prolongaſſe, hiſtoriæ tum ſacræ, tum profanæ abunde loquuntur.

At vero, ubi ad finem vergente diluvio, vinicultura exorta fuiſſet, vinique quotidianus potus & uſus cœpiſſent uſuvenire, brevi homines cœpiſſe ægrotare, & in morbos ruere, atque naturalem ante vitæ terminum, eſſe inter vivos deſiiſſe, in hodiernum usque momentum fidiſſimæ experientiæ teſtimoniis palam eſt.

Quum igitur referente GALENO LIB. I. D. SIMPL. MEDIC. *capit. 4. Aqua omnibus tum valentibus, tum ægrotis & debilibus ad vitam neceſſaria ſit*, vinum vero merum potus ordinarii more ſumptum nihil commodi, nihilque ſalubritatis vitæ præſtet, quin potius provectiorem ætatem proterat, & conculcet: præſidium, quo ſani vivamus, & incolumes, atque longitudinem dierum conſequamur, ſuggerendum eſt, id nempe, ut aqua cum vino miſceatur, ac vinum cum aqua uniatur, quo mixtionis & unionis præſidio aquæ frigus & cruditas vini calore, & ſiccitate, vini vero calor & ſiccitas aquæ frigore & humiditate corrigetur; quibus hoc modo attemperatis & beatæ corporis tui valetudini, & optatæ vitæ longævitati conſultum iri, nullam dubitationis ſubit aleam.

§. X.

Vinum merum temulentiam & ebrietatem inducit.

EQuam ovum ovo ſimillimum eſt, ita vini (a vi illata aliis ſic nuncupati) nomen ſuo omini, & omen nomini conſonare videtur.

Siquidem a vino mero paulo liberalius hauſto temulentiam adduci & ebrietatem, quibus ſanitatis ſortes & proprietates non raro grave damnum ſubeunt, & graviore vulnere percelluntur, res tam certa, tamque explorata eſt, ut eam amplius repetere, ne operæ quidem pretium fore, exiſtimemus.

En cum primis verba Divi BASILII, quibus *homil. de ebrietat.* hoc modo de vino diſſerit: *Vinum arcem petit, & a ſummo vertice imperans nulli rei, ne quidem principali parcit, ſed ipſam primam rationem in ſervitutem adducit.*

Enim vero vinum effero ſuo calore caput inflammare, & in primis acidis ſuis vaporibus ſpiritus animales figere, atque eorum motus halitibus ſulphureis ſufflaminare, hinc fluidum nerveum, nec non ſanguinis in cerebro circulum depravare; unde vitiari mentem, expugnari intellectus regiam, rationis uſus minui, & ſenſus omnes ſubverti, ipſum ebrietatis ſcelus teſtatum facit.

Immo WEINHARDIO teſte: „ Vini ebrietate caput ro-
„ tari vertigine, torqueri oculos, ac præ copia humiditatis
„ viſum tanquam in piſcina natitare, aures undoſo crepare
„ ſpiritu, labra ſolvi, linguam præpediri, ac ſubverti ſtoma-
„ chum, eſt, quod ebrius & temulentus minime inficiari
„ poſſunt.

Neque, irritos hos fore conatus, vereor, hic mirabilia ſubjungere ebrietatis elogia, quæ laudatus WEINHARDIVS IN SVO THESAVR. SANITAT. INÆSTIMAB. QVÆST. XXXI.

fol.

fol. 207. hoc tenore refert: „ In ebrietate nondum consummata
„ vinum merum in diversis hominibus diversos & mirabiles
„ producit effectus. In his hilaritatem & lætitiam, ac teste
„ OVID.

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos.

„ In illis mutatis paulisper terminis:

Vina parant asinos, faciuntque furoribus aptos.

„ Hic pisce magis fit mutus, & statua taciturnior: ille gra-
„ culo loquacior, & qui ad aquam mutus, ad vinum fit di-
„ sertus, ut eodem subsidente copiosissima verba supernatent.
„ Apud hunc in vino veritas, ut plenus rimarum fiat, ac to-
„ tum detegat stomachum, nam nullum est secretum, ubi se-
„ cretarium ait temulentia. Apud illum in vino non *veritas*, sed
„ *feritas*, vel *fœditas*, ebrietatis pedissequa. Nam propter *vi-*
„ *tes* pravissimæ semper sunt inter carnem & spiritum *lites.*
„ Alii evadunt tristes, somnolenti alii &c. ut adeo has meta-
„ morphoses considerans Poeta haud inepte cecinerit:

Ebrius est Samson, Salomon, sus, simia, Cræsus:
Tam variis pollet dotibus ebrietas.

Vel ut BVCHLERVS ait:

Bis sex credatis, species sunt ebrietatis:
Ebrius est primus sapiens, est alter opimus,
Ternus grande vorat, quartus sua crimina plorat,
Quintus luxuriat, sextusque per omnia jurat,
Septimus accendit, bis quartus singula vendit,
Nonus nil celat, quod habet sub corde, revelat,
Somnia denus amat, undenus turpia clamat,
Et cum sit plenus, vomitum faciet duodenus.

Atque adeo hi sunt diversi effectus, quos diversa vina in diversis naturis & temperamentis varios & diversos produ-

 cunt;

cunt; cum primis vero vinum & temulentiam plerumque in ſceleris inſontem ſtomachum ſuam exercere tyrannidem, ipſusmet eſt teſtis ſtomachus, qui apud Doctiſſimum SVALVIVM hoc lugubri queſtu lamentatur: „ Impluvio vini mihi cre-
„ berrima mala fiunt, madent latera, hebeſcit vigor. Tor-
„ queor miſere, quum redux vini fons & odor ex me turpiſ-
„ ſimus eſt; quum horrida funera titubantes faciunt greſſus,
„ quum ronchi, ſtertores, immobilitas, privatio ſenſuum ad-
„ eſt; quum eructo fœtores, quum turbant me venti, mur-
„ murant in cavo meo ſibili, quum Poliphemus nunc exper-
„ rectis in cerebro cum ſuis cyclopibus malleat; quum tremi-
„ ſco, horreo, æſtuantemque per ſuperiora ejicio hoſtem,
„ quum fluctuans excruciat dolor, & continua ſubverſio;
„ quum ſimul ineſt cerebro rotans vertigo, rubedo oculis,
„ cordi palpitatio, nervis tremor; quum inquies nocturna,
„ feriales ſomni, mentisque exceſſus, & tandem œdema, vel
„ abdominis tuberoſa moles inſtant: quibus ita affecti demum
„ ſupra tabidi, infra ſaginati ante vitæ terminum ad plures
„ abeunt. „

Et quem denique fugit? vinolentum derepente mutum, aut convulſum, ſuffocatum, aut apoplexia tactum inventum fuiſſe, atque adeo ebrium nihil de morte ſomniantem, vi repentinæ mortis e vitæ ſtatione ſæpe nimium diſceſſiſſe.

En igitur mala & pericula ebrietatis! quæ pleraque expertus fuit ille Sacerdos Italus, de quo WEINHARDIVS in ſuis Medicis Theſibus hoc modo refert: „ Hic, inquit, Sa-
„ cerdos, Germanorum ebrietatis incredibile ſuavium degu-
„ ſtare voluit, quum autem præter omnem expectationem a
„ meri potione ſe totum a forma genuina dejectum, & inſuper
„ etiam mente, viribusque captum videret, ut neque oculi,
„ neque pedes huc illuc nutantes ſuo fungerentur officio, ſi-
„ bique ob cerebri & capitis vertiginoſos gyros morti propin-
„ quus videretur, ita deinde ebrietatem abominatus eſt, adeo-

„ que

que horrendum adeo malum temulentiam, & atrox humanæ naturæ tormentum esse duxit, ut expiandis omnium gravissimis & nefandis peccatis, in vim supremæ & acerbissimæ pœnitentiæ confitentibus injungeret ebrietatem: quo audito, Germani turmatim, agminatimque ad conscientiæ arbitrum confluentes, nec meliorem (per Herculem, inquam) nec chariorem se se expertos fuisse Confessarium, palam confessi sunt.

Releganda ergo est ad ultimos usque orbis fines tot malorum genitrix ebrietas, ea vero solis dilutis, quibus ferissimus vini calor attemperatur, meri vapores & fuligines caput petentes retunduntur, amovebitur; quum, sicuti teste AVICENNA aqua est genuinum præsidium & theriaca pro retundenda meri malitia, atque præclarum sanandæ ebrietatis amuletum, ita multo magis commixta vino, temulentiam arceat & prohibeat, hinc

Quos mera dementant, curant diluta bibones,
Quosque merum porcos, fecerat ista viros.

Ne igitur posita ratione, in fatuum, & mente captum, aut exuta natura hominis in porcum migres, verum potius honori tuo, propriæ saluti, famæque consulas, nunquam non falerna diluenda erunt.

§. XI.

Vinum merum tantum non innumeras corpori, verum etiam animæ ægritudines affert.

Tam arcta corpus inter & aninam intercedit unio, ut læso corpore, suo quoque modo lædi animam, & compati, pene nemini ulli dubium esse videatur. Inde est, vini meri potum non modo corpori, verum etiam animæ has intentare diras, milleque parare neces.

Vnde quærit WEINHARDIVS, quo fonte ſcaturiant, qu ſcaturigine tot mala, & malorum procellæ erumpant? tot nem pe *incontinentiæ febres, inſanæ maniæ, virtutum faſtidia, & pietat anorexiæ*, tot *irarum faces, livores, & icterici colores, tot invid peſtes, & avaritiæ hydropes, tot inconſtantiæ vertigines, & ſuperbi tumores, tot fœdi amoris ulcera, & venereæ libidinis vulnera?* & rege ritur: ſingula hæc mala a quotidiana vini potatione, & exce ſiva meri ingurgitatione natales ducere, ac in animam redun dare, id, quod æquo & jure horaria experientia teſte nobi perſuadetur.

Quid enim aliud, niſi vinum merum paulo liberalius hau ſtum, ceu male nata peſtis pene innumera in mortalium ani mos invehit mala & irarum ſuſcitat flammas, lites movet & jurgia, bella fovet inteſtina, conjunctos ſolvit animos, reipu blicæ fœdera frangit, pacem & tranquillitatem turbat, & ipſa adeo virtutes in exilium relegat? quid aliud, quam vinolenti non ſemel ſubditos in Reges ſuos & Principes perjuros, perfi dos & perduelles effecit, quid tot lites, conjurationes, cædes ſeditiones & latrocinia, ac quæcunque excogitanda probra & ſcelera concitavit? vinolentia. O igitur vinolentiam omnium malorum fontem, omnium ſcelerum abyſſum & ſcaturigi nem! quibus immerſus Bacchophilus, qui ceu mergus jugi ter innatat Bacchi liquoribus, nunquid non ſemel in ſordibus volutatur ut ſcarabæus, grunnit ut aper, rudit ut aſinus, ut leo furit, canum more vomit, caprorum inſtar ſaltat, cum urſo murmurat? qui porro naturam potius pecudis, quam hominis ferina morum indole præ ſe fert, ut adeo e humani ge neris cœtu relegandus, & in belluarum ſyllabum ſtupenda me tamorphoſi jure merito referendus eſſe videatur.

Vere igitur, quin veriſſime olim Alphonſus Aragoniæ Rex interrogatus, cur vinum tot aquis dilueret? reſpondit: *Ne me inebriet; ſcio namque*, ajebat, *quantum MACEDONIS ALEXAN- DRI gloriæ obfuerit ebrietas.*

Rur-

Rursus alii, qui rogaverat, eccur Princeps ad moderatio-s leges compositus tanto ebrietatis vitium odio sequeretur? egessit: *Quia scio, furorem & libidinem ejus filias esse.*

Addam hic, quæ ANNÆVS SENECA de vino & vinolentia nferat, dum his aiebat verbis: *Fere vinolentiam crudelitas sequi-r: multa certe faciunt ebrii, quibus sobrii erubescunt.*

Sed a minori ad majus, seu a testimoniis profanis ad do-trinas sacras festinantes, Jam mentem Sanctorum Scriptorum, ui optime animæ morbis, ærumnisque mederi norunt, auscul-emus. SANCTVS PAVLVS Gentium Doctor ad *Ephes. 1.* sic ortatur: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Huic concordi accedit animo Magnus Hipponæ Antistes AVGVSTINVS, qui *serm. d. ebriet.* ait: *Ebrietas est omnium vi-orum gurges, subversio sensus, linguæ subversio, & naufragium casti-atis, ut adeo, qui hanc sepeliri non vult, vini fluctibus etiam non se-eliatur.* Et rursus alibi: „ Ebriosus, inquit, quum absorbet „ vinum, absorbetur a vino, abominatur a DEO, despicitur ab „ Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur a virtutibus, „ confunditur a dæmonibus; ebriosus confundit naturam, „ amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æter-„ nam. „ Ita DIVINÆ SAPIENTIÆ Interpres AVGV-STINVS.

Verbis Hipponensis Præsulis mox subjungit, quæ sequun-tur, ÆTERNA VERITAS, dum LVC. XXI. ait: *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Vt adeo non abs re ab OSEA vinum cor auferre, a CHRISTO cor gra-vare, a PLINIO furorem gignere dicatur, nec non immodice potum a GALENO Tyrannus animæ nuncupetur.

Sed jam, qua ratione vinum merum tam atroces producat effectus, quo modo tanta mala gignat, tantasque producat ærumnas, quæ redundant in animam, indagare oportebit. Verum hic nobis dubiis plurimum lucis saniorem Philosophiam affusuram esse, minime versamur in dubiis; enim vero una &

Phi-

Philoſophorum & Medicorum voce & conſenſione affectus animi *apprehenſionem phantaſiæ* ſequuntur, hæc autem apprehenſio & perceptio a diverſa ſenſorii cerebrii communis affectione dependet; quæ utique diverſa affectio diverſæ corporis diſpoſitioni reſpondet, atque corporis partibus *ſolidis* & *fluidis*, humoribus nempe & ſpiritibus prædominantibus omnino conſentanea eſt. Vnde accidit in primis *bilioſos* ſomniare ignes, incendia, bella, cædes &c. *melancholicos*, tenebras, funera, ſepulchra, ſpectra, ac quidquid triſte præſagit animus. *Pituitoſos* pluvias, lacus, fluvios, inundationes, naufragia. *Sanguineos*, volatus, convivia, cantus, amores, reliqua.

Quum igitur ſomnia nihil aliud ſint, quam certæ phantaſiæ apprehenſiones, & perceptiones (quæ ceteris etiam ſopitis ſenſibus producuntur) omnino conſectarium eſt: ſicut in vigiliis, ita etiam in ſomnis & nobis dormientibus phantaſiam id plerumque apprehendere & percipere, quod ab *humore prædominante*, & ſenſorium cerebri commune afficiente natales ducit.

Quoniam itaque meri præſertim generoſioris quotidiana potio non tam bilem acuit, quam potius ejus fervorem intendit, ſanguinem & ſpiritus ſufflamminat, & accendit, tum acidum etiam melancholicum exaltat, tum plerumque materiam quoque ſeminalem ſtimulat, acriorem reddit, atque ſpiritus in motus & fervorem concitat, ad id genus ægritudines, ab acriore humore, & effero ſpiritu pendentes corpus merum diſponere, ac præfatis animæ morbis & calamitatibus materiam & fomitem ſuggerere, palmarium eſſe videtur.

Inde eſt, merobibones, præcipue Bacchophilos & gurgites non modo in varios morbos præſertim omnis generis febres incidere; verum etiam referente WEINHARDIO peſſimi generis mores, nempe feroces, truces, verſutos, arrogantes, ac ſuperbos, temerarios, barbaros & crudeles animos induere, atque adeo, exuta naturæ ſuæ indole, ejusmodi ſtrenui meri pugiles,

giles, calicumque remiges in bruta commigrasse & belluas plene planeque videantur. Poeta namque hydrosohpus exclamat:

In cratere meo Thetys est conjuncta Lyæo,
Est Dea juncta Deo, nec Deus absque Dea.

Quam ob rem si saluti animæ consultum esse cupias, si a tot, tantisque morbis & calamitatibus animum tuum immunem esse exposcas, arrogans & pervicax meri caput salienti prius fonti supponatur, antequam bibatur, efferum vini pecus prius flagro aquoso, antequam feriat, feriatur, ac denique cui salus animæ suæ cordi fuerit, ei utique temperandum erit, atque temulentia, quæ ad mores turpissimos, & quæcunque scelera aditum pandit, ac creaturam humanam omnium perfectissimam in bruta & belluas convertit, ad orbis usque fines repudianda, & vina aquis diluenda erunt, quo salus animæ tuæ in tuto collocabitur.

§. XII.

Vinum aquis diluendum esse, authoritate firmatur.

Duo numerant Litterati adminicula: *rationem* nempe & *authoritatem*, quibus unis, solisque quum ad verum investigandum, tum ad id stabiliendum, Eruditum orbem nunquam carere potuisse, nec pendet animus, neque dubiam veritatis subit aleam.

Atque adeo pluribus, iisque prolixioribus rationum momentis pro nostro dicendi argumento, militantibus, authoritas modo nobis adeunda est, qua in Majorum etiam nostrorum placita indagare, atque quid artis Medicæ Atlantes de vino aquis diluendo senserint, experiri, e re prorsus fore, existimatum fuit.

Quam ob rem omnium primus in scenam prodit summus Medicinæ Parens HIPPOCRATES, qui *libr. de salubr. diæt.* aliisque in locis diluto tantas laudes dixit, tantasque tuendæ valetudinis leges condidit, quibus ceu sempiternis monimentis,

ejus altiſſimæ in Medicinæ Prudentiam induſtriæ, atque impenſæ in vitæ humanæ longævitatem ſolertiæ recordatio perennet, & effloreſcat.

Summo artis Medicæ Oraculo mox ſummus Medicinæ Princeps GALENVS ſuccedit: cui diluta paſſim extollere ſolito, in confeſſis eſt: ſe vel ſemel duntaxat per vitam æſtuante ſiti bibiſſe meracius, verum id tanto cum ſalutis ſuæ diſpendio, ut miſſo meris nuncio bona corporis & valetudinis ſuæ unis poſthac dilutis conſecraſſet.

Huic ſplendidæ Luci Græciæ ſuos radios addit illud Arabum decus AVICENNA, qui ſumma voluntate in diluta conſenſit, atque nectar dilutum in maximis habuiſſe deliciis perhibetur.

Non conticeſco facundiſſimum Medicinæ Prudentiæ CICERONEM CORNELIVM CELSVM, quem de dilutis honoratius ſenſiſſe, & eorum ubique uſus comprobaſſe, inter omnes conſtat.

Atqui his Medicinæ Atlantibus pro muneris ſui fervore annuit DIOSCORIDES, aliique veteris Medicinæ Primores, qui rerum Medicarum clavum tenentes uno ore, & una conſenſione, vina aquis diluenda eſſe, profitentur.

Hos ſequuntur Duces, horumque veſtigia legunt alii Machaones, & ſaluberrimæ artis Proceres, nominatim illa Medicinæ decora HIERONYMVS MERCVRIALIS, & FRANCISCVS VALESIVS PHILIPPI SECUNDI Hiſpaniarum Regis Æſculapius.

Rurſus in eandem iverunt ſententiam HIERONYMVS CARDANVS Mediolanenſium Medicus Cathedra & Scriptorum gloria inſignis. IOANNES ZECHIVS Bononienſium Medicinæ Interpres celeberrimus, & aliquot Romanorum Pontificum ſanitatis Antiſtes. ALEXANDER PETRONIVS GREGORII XIII. Archiater celebratiſſimus. IVLIVS ALEXANDRINVS Maximilani ſecundi Archi-Medicus. THOMAS MERMANNVS Bavariæ GALENVS dictus, utriusque Bavariæ Ducis Protho-Medicus. FERDINANDVS CAROLVS WEIN-

WEINHARDIVS Vniversitatis Oenipontanæ in Medicis olim Professor Celeberrimus, docendi, scribendique gloria conspicuus, ac SAC. CÆS. MAIEST. Consiliarius & Personæ Medicus.

His demum mentem Tackii subdam, qui *in Chrysog. animal. & mineral. fol. 99.* his verbis inquit: „ Dilutum aqua merum, „ ut antiquis præferri cœpit, sic dolendum, hodierno sæculo „ id ipsum in mortalium detrimentum evilescere cœpisse, quum „ sic nocituri spiritus frangantur, fœculentiæque terrestres re-„ ctius ad uretheres mediante lympha deducantur, nec tam „ cito coagulationi spiritus vini pareat, si sit temperatus.

Gradum modo mihi ad nostri ævi Medicos facienti, instar omnium erit, unusque suffecerit magnus ille Academiæ Fridericianæ in Medicis Professor Regius & Consiliarius FRIDERICVS HOFFMANNVS, Vir in Medicis vere Magnus, Vir, inquam, docendi prudentia, sanandi gloria, litterarum amore, & consiliorum sapientia verissime Magnus, qui non modo prudentissimis medendi consiliis, verum etiam tantum non innumeris, iisque immortalibus Scriptorum Medicorum monimentis usque adeo inclaruit, quibus ejus memoria æneis inserenda tabulis posteritati Medicæ ad orbis usque fines commendetur.

Hic ergo pandam, quæ de dilutis sententia Authoris animo insederit, & ecce! CAPIT. VI. *de potulent. salubrit. & insalubrit.* ita ait: „ Suffragatur experientia, quod, qui vino lar-„ gius indulgent (sed largius indulgere est, vinum in dies ad „ mensuras & amplius bibere) & a prima statim ætate bibunt, „ minus longævi sint: vinum aqua pura temperatum, ac di-„ lutum, quale est omne Græcorum vinum, sanitati magis con-„ ducibile est, quam vinum purum. Laudandus Veterum in „ eo mos est, quod pro diversitate naturarum, anni tempo-„ rum, atque ætatum valde curiosi & circumspecti erant in „ temperando vino cum aqua, adeo, ut interdum duas partes „ aquæ uni parti vini, admiscerent, interdum vero plus, vel „ etiam minus adderent. Cavendum tamen est, ne vinis nix, aut

„ glacies admiſceatur, præſertim tempore æſtivo, quia ven-
„ triculus, & inteſtinorum motus periſtalticus hac ratione fa-
„ cile læditur, & morbis tam acutis, quam chronicis gignen-
„ dis occaſio præbetur. „

Sed contendet forte merobibonum quisquam, ut vinum ſolum, & aqua ſola biberentur: regero ego, id per me licere, modo hauſtum vini ocyus ſequatur hauſtus aquæ, qua ratione ambo liquores in ventriculo congredientes probe miſceantur; ſed ſatius fore, duxero, miſcere extra ſtomachum, quo miſcendi modo, de vera diluendi ratione ſecurior, tuis certius conſultum ibis ſanitatis rebus & utilitatibus.

Hæc igitur ſunt, quæ ex probatiſſimis Scriptorum Medicorum vetuſtatibus eruenda, atque ab exemplo & authoritate Majorum demonſtranda eſſe exiſtimavimus.

SECTIO VIII.

De reliquis potuum generibus.

§. I.

De ſpiritus vini, aquæ vitæ, ac roſoli uſu & abuſu.

SPIRITVS VINI, *ceu nativa vini ſoboles, eſt liquor medicamentoſus, potulentus, ex vini floribus, deſtillationis per veſicam ope elicitus & confectus; atque partibus fœcundus ſulphureis, tum fixis, tum volatilibus, quibus ſpiritus in gradu excellente calefacit, exſiccat, & inflammat.* Atque adeo hunc ſpiritum cum primis potente *calefaciendi* & *ſiccandi* virtute excellere, ex natura rei ſequi videtur.

Quam ob rem a crebrius potis his ſpiritibus non modo nihil boni, nihilque commodi ſanitatis tuæ rebus accedet & utilita-

litatibus, verum potius valetudinis tuæ œconomiæ potenter derogabitur, quando humani corporis duumviratus, *calidum* nempe *nativum*, & *radicale humidum*, ſeu ſpiritus, fluidum nerveum, & ſubtilius corporis humidum (a quibus rite conſtitutis *ſolidorum* & *fluidorum* motus & actiones potiſſimum pendent) nimio ſpiritus calore conteruntur, & diſſipantur, cum primis vero *ſuccus* ventriculi *gaſtricus*, ciborum coctioni deſtinatus, perditur & exſiccatur, dum partes ejus ſubtiliores *ſalino-ſpirituoſæ* avolant, & prodiguntur; hinc ſuccus iners, vapidus, & coctioni impar relinquitur, ciborum digeſtio minuitur, chylificatio deprimitur, & violatur, appetitus tollitur, cruditates in primis viis, ſordesque colliguntur, morbi, ægritudinesque, ac humani corporis calamitates aut ſerius, aut citius ſubſequuntur, id, quod ipſum ejusmodi ſpirituum vini potores teſtantur, dum miſere vivunt, valetudinariam vitam agunt, appetitum proſtratum circumgeſtant, quos miſeros vitæ dies eousque protrahunt, quousque tandem in varios & periculoſos morbos, *cardialgias* nempe, *infimi ventris infarctus & obſtructiones*, *icteros*, *cachexias*, *hydropes*, *nec non defluxiones*, *catarrhos*, *rhevmatismos*, *tuſſes*, *tabes*, *phtyſes*, *arthritides*, *apoplexias*, *paralyſes* &c. ruunt, quibus demum correpti Herculeis calamitatibus, vitæ ſanitatisque naufraugio appropinquantes, miſeram, ærumnoſamque vitam ante tempus finiunt, dum nulla medela ſupereſt, qua id genus conclamatæ ægritudines perſanari poſſint.

Rarius igitur, & in morbis duntaxat vini ſpiritus, qui minime alimenti, ſed ſolius medicamenti nomine dignus eſt, civitate donetur, qui igitur in naturis frigidis, morbis & ægrotationibus a cauſſa ventriculi frigida, ſeu humorum colluvie acida, viſcida pendentibus, læſa item digeſtione, a præcedentium ingeſtorum exceſſu oriunda, Medicinæ more indulgeri poteſt (hujus quotidiano uſu reprobato in perpetuum) quippe a quo tot mala & ærumnæ promanant, vitæ, ſanitatisque bona

prodiguntur, atque inæstimabile inviolatæ valetudinis pretiu
conteritur, & conculcatur.

Speciatim vero nominatimque juniores, sanguinei & ch
lerici, qui calidiore naturæ indole instructi sunt, id genus sp
rituum potiones angue pejus fugiant, quum igne igni addit
majus concitari incendium, palmarium sit, atque juniores
calidiores ab hoc nectare offendi citius, & ratione & exp
rientia ratum, probatumque habeatur.

Quod modo dictum de vini spiritu, id quoque de aliis sp
rituosis liquoribus *aquæ vitæ* & *rosoli* dictis (quæ ex vini spirit
additis certis generibus aromatum, probe invicem mixtis
digestis conficiuntur) suo modo intelligendum est, quæ pa
facultate & viribus præditæ ægrotantibus pharmacum, valent
bus vero venenum suppeditare consueverunt.

§. II.
De cerevisia, ejusque salubritate, & insalubritate.

E LIQVOREM, qui HERMANNO in cynosura materi
Medicæ *Beram, Bieram*, & vinum sonat hordeaceum, n
cum PLINIO LIB. XXII. *capit. 25. cerevisiam*, a Cerer
frumenti Dea, & Præside natam, nuncupamus.

Atque adeo *cerevisiæ* voce intelligitur, *spirituosum, nutritiu
que genus potuum ex aqua, & frumento prius debite disposito, lupuliq
floribus certa encheiresi coctum & confectum, ad quotidianos us
destinatum.*

Aqua igitur, frumentum, & lupuli flores materiam su
gerunt, ex qua cerevisiæ potus ad humanum corpus nutrie
dum ordinatus coquitur, atque in quotidianos usus parari sole

Quo ergo melioris notæ aqua, quo selectiora frument
triticum vel hordeum, & lupuli flores fuerint, eo, accedent
debita coctione, perfectiorem & salubriorem cerevisiam enascit
ram esse, tam est certum, ne quid certius esse queat.

Atqui

Atqui, ne te cerevisiæ bonitas fugiat, audi HOFFMANNUM de salubrioribus cerevisiæ dotibus hoc modo differentem: „ Bonitas cerevisiæ, inquit, primo a salubri aqua, secundo a debita ingredientium coctione, denique a fermentatione multum dependet. Quo enim salubrior aqua fontana est, eo præstantiorem exhibet cerevisiam, & quo salubrior aqua, eo plus ingredientia extrahit, eoque melius fermentescit; deinde ex diuturniore coctione, cerevisiæ salubrem naturam acquirunt, & nutritiva hordei substantia coctione mitescit, & quasi maturatur, & lupulus vaporosum suum grave sulphur in auras emittit; fermentatione vero crassum a subtili separatur, atque excluditur. „

Atque adeo coctæ hoc modo cerevisiæ, & quæ sequuntur, dotibus præditæ, mediocri nempe consistentia, & mediocri ætate, quæ item ab alieno sapore immunes sunt, neque in ventriculo acescunt, aut in flatus abeunt, neque caput gravant, neque hypochondria inflant, & quæ porro celere pede per urinam aut alvum transeunt, salubriores inter potus reputari, atque ceu melioris notæ cerevisiæ commendari omnino merentur.

E diverso, contrariis dotibus instructæ cerevisiæ, crassæ scilicet, turbidæ juniores, aut antiquiores & acescentes, alieno sapore donatæ, aut minus fermentatæ, neque lege artis coctæ & præparatæ, quæ caput gravant, stomachum & hypochondria inflant, infimi ventris *obstructiones*, *colicam*, & *tormina*, nec non *ischuriam*, *stranguriam* &c. progenerant, angue pejus fugiantur, quoniam vitæ & sanitatis res familiares non raro gravius mulctare, & bona corporis fortius vulnerare consueverunt.

Ausculta SCHOLAS SALERNAS! notionem salubrioris cerevisiæ hoc modo modulantes:

Non acidum sapiat cerevisia, sit bene clara,
Ex granis sit cocta bonis satis, ac veterata.

Cui

Cui igitur hominum generi, & quibus naturis cerevisiæ potus saluti esse possit, modo inquiremus, in quem finem cerevisiæ ingredientia meditari omnino decet. Vnde spectatis ingredientibus cerevisiam constituentibus *aqua* scilicet, *frumentis hordeo*, vel *tritico*, & *lupuli floribus* debite coctis & attemperatis cerevisias virtute *humectandi*, *refrigerandi*, *abstergendi* & *nutriendi* excellere, indubium est; Adeoque I. cholericis, macilentis & gracilibus, pueris, juvenibus & adolescentibus, præsertim motu corporis se se exercentibus, II. In catarrhis siccis, calidis & acribus defluxionibus. III. In sanguinis sputo, incipiente phtysi, tabe, hectica, in nephritide, calculo. IV. In calido ventriculo, rusticis, militibus, venatoribus, & id genus hominibus, qui corpus continente motu & labore exercent, atque in morbis & calamitatibus, qui a sanguinis & humorum acredine pendent, salubrius cerevisiæ nectar, frugaliter potum profuturum esse, nemo ullus inficiari potest.

Itur in nostram sententiam non modo a Belgiæ, Angliæ, & ceteris Septentrionis gentibus, verum etiam a charæ Germaniæ Bavariæ nempe, Bohemiæ, Sueviæ, ac aliarum Regionum incolis & civibus, qui frugali cerevisiæ potu, tum a bene multis ægrotationibus, speciatim *phtysi*, *arthritide*, *calculo*, *podagra*, & morbis arthriticis plerumque immunes degunt, tum & validiore naturæ indole gaudentes, atque carentes falernis, suæ sospitatis vigorem, suas nestoreas ætates soli, unique frugali melioris cerevisiæ potui in acceptis referunt.

Contra in temperamento menlancholico, & pituitoso, in debiliore stomacho, in senibus, & ætate provectioribus, in litteratis, vitam sedentariam viventibus, & hypochondriaco contagio litantibus, iisque, quos flatus cruciant, & acido-viscidæ, ac flatulentæ sordes in ventriculo & intestinis divexant; atque in aliis afflictionibus, ab humorum acredine, & spissitudine pendentibus, ut *infarctibus*, *cachexia*, *ictero*, *hydrope* &c. haudquaquam cerevisiam potus ordinarii more indulgendam

esse

eſſe (quum recenſita mala, & ærumnas potius augeret, & illis novam materiam, fomitemque ſuggereret) rationis lumine, nulloque prorſus negotio eluceſcet.

Porro & id ſubdere, operæ eſſe pretium duximus: quodſi jejuno ſtomacho, aut æſtuante corpore, ſitim cereviſiæ frigido ſedandi animus ſit, potui aliquid addendum *nucis moſchatæ ſtomachicæ*, tardeque prorſus, & ſucceſſivis hauſtibus ſorbendum potius, quam bibendum, atque finito hauſtu mox corpus obambulatione exercendum fore, quo modo, & conſilio damna frigidæ, quæ non raro frigidam incaleſcente corpore hauſtam preſſo pede ſequuntur, vetari & prohiberi ſolent.

§. III.

De ſydra, ejusque damnis & incommodis.

SYDRA *liquor potulentus eſt, ex ſucco pomorum, vel pyrorum, dulcium, vel acidorum expreſſo, atque muſti inſtar fermentato, & defæcato, præparari ſolitus.*

Virtutes, & vires, quas poma & pyra exhibent, ſydra æmulatur; quo igitur ſalubriores fruges fuerint, eo ſalubriorem ſydram fore, & viciſſim, facili conjectura auguramur.

Vulgi, plebisque hoc nectar crudum plerumque potus eſſe ſolet, atque adeo apud honoratiores, & clariore genere natos parum, vel nihil æſtimationis habet.

Delibandum igitur potius hunc potum, quam in eo excedendum fore, exiſtimemus; ſiquidem ſicut poma, & pyra, ceteræque horææ fruges partes acidas, crudas, molles, flexiles, & prompte fermentiſcibiles in ſinu ſuo fovent, ita id genus particulas noxias pariter continere ſydram, pro vero, certoque habetur.

Vnde potus hic liquor crudus ventriculo officit, concoctionem turbat, atque in primis viis ſordes & cruditates acidas, acres, & flatulentas progenerat; quibus præcipue in inaſſuetis,

& vitam ſedentariam viventibus, *cardialgiæ*, & *vomitus*, *inappetentia*, *tormina ventris*, *diarrhææ*, *dyſenteriæ* &c. non raro producuntur, id, quod exempla & obſervationes Medicæ ſat, ſuperque teſtatum volunt.

Ruſticis igitur hoc nectar, quibus ob continuum motus exercitium, conſuetudinem, & firmiorem ſtomachum, minus nocet, relinquatur; aliis, genere & opibus conſpicuis nobiliore potu deſtinato, ſaluberrimo nempe diluti liquore, quo longe magis ſanitatis eorum rebus & rationibus conſultum eſſe, perſuademur.

§. IV.

De potibus Meth & Hydromel dictis, eorumque uſu & abuſu.

HYDROMEL *liquor potulentus eſt, ex aqua & melle parari, atque certis in locis, quibus non omnis fert omnia tellus, vini vel cereviſiæ loco potari ſolitus.*

Quod ad uſum & vires hujus potionis attinet, *diluente*, *humectante* & *abſtergente* facultate eminet, hinc in *tuſſi ſicca*, *catarrhis*, *phtyſi*, *tabe*, *atrophia*, & *obſtipatione alvina ab exſiccatione inteſtinorum oriunda*, *calculo renum*, & *veſicæ* opportunum dat remedium; at vero in temperamento cholerico, & melancholico, in acido & flatibus turgente ſtomacho, adeoque in litteratis & hypochondriacis parcius cum hoc ambroſio nectare mercandum fore, ex eo ſequitur, quod ſicut quæcunque dulcia, mellita & ſaccharata, ita & hydromel, cum primis bilioſis & acidis, ac flatulentis ſociatum ſordibus, prompte fermentet, in humorum colluviem acidam, bilioſam & acrem degeneret, quæ ſtomachum & inteſtina facile arrodit, atque *inappetentiam*, *dolores & inflationes ventriculi*, *colicam & inteſtinorum tormina*, *diarrhœas* &c. gignit, id, quod obſervationes Medicæ abunde loquuntur.

METH

METH vero Turcarum potus & refrigerium, *liquor potulentus eſt, ex aqua, melle & aromatibus parari ſolitus.*

Eas pene, quas prior potio, vires obtinet, in eo tamen, quod magis ventriculo ob aromata amicus ſit, antecellit, atque hydromellita potione ſuperior eſſe cenſetur.

Sed ſatius & tutius mellitæ hæ cupediæ omittantur, quibus bonæ notæ cereviſias, aut diluti ſalubriores ſubſtituere delicias, præſtabilius fore, viſum fuerit.

§. V.

An inebriatio ſit ſalutaris, conducatque ſanitati?

EEo nonnulli, neſcio, an dicam veſaniæ, an improbæ proterviæ pervenere, ut Bacchi forſan ephebi ſomniarent, ebrietate certis temporum intervallis celebrata, ſtatisque quibusdam Baccho dictis ſacrificiis, non modo illibatæ ſanitatis vigorem impune evadere, verum etiam optatæ valetudinis proſperitati acceſſionem addi, novumque corpori robur, & vires conciliari.

Sed præclarum cuſtodem ſanitatis Bacchum! valetudinis ſuæ amans fidenter inclamat: profecto namque, quibus ſerenior rationis lux affulſit, quibusque honeſtas & virtutis ratio cordi fuerit, alio prorſus eos argumenti inſtinctu duci, quam, ut ebrietatem valetudinis fortunis opportunam eſſe, ſibi perſuaderent, dubiam minime veritatis ſubit aleam. Qui enim tanta mentis ægrotatione laborant, ut ebrietatem ſanitatis conſervatricem, & morborum medicatricem fore exiſtiment, ab iis ſequentem philoſophandi veniam nobis tribui obſecramus: vel enim ſanis & valentibus; vel ægrotis & debilibus ebrietas tam potenti panacææ foret? Non primum; Teſte namque ipſa ÆTERNA VERITATE, MATTH. CAP. IX. *verſ. 12. Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus.*

Nec ſecundum ſuſtinemus, quum inebriatione remedia longe honeſtiora, atque decora magis, & tutiora præſidia ad manus ſint, quibus ſanitas præſens conſervari, amiſſa reparari, & morbus perſanari poteſt.

Tantum igitur abeſt, ut inebriatio, & ex ea concitatus vomitus tuis valetudinis rebus emolumentum aliquod allatura ſit, ut potius eam nunquam culpa vacare, & humani corporis bona perſequi, firmo ſtare talo nobis videatur. Vnde non abs re modo fuerit, ſubleſtæ hujus & improbæ panacææ effectus exhibere coram.

Atque adeo ab inebriatione non modo *ſenſuum perturbationes, rationis depravationes, capitis vertigines, voluntarii motus imminutiones, caninos vomitus, ſtomachi ægritudines, & corporis enervationes, capitis dolores, totius corporis calores, & peſſimi moris febres*, aliaque ſexcenta malorum, quæ in corpus humanum redundant, natales ducere, verum etiam ebrios, & temulentos nonnunquam derepente concidere, & ſubitanea morte peſſimæ ebrietatis pœnas dare, ac porro corpore (utinam non anima) perire, non una infelici fide, infeliciorique nuncio ratum, confirmatumque habetur.

Sobrietate igitur & frugalitate (ſemper & ubique repudiato inebriationis præſidio) ſanitatem cuſtodire, e re fuerit, quibus longe magis, quam violentis pharmacis, tuæ valetudinis proſperitatibus conſultum ibis.

§. VI.

De inebriationis, & malorum inde promanantium correctione & præſervatione.

Quemadmodum ſemel ſaltem per annum Apollo ridere fertur, ita vel nos etiam invitos, aut inopinantes nonnuquam trahi in Bacchi retia, & plus æquo vino gravari, id, quod convivia inter & ſympoſia plerumque accidit, quotidianis exemplis inter omnes conſtat.

Ca-

Cavendum igitur eſt, & antidota ſuggerenda ſunt, quibus Bacchi comminationes eludi ebrietas, & mala inde manantia prohiberi queant: atque adeo I. in fuga ſalus, vel ſaltem vini liquor probe aquis dilutus ad ſitis duntaxat ſedationem ingeratur. II. Ne largior vini hauſtus confeſtim ingurgitetur, ſed tarde, & interpolatis hauſtibus diluta bibere præſtat. III. Falerna quo magis ſpirituoſa, & generoſa ſunt, eo magis diluenda erunt, eoque minus iis fidere, & parcius cum id genus nectare mercari decet. IV. Vnis, iisdemque epulis exſulet cum primis vinorum varietas, quia plura & diverſa vina virtute, viribusque diſtant, facile in ſtomacho fermentant, & turbas concitant, quibus accelerari ebrietatem, omnino neceſſe eſt. V. In ſumma ad menſam liquidis præmittantur ſolida, ſeu potulentis eſculenta; qua ratione vina pota in cibos agent, relictis corporis *ſolidis* & *fluidis*, in quæ jejuno ſtomacho falerna propius & potentius ſuas vires exerunt. VI. Vinum generatim plus minus aquis diluatur, & attemperetur, qua temperie vini efferæ vires, contentæ intra limites, minus inebriare, aut noxia te labe fœdare poterunt.

Quod ſi vero forte fortuito in præſens a Baccho vulneratum te ſenſeris, inflictum vulnus hoc modo perſanandum erit: ingeratur ſcilicet largior hauſtus *cryſtallinæ aquæ*, vel *decocti hordei*, aut *juſculi carnium calidi*, *mixti cum recente oleo olivarum*, aut *amygdalarum dulcium* recenter ſine igne expreſſo; vel ſorbeatur *caffeata potio*, aut alius id genus liquor, qui vini ſpiritus deprimit, qua ratione vinum immodice ingurgitatum temperabitur, ejus vapores caput petentes contundentur, damna & incommoda ab inebriatione enata arcebuntur, denique vulneribus & ulceribus a Baccho inflictis remedium adhibebitur.

§. VII.

An etiam jejuno ſtomacho extra prandium & cœnam vini illecebris indulgendum ſit?

Nequaquam, jejuno ſtomacho vini illecebris & potationi- bus indulgendum eſſe, arbitramur, atque in ſumma, niſi intenſior ſitis urgeat, aut alia cauſſa liquidum expoſcat, a potu frigido jejunus ſtomachus prohibeatur; ſiquidem ventri- culus vacuus a potu frigido ſubito refrigeratur, ejus ſuccus gaſtricus inſpiſſatur, fibræ, nervique conſtringuntur, tonus & robur conteruntur, atque adeo ſic concuſſo ſtomacho ciborum læditur concoctio, chylus crudus & vitioſus gignitur, & mor- bis materia, fomesque ſuppeditatur.

At vero ſi ventriculo cibis repleto, & comeſtorum di- geſtione tum modo cœpta, tum paulo continuata, frigidum in- geritur, paria mala, paria vulnera exſpectant ſtomachum; chy- lus enim inſpiſſatur, coctio turbatur, chylificatio depravatur, hinc chylus corruptus nutriendo corpori inidoneus ſubſequi- tur; unde morbos, & in primis ventriculi ægritudines ſucceſ- ſuras eſſe, minime negari poteſt.

Atque jejuno ſtomacho, aut cibis onuſto, & modo cœ- pto, vel non nihil continuato coctionis negotio, ab hellua- tione cereviſiæ frigidæ, aut aquoſi vel vinoſi liquoris frigidi (niſi ſitis, vel alia cauſſa liquidum urgeat) prorſus abſtinendum eſſe, e re fore exiſtimetur.

§. VIII.

Verumne ſit adagium? qui bene bibit, bene dormit.

Tametſi non in perpetuum eveniat, bene bibentes altum ſtertere, plerumque tamen vino graves ſepeliri ſopore, quum frequentibus exemplis comprobatur, tum ratio- num pondere demonſtratum dabitur.

Enim

Enim vero largioribus, & repetitis vini, vel alterius inebriantis liquoris attentatis hauſtibus humani corporis partes & *ſolidæ* & *fluidæ*, præſertim ſtomachi & cerebri nervi & fibræ nimis humectantur, irrigantur, & inundantur, ſpiritus animales quaſi inundati ſopiuntur, & in motu ſuo ligantur, fibrarum, nervorumque robori & motui ponuntur limites; hinc ſenſuum organa languent, & hebetantur, neque rite in organa ſpiritus influunt, neque debite a ſpiritibus moveri organa, & expandi poſſunt; unde actiones animales, ſenſusque in - & externi deficiunt, & minuuntur, atque adeo minutis & ſuppreſſis partium tum *ſolidarum*, tum *fluidarum* motibus & actionibus, bene potus ad ſomnum trahitur & invitatur, quem captare, & altum ſtertere bene potus vel etiam invitus cogitur.

SECTIO IX.

De ſorbitionibus Thee, Caffee, & Chocolatæ.

Veriſſime & ſapienter SENECA ait: *Vile eſt, quod domi, & uſitatum eſt: id, quod quæritur, optimum videtur, & uſitatis faſtidioſe ſpretis, recentia avide expetuntur.*

Ita eſt: odio habentur vetera & faſtidio, ac quæ familiaria ſunt, & domeſtica, ſordeſcunt, & evileſcunt, dum interim nova, extera & peregrina ſummo deſiderio efflagitantur.

Digniſſimæ ſunt, quas hic pandam CORNELII AGRIPPÆ hortationes, quibus ſequente modo diſſerit: *Plurimum conduceret ſaluti hominum, ac rei publicæ, peregrinis omnibus, exoticisque pharmacis, quæ tanto præterea pretio a prædonibus & mercatoribus in rei publicæ detrimentum advecta ſunt, omnino interdicere.*

Veriſſime omnino, & ad rem CORNELIVS ſententiam tulit, ſed delicatiſſimo hujus ſæculi genio usquequaque commenta

menta dixit; dum saluberrimis id genus hortationibus novitatis & peregrinæ suavitatis amantium aures gravius offenduntur. Nihilo tamen minus damna & dispendia (quæ ex his exteris mercibus & cupediis in rem publicam redundant) eminus attingere mihi minime prohiberi sinam.

Siquidem novis hisce pharmacis, & exoticis id genus antidotis, quæ magno ære comparata, & majori pretio ex remotissimis Asiæ, Africæ & Americæ plagis ad nostras Europæ oras advehuntur, non modo crumenæ emulgentur, opes & facultates patriæ effunduntur, verum etiam cum his peregrinis illecebris nova non raro ad nos afferuntur morborum seminaria, ex quibus violatæ sanitatis germinant messes, amplissimæ ægritudinum prodeunt segetes; immo longævæ vitæ congeri pericula non tam verendum, quam potius asserendum fore, existimetur.

Atque adeo peregrinas has inter merces, & exotica antidota primum pene sibi vendicant locum decantata illa urbi & orbi notissima vegetabilia, *Thee*, *Caffee* & *Chocolata*, quibus non tantum India, quæ has cupedias genuit, gloriatur, sed etiam nationes aliæ, Hispaniæ nempe, Italiæ, Belgiæ & Germaniæ gentes, immo universus propemodum orbis hæc pharmaca in summis habere deliciis consuevit.

Verum indulgendus æque, ac laudandus foret rectus horum exoticorum usus, sed abusum, qui adeo invaluit, & tot humani corporis valetudini jam vulnera imposuit, omnibus modis detestandum fore, a prudentum nemine vocari in dubium, arbitremur. Nam NASONE teste:

Impia sub dulci melle venena latent.

Et HORATIO I. EPIST. 12.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Quam ob rem modo tum sanitatis tuendæ gratia, tum vitæ longævitatis conciliandæ caussa in horum vegetabilium originem, & indolem, usus & abusus inquirere nostri instituti ratio efflagitare videtur. Vnde sit.

§. I.

§. I.

De herbæ Thee voce, origine, natura, loco, selectu & præparatione.

HERBA THEE folium, seu planta est, quam Chinense solum profert, quæ & amplissimo illi Sinæ imperio natales debet.

Diversas voces, varia item nomina hæc herba sortita fuit; Chinæ namque civibus *Thee*, seu *Tsia*, Japonensibus & Indiæ gentibus *Cha*, seu *Tcha;* Tartaris, Persisque *Tay*, sive *Tsay;* Sinensibus *Thea Buu*, denique Europæis *Thee* nuncupatur; atque in Asiam & Europam ferendum hoc folium, ac in utriusque imperii usus impendendum, prius siccatur, siccatum terra, marique ad suos terminos vehi, ferrique consuevit.

Arbuscula seu frutex est, quæ *Thee* folia in China, Sina, & Japonia ter in anno profert; atque prima messis, segesque vernale ante æquinoctium, secunda mense Aprili, tertia demum & ultima mense Majo absolvi perhibetur.

Prima messis licet pauciora suggerat folia, hæc tamen reliquis bonitate præstare dicuntur. Inde est, primæ messis folia Magnatibus duntaxat, & clarissimo genere natis destinata, in Japonia *Thee Imperiale*, in Sina *Thea buu* solere nuncupari.

Prima messi locupletior secunda est, ac omnium locupletissimam tertiam esse, ajunt; verum tamen a prima secundam, a secunda tertiam bonitate, & sanandi viribus superari, in comperto habetur.

Hæc vero *Thee* folia haud ingrato sapore prædita, colorem ex *nigro, aut fusco viridem* præseferunt, at dum aquis infunduntur, colorem viridem repræsentant, infusio enim *Thee* flaviusculum colorem referens, inferioris esse notæ censeatur.

Id vero ex industria monere juverit, ut hæc *Thee* folia certis vasis stanneis, aut aliis stanno munitis vasculis (quibus vel

a noxia accedentis aeris humiditate, vel nimia ejus ſiccitate, aliaque labe, & putredine defenderentur) rite obturatis conſerventur, quo conſervandi modo & conſilio herba *Thee* ab omni labe immunis, tuæ magis ſanitati ſerviet, tuæque valetudinis proſperitatibus fortius velificabitur.

Quod modo infuſionem theiformem præparandi modum attinet, eum, qui in primis Chinæ, Sinæque gentibus uſitatus eſt, & a PATRE DE RHODES Viro præclara eruditione, & Apoſtolico animarum fervore inſigni refertur, hic ſubdere, operæ eſſe pretium, exiſtimamus. En igitur Rhodianum tenorem! „ Aquam in vaſe terſo & nitido coquunt, quæ, dum „ ferveſcit, igne amovent, & juxta quantitatem aquæ, fo„ lioque fundum petente, potant infuſionem; tunc enim vi„ res ſuas in aqua depoſuit, eamque colore ſubrubro tinxit; „ calide, quantum poſſunt, ſorbillant, refrigeratum nullius „ eſſe momenti, dicentes. Quod in fundo remanſit folium, „ etiam ſecunda vice adhibere non ineptum eſt; ſed tunc cum „ aqua coquatur, neceſſe eſt. Japonenſibus, pergit idem, alius „ præparandi modus eſt, illi enim redigunt in pulverem *Thee*, „ poſtea aquæ ferventi injectum, utrumque ſimul hauriunt. „ Num hic ſumendi modus priori præſtet, neſcio; ego quidem „ ſemper, ſed ſalubriter tamen uſurpavi eo modo, qui inter „ Chinenſes viget: utrique ad deliniendam ipſius acrimoniam, „ quam tamen non injucundam habet, ſacchari aliquantulum „ cum *Thee* permiſcent. „

Perſis vero referente OLEARIO in ſuo itinere Perſico parando *Thee* infuſum ſubinde tantillum *ſeminis aniſi* vel *fœniculi* & aliquot *caryophyllos*, Germanorum vero non nullis aliquid *ſeminis Badeani* addere more receptum fuit. At parum hæc ſemina & aromata in receſſu habent, unde addi, aut omitti poterunt, quod bibentis arbitrio relinquetur.

Europææ vero & Germaniæ gentibus hic plerumque potum *Thee* parandi modus familiaris eſt: ſumunt nempe ſextarium

aquæ,

aquæ, quam in cucuma argentea, aut cuprea ſtanno obducta, aut terrea vernice illita ad ebullitionem coquunt; aquæ jam ferventi ocyus *drachmam unam, vel unam & dimidiam herbæ thee* adjiciunt; cucumam ab igne removent, remotam tamdiu coopertam ſinunt, donec thee folia vaſis fundum petant (quod quadrantis forte horæ ſpatio accidet) & aqua debito calore & colore imbuta eſſe videatur. Jam ſic cocta theiformis ſorbitio in porcellanios, aut faventinos, vel in alterius materiæ crateres infunditur, infuſa, ſaccharo ſeu fino, ſeu cando edulcorata calide ſorbillatur.

Præterea plures, eosque varios infuſiones Thee parandi modos docet Celeberrimus PROFESSOR MONSPELIENSIS DE TENCKE, dum in ſuis formulis Medicinalibus expreſſis terminis ait: „ Variis modis herba *Thee* adhibetur, & aſſumi-
„ tur: I. quidem in ſubſtantia, dum ſiccata ad *ſemi drachmam*,
„ aut *drachmam* integram in cyatho aquæ tepidæ aſſumitur.
„ II. Decoctum herbæ ad *drachmam unam, & ſemis* adjecto ſac-
„ charo, ut jucundior ſit potio, conficitur, & calide ſorbil-
„ latur. III. deſtillatur in B. M. cum aquis appropriatis.
„ IV. infuſa ad unciam, & ſemis in aqua quadam cardiaca,
„ aut generoſo vino, cujus tria, vel quatuor cochlearia ſor-
„ bentur, adjecto non nihil ſacchari. V. ex ea exprimuntur
„ ſucci, quos in pillulas coaptant, ad doſim granorum decem.
„ VI. denique ad inſtar tabacci attrahitur fumus fiſtulis & ſu-
„ phunculis, & hoc modo capitis & pectoris morbis frigidis,
„ nec non defluxionibus ad aures mederi ſolet. „

Verum quisquis modus tibi placuerit, is, pace mea, tuus ſit, modo a foliis Thee jam ſemel coctis & infuſis, rurſus coquendis & infundendis (quorum vires jam prima coctione deperditæ ſunt) data opera abſtinueris.

Sed quid immoror docendis coquendi potus theiformis juſculis? adeo enim adolevit, conſenuitque hujus delicati ſæculi genius, ut in dies barbaras has guſtandi cupedias ſubtilius

palatum expoſcat, infuſumque *Thee* coquendi & ſorbillandi artem calleant non modo ſummo genere nati, ſed & humili caſa orti, domini & famuli, dominæ & famulæ, ſutores, ſartores, meretrices, obſtetrices, lixæ & rabulæ, ac quævis hominum feces, & quisquiliæ, id, de quo nec dubitare licet.

§. II.

De herbæ Thee virtutibus, legitimo uſu, & utendi tempore.

ETheiformem ſorbitionem, non dum conditam ſaccharo, ſaporem, odoremque teſtari aromaticum, non nihil amarum & aſperum, ſenſuum beneficio colligi poteſt. Quum igitur Philoſopho teſte rerum vires & facultates ex ipſis rerum dotibus & qualitatibus eluceſcant, ex herbæ *Thee* aromatico ſapore, *volatilem unam, & ſpirituoſam*, & ex ejusdem ſapore non nihil amaro, & aſpero *terream alteram & adſtringentem ſubſtantiam* colligendam eſſe, ſanus facile præſagit animus.

Gemina igitur ſubſtantia potum theiformem inclareſcere: *calefaciente una, ſiccante, & reſolvente, terrea altera, & adſtringente*, minime amplius obſcurum eſſe poteſt.

PRIORE itaque reſolvente humores præſertim capitis, pectoris & ſtomachi ſpiſſos, viſcidos & acidos reſolvit, attenuat, & fluidos reddit, hinc ſanguinis & humorum itus & reditus adjuvat; ſalvo humorum circuitu excretiones naturales, & quævis corporis actiones recto ſuccedunt ordine, ſpiritus animales, & fluidum nerveum perficiuntur, atque eorum in nervos influxus quovis modo læſus corrigitur, unde præcipue ſenſus in- & externi, ac actiones animales ſecundantur, & ſi qui morbi caput gravant, & ægritudines, perſanantur.

POSTERIORE vero ſubſtantia adſtringente nervos & fibras molles ac laxas firmat, adſtringit & corroborat; unde atoniam corrigit, viſceribus motu deficientibus vires & robur addit,

addit, quo rursus rite moveri viscera, atque firmata, sua munia, suas itidem functiones obire queant.

Tres ergo cum primis speciales sanandi facultates *cephalicam* unam, a sanandis morbis capitis ita dictam; *stomachicam* alteram a curando ægritudines stomachi, & tertiam *nephriticam*, a medendo calculis, renum & vesicæ malis, sic nuncupatam, Medicinæ Patres *Thee* sorbitioni tribuendas fore, ad unum omnes asseverant; & quidem virtutem *cephalicam* ex eo infusioni *Thee* deberi, ajunt: quod spiritus animales foveat, sensus internos & externos perficiat, caput serenum reddat, atque animo quandam actiones animales producendi alacritatem conciliet, id, quod experientia teste, a nemine vocari in dubium, pro certo tenetur.

His suum calculum addit ANTONIVS MVSA Imperatoris Augusti Æsculapius, in hæc profusus verba: *Proprietates, quas Thee adscribimus, eædem quoque herbæ betonicæ debentur.* Quum igitur herba *Betonicæ* una omnium Medicorum consensione virtute cephalica (seu quibusvis capitis & cerebri morbis medendi facultate) excellat, pari cum *betonica folia Thee* operandi potentia & virtute resplendescere, verissima consequutione inferendum esse, existimetur. Rursus in nostram it sententiam prælaudatus PATER DE RHODES, qui ita de *Thee* differit: *Præcipua ejus (Thee nempe) qualitas est, quod capitis medeatur doloribus; me quod spectat, ait: quotiescunque hemicrania, seu capitis dolore laborabam, mediante hoc potu mirifice sanabar.*

Id ipsum defendunt, idemque sentiunt Clarissimi Medicinæ Prudentiæ Proceres OLEARIVS, MEISNERVS, TVLPIVS, SIMON PAVLI, aliique, quibus in morbis capitis ad *Thee* sorbitionem, ceu sacram anchoram & ultimam in naufragio tabulam, confugiendum esse, persuasissimum est.

Atque adeo, modo speciatim, nominatimque affectus capitis, quibus Thee infusio medetur, hic adducere, & recensere, e re omnino fore, putamus. *Soporosis igitur morbis, lethargo,*

defluxionibus dolentibus, & indolentibus, vertigini, visus & auditu[illegible] vitiis, debiliori scilicet visui, & auditui, surditati & cæcitati inci[illegible] pientibus, paralysi, apoplexiæ, epilepsiæ, aliisque id genus ægritu[illegible] dinibus, quæ a sordibus viscidis & acidis ipsius sanguinis, ser[illegible] & lymphæ dependent, præsidio est, dum sanguinem & humore[illegible] resolvendo, attenuando, & reddendo fluxiles, ac fibras, ner[illegible] vos & spiritus in motus concitando, sicque reparando *solido[illegible] rum* & *fluidorum* circuitus, æque dictas sanat ægritudines, ac di[illegible] ctorum morborum reditus, & iteratos insultus prohibet.

Porro quanta somnum pellendi, arcendique facultate *The[illegible]* gaudeat, viresque, gravioribus curis, sollicitudine, & litte[illegible] rarum studiis fractas, erigendi potentia splendeat, tum litterati[illegible] tum majoris momenti functi negotiis testes sunt; nec non inde[illegible] fessus animarum Medicus PATER DE RHODES hoc tenor[illegible] refert: „ Thee a cœna assumptum somnum ordinarie arcet[illegible]
„ quem tamen non nullis procurat, quoniam, quum crassio[illegible]
„ res tantum humores dissipet, eos vero, qui somnum caus[illegible]
„ sant, relinquit. Quod me attinet, ait: sæpissime sum ex[illegible]
„ pertus, ubi Christianorum nostrorum confessiones tota no[illegible]
„ cte audire, mihi incumbebat, obrepebatque somnus, The[illegible]
„ eo ipso momento haustum integra nocte somnum fugabat[illegible]
„ postridieque, ac si more solito dormiissem, valebam. Seme[illegible]
„ id per septimanam sine ullo incommodo præstare poteram[illegible]
„ volui aliquando sex noctibus continuis id tentare, at noct[illegible]
„ sexta viribus plane eram destitutus. „ Nec mirum, vert[illegible] enim omne nimium in vitium, aliunde liquet. Quorum igi[illegible] tur interest, quandoque noctu vigilias agere, atque diutiu[illegible] litterarum studiis navare operam, iis theiformem potum, qu[illegible] pellitur somnus, & caput serenatur, consecramus.

Sed altera modo *infusionis theiformis* facultas, nempe *stoma[illegible] chica*, qua ventriculi morbis, & calamitatibus succurritur, ex[illegible] pendenda erit, qua virtute stomachica enitere *Thee* folia, se[illegible] quentibus rationum momentis elucescat.

Quem-

Quemadmodum igitur omnia *amara* & *aromatica*, præſertim, quibus virtus leniter adſtringens ſocia eſt, ventriculo, ejus læſæ digeſtioni, ac malis inde promanantibus egregie favent: ita & id obſequii aromaticam *Thee* infuſionem miſeris ventriculi rebus præſtituram eſſe, nullo negotio augurari licet. Enim vero ſapore *aromatico*, & principio *amaro* colluvies ſtomachi viſcida reſolvitur, & attenuatur; acida corrigitur & emendatur; ſapore vero *aſpero*, & *ſtyptico* principio flaccidæ, debiles, & relaxatæ ventriculi fibræ conſtringuntur, & firmantur; atque adeo humoribus fluiditas, fibris vero & nervis tonus, ac robur, vigorque conferuntur, quibus juvatur ſtomachus, & læſa ejus concoctio redintegratur. Hinc ſpeciatim *inappetentiæ*, *læſæ ciborum coctioni & chylificationi*, *ſingultibus*, *ructibus & vomitibus*, *cardialgiæ*, *& inflationi*, *lienteriæ*, *diarrhææ*, aliisque id genus paſſionibus a cauſſa ventriculi & inteſtinorum frigida, ſeu humorum colluvie acido-viſcida pendentibus, theiforme nectar ſubvenit, atque optatam ſpondet opem & operam.

Tertiam demum & ultimam virtutem *diureticam*, ſorbitionis theiformis partibus *aromaticis*, *volatilibus & penetrantibus* (quibus materia morbifica acido-viſcida, corpus & cum primis renes, & veſicam urinariam occupans, reſolvitur, attenuatur, & fluida redditur, atque ſoluta, lotii beneficio e corpore per urinæ vias excernitur, adeoque calculo materia ſubtrahitur) concordi Medicorum calculo adjudicandam fore, nuſpiam dubitatum fuit.

Inde eſt, nonnullos immodico potus theiformis uſu in *diabetem*, ſeu nimium, & noxium urinæ fluxum incidere, atque Chinæ & Japoniæ gentes, quibus familiarior ſorbitionis theiformis uſus exiſtit, a *nephritide*, *calculo* & *arthritide* prorſus immunes degere; ex quibus utique clarum, dilucidumque cognoſcitur: theiformes illecebras inſigni virtute diuretica, ſeu noxia, & morboſa ſemina per renum & veſicæ vias purgante facultate inſtructas eſſe; unde infuſionis *Thee* prudente uſu plu-

res

res morbos prohiberi, & ægritudines, præsentesque cum pri-
mis renum & vesicæ persanari calamitates, pro rato & com-
perto habetur.

Recta animi sensa fert R. P. MARTINVS MARTINIVS,
dum in nostræ patrocinium caussæ de *Thee* panacæa ita effatur:
„ calidum semper Chinenses potant, sive aquam, sive vinum
„ sive orizæ decoctum: in his liquoribus calidis celebre suum
„ *Cha*, seu *Thee* infundunt, calideque bibunt. Vbi huic cali-
„ do potui fui assuetus, Europæos vituperavi, qui frigidis
„ ita delectantur. Chinenses enim calido potu non solum sitim
„ extinguunt, sed & humiditates superfluas exsiccant, inde
„ fit, ut fere nunquam exspuant; nec doloribus nephriticis,
„ aut stomachi cruditatibus, sicut Europæi tententur, tantos-
„ que morbos, qui apud nos grassantur, *calculosam renum, are-*
„ *nam, podagram, chyragram*, similesque affectus nesciunt. „

Non jam Thee nectar amplioribus celebrarem laudibus, nisi
alii adhuc morbi exigerent, ejus prærogativas proferre in me-
dium. Hinc in primis *lumbricis, pesti hypochondriacæ, passioni hyste-
ricæ, palpitationi cordis, febribus intermittentibus* &c. Thee mederi
medicis observationibus comprobatur.

At ne affectus pectoris ultimo positos, primo ponendos;
tussim scilicet *siccam, hæmoptysin, phtysin incipientem, tabem, atro-
phiam*, immo *arthritidem, chyragram, podagram, malum ischiadi-
cum* &c. hic prætercam, quibus *Thee* infusionem, præsertim
cum *lacte vaccino*, aut *caprillo recenter cocto* mixtam, miras ferre
suppetias, atque dictas ægritudines potum *Thee* lacteatum, non
raro persanasse novimus.

Denique & id addendum erit, hunc potum leniter & sua-
viter (secus, ac alia pharmaca solent) agere in corpore, nec non
gratum palato medicamentum esse, adeoque delicatulis, & gy-
næceis placet, idque summis in deliciis habere consueverunt.

Tempus, horæque, quibus hoc suavium sumatur, in mor-
bis, plerumque matutinæ & vespertinæ sint; in sanis vero, &

valen-

valentibus, præcedente forte quodam menſæ exceſſu, finitis epulis; atque ad prohibendum ſomnum noctu ante cubitum *Thee* potio ad duas, tresve ſcutellas, parum ſaccharata, & pro re nata cum, vel ſine lacte ſorberi poteſt.

§. III.

De herbæ Thee abuſu, abuſus damnis, atque incommodis.

Quemadmodum legitimus infuſionis theiformis uſus violatæ ſanitati optato non raro præſidio eſt: ita ejus abuſum valetudinis fortunis infortunio fore, quotidianis exemplis poteſt colligi. Siquidem *Thee* folia ob ſuas particulas *aromaticas*, *volatiles*, & *ſpirituoſas*, oppido calefaciente, & exſiccante virtute, qua in humani corporis *ſubtilius*, & *balſamicum humidum*, *in ſpiritus*, *ſeu fluidum nerveum* deprædantur, prædita eſſe, non ſolum prudente ratione concluditur, verum etiam ex communibus Medicinæ Patrum ſuffragiis pro vero conſtat. Tametſi enim calor, & ſiccitas, quousque intra limites agunt, actiones corporis perficiant: attamen hoc ipſo hæ qualitates, præſertim ſuos egreſſæ limites, humanæ machinæ partes *ſolidas* exſiccant, *fluidas* abſumunt, & diſſipant, quibus diſſipatis & deperditis, firmam ac validam ſanitatem vacillare, poni morborum diſpoſitiones, & ægritudines pulſare fores, nemini ulli anceps dubiumque eſſe videatur. Ait enim Philoſophus: *Activas inter qualitates poſt calorem potentiorem non eſſe, nec & ullam magis eſſe operativam, & efficaciorem ſiccitate.*

Atque e veſtigio AVICENNA LIB. I. *fin.* 3. ſubjungit: *Perfectio & integritas perficiendi operationem, non eſt, niſi propter multam ſiccitatem, deinde ſiccitas inceſſanter procedit, donec nos perimat.*

Si igitur ſiccitas AVICENNA teſte, actionum perfectiva, ſed tamen inceſſanter procedens vitæ ſimul deſtructiva ſit, quæ commoda, quas utilitates infuſiones foliorum Thee calidæ & ſic-

ſiccæ, immodice & in dies potæ, humani corporis valetudini allaturæ ſint, nullo labore divinandum erit. Recte igitur idem Author pergit, dum LIB. III. ita effatur: *Ars cuſtodiendi ſanitatem de duabus rebus ſecuritatem præbet, putrefactionis nempe prohibitionem, & defenſionem humiditatis, ne cito reſolvatur.*

Quum itaque calefaciens & exſiccans *Thee* ſorbitio humiditates abſumat, cujus abſumpti humidi comes putredo eſt, qua ratione theiforme nectar ſanitatis vigorem cuſtodire, atque provectiorem ætatem ſpondere queat, a me ignoratur.

Atque adeo ad rem noſtram SPONIVS quoque ſpectatæ famæ Æſculapius, dum eximiis laudibus *Thee* virtutes celebrat, nihilo tamen minus in ſui *Thee* Tractatus coronide conceptis verbis ita ait: „ Hæc de Chinenſium Thee habebam dicere, „ cujus equidem non minus, ac Doctor SIMON PAVLI ab- „ uſum improbo, frequentiorem nempe ejus compotationem, „ faterique neceſſum eſt, immodicum *Thee,* ſicut vini potum, „ humidum nativum cito nimis abſumere, caloremque ac vi- „ tam extinguere. „

Omnibus igitur modis abuſus (qui in dies hoc Chinenſe nectar ſorbendo oritur) reprobandus eſt, qui præſertim in ſano & incolumi corpore ſalutis ſuæ amantibus vehementer interdici debet. Siquidem medicamentum, haud ſecus ac vinum, theiformis ſorbitio eſt, quo ſuis morbis medela fertur, ac certæ, quas ſupra recenſuimus, ægritudines perſanantur. Sanis vero non opus eſſe Medico, neque medicamento, ergo neque hoc calefaciente & exſiccante, noxio theiformi ſuavio, jam alibi ad oculum demonſtratum fuit.

Peſſime igitur, & non, niſi ſummo cum vitæ, ſanitatisque diſcrimine in ſingulos dies plurimi hoc utuntur nectare, atque ii cum primis, qui *calidioris corporis conſtitutionis* ſunt, nec non *ſanguinei, cholerici, ſexus ſequior, infantia, pueritia, adoleſcentia;* quod in morbis item a *ſanguinis tenuitate, & humorum acrimonia* pendentibus, fugiendum, & porro ejus abuſum undique decli-

nan-

nandum esse, sana ratio dictitat, id, quod memori mente tenendum erit.

Verumtamen non omnem omnino usum hujus nectaris abrogandi animus est, sed vel etiam sano & incolumi semel saltem vel bis in septimana has cupedias indulgemus; atque adeo laudamus usum, abusum vituperamus, cui Medicus valedicit Poeta, qui sic modulari amat:

Vale mea herba Thea,
Vale mors in ollula,
Quæ medendo, dum nocendo
Destruis vitalia.

Tua dote, quasi cote
Mentis lumen acuis,
Sed dum polis, vitam tollis,
Siccitate conficis.

Corde toto, quando poto,
Vita lucet clarius,
Sed primævum vitæ sævum
Flamma vorat citius.

Ergo potus Thee notus,
Quum juvando perimas,
Sis in China medicina,
Europæos deseras.

§. IV.

De Caffee nomine, loco, origine, & utendi tempore.

Historiæ Medicæ referunt, necdum sæculum fluxisse integrum, ex quo Caffee Arabicum, quod leguminum genus est, & fabæ Europææ speciem præ se fert, Europæas attigit oras, atque in notionem venire, ac in usus vocari cœpit.

Verum, quod ad nomen, dotesque caffeatæ fabæ attinet, non convenit inter Auctores; unde nonnulli in primis *Caffee*, antequam in pulverem redactum est, *Bunchum* nominant; alii alia, imponunt nomina, vocantque *Cafe*, *Cophe*, *Cave*, *Cavet*, *Cavenh*, *Chaova*, *Chaova*, aut *Cahueh*.

Mahometis, & Orientalis Imperii populi hanc fabam *Cachue* nuncupant; ducta origine vocis a *Cahuet*, quod iis robur sonat; atque vel ex eo hoc modo exprimunt, quum alias inter, quas

possidet dotes, primam & præcipuam *roborandi*, *confortandique* dotem & facultatem *Caffee* in acceptis referunt. Verum Europæi cives hanc fabam *Caffee* usitata voce appellare amant, quam ipsam vocem posthac servaturi sumus.

Quam ob rem *Caffee* peregrini leguminis genus est, ejus magnitudinis, cujus nostræ fabæ, quibus accedit propius, esse solent; rotundum desuper ex una parte, planumque ex altera parte est, cum fissura in medio, coloris album inter & flavum subobscuri, ac duplici involutum cortice, interiore uno oppido *tenui*, qui ejusdem cum ipso grano coloris est; exteriore altero, qui subniger, & satis crassus esse dicitur. At vero ad nos delata hæc faba Arabica jam suo exuta cortice in conspectum prodit; unde quod aliam exhibeat faciem, quam vivis distingues oculis, nemini ulli mirum esse videatur.

Arbor vero, quæ hos fructus profert, teste PROSPERO ALPINO in *tractat. de plant. Ægyptiac.* vel Evonymo, vel nostrati ceraso tum foliis & ramis, tum sui magnitudine similis esse fertur: frutex enim tenuibus ramis, exiguis foliis, æqualibus tamen, crassis & perpetuo virescentibus cito vero deciduis, constat, superstite fructu, quousque perfectæ maturitatis fuerit consecutus terminum.

Sola igitur felix Arabia, in cujus desertis pascuis caffeata arbor crescit, nulla admota manu, nulla addita humana industria, *Caffee* fabas generat, inde est, hunc fructum *Caffee Arabicum* solere nuncupari.

Atque adeo suo tempore ab arbore decerpti hi fructus *Moram Louheiam*, hinc in alios rubri pelagi portus, mox cymbis Geddam, maritimam petreæ Arabicæ urbem, vehuntur: unde terra, marique ad diversas mundi partes & regiones delati, tandem etiam Europææ oras subeunt, quibus in Europæos usus & abusus ære suo venales prostant, & alienantur. Denique qua ratione in ipsa felice Arabia caffeatæ fabæ usuvenire cœperint, Italorum Eruditorum Ephemerides Anno MDCLXXII

edi-

editæ teſtes ſunt, quæ ex diſſertatione FAVSTI NAIRONIS MARONITÆ linguarum Chaldaicæ & Syriacæ in Collegio Romano Profeſſoris hoc modo referunt: „ Cuſtos camelorum, ajunt, „ aut ut alii exiſtimant, caprarum, quibusdam Monachis re- „ tulit: nonnunquam capras, aut camelos ſuos noctes vigilan- „ do, & ſaltando tranſigere, id, quod Abbas pabulo tribuen- „ dum ſtatim conjecit. Cujus, ut certior fieret, in loca tunc „ temporis a pecude frequentata ſe contulit, & animadvertit, „ multos ibidem certi cujusdam generis occurriſſe frutices, quo- „ rum fructus veri ſimiliter comederat, nonnullos itaque eo- „ rum qualitates inveſtigandi cauſſa collectos aqua fervefecit, „ & liquore epotato ſomnum averti deprehendit, quo motus „ Monachis ſuis, ne officii nocturni tempore dormirent, po- „ tandum præbuit. Res ex voto ceſſit, & paulo poſt multas „ fructui illi ſalubres eſſe qualitates, detectum fuit. Quapro- „ pter multis deſiderabilis evaſit, maxime ipſis mercatoribus, „ quippe, qui in grati animi fidem preces privatas & ſolemnes „ ſacrant *Sciai* & *Aydro,* quibus Monachis tali modo hujus fru- „ ctus inveſtigationis tribuitur honor. „

Propemodum modo aggratularemur Abbatibus & Præſulibus præſens adeo, & generoſum ab Abbate inventum præſidium, quo ſubditos ſuos, & Monachos ad Chorum & Matutinum, atque ad Divina Officia promptos & alacres, ut Author præſidii ſolebat, habere poterunt.

§. V.

De ſelectu Caffee, ejusque uſtulandi & conſervandi modo.

Quemadmodum alia leguminum genera, ita & *Caffee* faba id commune habet, ut quo minus exſucca, & magis ſuccoſa fuerit, eo majori ſalubritate donari, ſemper & ubique judicetur.

Cum

Cum primis vero id cautum volumus, ut faba Arabica a omnibus fordibus & quisquiliis, quibus ejus pondus augeretur & demeretur de fabæ viribus, immunis fervetur, quo majori valetudinis commodo in ufus vocari poteft. Quum igitur purum, & fuccofum *caffee* effe, oporteat, ne nimis vetus fit, re omnino fuerit, quo enim vetuftius, eo & ficcius eft, atqui ficcatum nimis, fuccum fuum, & faporem amififfe, nemini ulli obfcurum effe poteft.

Id vero merito admirationem fubit, fabas Arabicas absque ignis adminiculo ficcatas, in pulverem verfas, coctas & forbillatas omni falubritatis effectu deftitui, fed ut vires fuas & virtutes exerant, ignis, quo uftulentur, opus effe præfentia quum fola ignis torrefactione & uftulatione *caffee* fuccus & phlegma concitentur, ejus fpiritus exaltentur, quo modo uftulatæ & coctæ fabæ fuas in corpore vires produnt, quibus bene multos humani corporis averfum morbos, pluresque ægritudines perfanatum imus.

Ea vero cautio uftulando caffee adhibenda eft, ne plus æquo, aut folito minus, quam par eft, faba uftuletur, fiquidem nimia uftulatione vis & fpiritus *caffee* avolant, infufficienti vero uftione vires & fpiritus non fatis exaltantur, fed phlegmate irretiuntur, atque adeo magma duntaxat, & farina *caffee* vappida, iners, & infipida fuperftes erit, cujus coctionem & forbitionem non modo ingratam palato, verum etiam valetudinis profperitatibus minus falutarem fore, experientia conftat. Vnde ipfum *caffee* uftulandi, & uftulatum confervandi modum hic fubjungere e re fore, vifum fuerat.

Sumantur igitur grana caffee in quantitate (fed quæ duas ad fummum tres libras pro una uftulatione nunquam excedat quo enim minor granorum fuerit quantitas, eo felicius fuccedet uftulatio) jam in fartaginem, aut fi mavis, in pelvim fictilem (quæ carbonum igni, fed absque flamma accenfo, fuperponatur) grana immittantur, ficque calefiant; quamprimum vero

fabas

fabas calefieri advertes, e vestigio cochleari ferreo, aut spatula lignea, ut grana æqualem ignis vim excipiant, eousque indesinenter agitentur, quousque semiustæ, colore castaneo, seu subnigro indutæ appareant, ac jucundum instar panis adusti odorem spargant; atque hoc modo ustulata grana ocyus ab igne removenda, ac in pulverem redigenda erunt.

Hic igitur granorum pulvis, seu farina caffeata probe, & data opera (ne in vanidam, inertem, ac inutilem vappam, avolantibus caffee spiritibus farina abeat) custodienda est; secus enim suas ponent dotes, suas vires & facultates grana ustulata perdent. Hinc fabæ in farinam versæ propediem in vasis stanneis, aut stanno obductis, & rite obturatis (quo omnis aeris, caloris, humiditatis, aut alienæ qualitatis prohibeatur aditus) occlusæ serventur, quæ vasa nunquam nisi ad usum aperienda sunt, tuncque cochleari exempto pulvere, mox vasa rursus claudere, & probe obturare præstat: quo diutius igitur *caffee* ustulatum asservatur, eo plus de virtute ejus amittetur, quum in singulos dies aliquid odoris, saporis balsamici, & spiritus (qui ignis ustulatione excitati sunt) perdatur, in auras avolet, & dissipetur. Minima igitur, & qua solum pro una coctione opus est, imminente *caffee* usus tempore, quantitas sumatur, quæ in *caffee* sorbitionem coquatur; qua ratione jucundiorem, simul & salubriorem potionem evasuram esse, velim firmiter, tibi persuasum habeas. Secus procedendo, & ustulatum *caffee* in septimanas, & menses pro usu servando, Arabicæ fabæ vires perdes, quibus perditis, caffeata sorbitione pessime sanitatis tuæ rebus consuletur.

§. VI.

§. VI.

De debita uſti, & pulveriſati caffee coctione & præparatione, ejusque ſumendi modo & conſilio.

Plurimum intereſt, ut certus uſtulatum & pulveriſatum caffee coquendi, & præparandi modus ſervetur, quo omiſſo ingrata evadet potio, qua non modo offendetur palatum, verum valetudinis quoque ſpes & fortunæ fraude, doloque eludentur.

Vnde cum primis pro hujus coctione vaſa anſata ſtannea, aut cuprea ſtanno munita, amplioris ventris, & colli anguſtioris cum ſuis operculis (ſoli huic, unique uſui, & caffee præparationi deſtinata) ſumantur, vaſi aqua ad decem, aut duodecim unciarum pondus infundatur, vas vivo carbonum igni, ut aqua calefiat, imponatur, & quam primum in vaſe ebullire incipit, tres præter propter drachmæ caffeati pulveris in aquam ebullientem immittantur, probe cavendo, ne quidquam aquæ fervidæ vel pulveris effuſum eas. Id vero præcipue curetur, ut quamprimum aqua ebulliens vaſis labia attigit, illico vas ab igne removeatur; admovendum itidem, & dum aqua rurſus ebullit, rurſus ab igne removeatur, ſicque laborem continuando, donec novies, vel decies aqua ebullierit: etiam atque etiam cavendo, ne quidquam aquæ ebullientis effundatur, qua effuſione avolaret ſpiritus, & omnis caffeatæ ſorbitionis periret virtus. Abſoluto hoc labore vas ab igne remove, calidis impone cineribus, eousque relinquendum, quousque non ſolum coctio ſuum calorem (ſed absque nova ebullitione) ſervat, verum etiam decocti *caffee* magma, & ſedimentum craſſius fundum vaſis petierit, & feces ſubſederint, atque caffeata potio clara & ſubflava evaſerit, quæ inclinato vaſe (cavendo, ne magma, & craſſius ſimul infundantur) in caliculos, vel ſcutellas tarde infundenda, infuſa, quam calide licet,

licet, bibenda, minime una ſerie, ſed ſenſim ſorbillanda erit caffeata potio.

Peſſime jam agitur, dum nimium ſacchari (ut potio ferme in ſyrupum faceſſat) caffeato potui additur; vel ſi magma, & feces a prima coctione reſiduæ iterum recoquantur; ſiquidem nimia additione ſacchari vires & *caffee* ſpiritus ſupprimuntur, atque prima *caffee* coctione omnis jam virtus caffeati nectaris ſublata eſt, quæ igitur in ſecunda coctione, & magmatis recoctione gratis exſpectatur; atque adeo ſicut a cibo bis cocto, ita a caffee recocto liberari omnibus votis expetamus.

Quod ad doſin & *caffee* ſumendi tempus attinet, ſanis & valentibus, ſemel vel bis in ſeptimana, præſertim diebus jejunii, mane jejuno ſtomacho, aut in frigido & debiliore, vel nimis cibis onuſto ventriculo, unus alterve caliculus poſt menſam diſpenſatur.

At addunt nonnulli farinæ *caffee* roborandi ventriculi gratia aromata, *cinnamomum* nempe *acutum*, *caryophyllos*, *cardamomum* &c. quæ pace mea pro re nata addi, vel omitti poſſunt.

Porro id in fine hic monere, non abs re fuerit: nonnunquam farinam *caffee* pulvere panis aduſti, aut Europæarum fabarum tertia parte, & amplius turpis lucri gratia augeri ſolere, quin dolo deluſus dolum noverit; quos enim non cogit auri ſacra fames? qua de cauſſa aut *caffee* in granis, aut pulveriſatum, non niſi a venditore probatæ fidei comparandum eſſe, e re fore arbitramur.

§. VII.

De caffee dotibus & virtutibus, ejusque legitimo uſu.

Quemadmodum in primæva mundi creatione a SVPREMO RERVM OMNIVM CONDITORE ſingulis plantis & vegetabilibus certas infuſas fuiſſe vires, certasque virtutes, ita ab EODEM VNIVERSI HVIVS AVTHORE *caffee*

fabis Arabicis ſuas inditas eſſe dotes, & agendi facultates, quibus humani corporis ſoſpitati ſuppetias ferant, a nemine ullo dubitatum fuiſſe, pro certo & definito tenemus.

Quæ vero fabæ Arabicæ medendi ſpecificæ vires & virtutes ſint, diſcrepant Auctores Medici, quum nonnulli *caffee calidum*, *frigidum* alii eſſe contendant; alii vero id miris extollant laudum elogiis, & tanquam generalem quamdam morborum panacæam venerentur, quando ad hoc nectar in innumeris, immo Herculeis ægritudinibus, frigidis & humidis, in *debilitate ſtomachi, capitis & uteri, in arcendo ſomno, in retundendis capitis defluxionibus & evaporationibus, in ſananda cephalalgia, apoplexia, in aperiendis & ſolvendis viſcerum obſtructionibus, & alvi obſtipationibus, in curanda cachexia, ictero, hydrope, in pellendis menſibus, in minuendo & curando calculo, atque* in fugandis debellandisque pene omnibus humani corporis ærumnis, & calamitatibus; ad *caffee* ceu ultimam in naufragio tabulam, extremumque in morbis remedium & antidotum confugiendum eſſe, vano forſan errore ſibi adblandiuntur.

Verum minus firma, & longe tenuiora animi ſenſa de caffee facultatibus Clariſſimus fert HVLLERIVS, dum conceptis verbis ait: *Ipſemet experientiam inſtituito, & uſtulatam noſtrarum fabarum, vel tritici farinam affuſſa aqua in talem offam, quam noſtri* Brenn-Suppen *appellant, excoquito, cui ſi ſaccharum ſuperaddideris, habebis caffee Europæum, ab Aſiato vix diſtinguibile.*

Huic ſuum addit calculum BENTEKVE, dum eum in modum differit: *Caſtaneæ, ſecale, triticum, immo ipſe panis toſtus, & in aqua ſolutus potum ſuppeditabit turcico caffee æque bonum, qui vinoſis appoſitus a vero caffee diſcerni non poterit.*

At vero mitius, altiusque de Arabico caffee judicium ferendum fore (ac præfati ſolebant Medicinæ Proceres, de ſola externa facie, & ſpecie caffeati nectaris judicantes) Celeberrimus Vniverſitatis Pragenſis Regiæ CAROLO-FERDINANDEÆ in Medicis Profeſſor MEISNERVS contendit, dum in

ſua

ſua *anacriſi Medico-Diætetica* teſtimonia affert, quibus caffee vires & virtutes validiſſime confirmentur. Ait enim: „ Caffee „ mirabiliter primam concoctionem adjuvat, omnemque ab ea „ perturbationem avertit; nam, ut ex ejus ſpagyrica analyſi „ patet, duabus ſubſtantiis, una *ſubtili* & *volatili*, altera *terreſtri* conſtat; ſubtilique nimiam fermenti eſurini aciditatem „ obtundit; omne enim ſal volatile acidum delinit, & mitigat; „ pars tereſtris deterſiva eſt, & tantillum adſtringens, ſicque „ ſtomacho amica; hujus quippe fermentum roborat qualitate „ ſua deterſiva, tartareasque feces in eo, & tenuibus inteſtinis contentas expurgat; acidas cruditates, quæ in primis „ viis interdum fluctuant, ſuo alkali abſorbet; nulli omnino „ corruptioni obnoxium eſt, coagulationes humorum, earumque cauſſas fortiter impedit, & hinc tranſpirationem inſenſibilem, ac ſanitatis conſervationem admodum juvat. Valet „ præterea fabæ noſtræ Arabicæ potus, pituitam vitream, Veteribus ſic dictam, colicæ inteſtinalis cauſſam frequentem, „ non ſecus ac cruditates ſtomachi corrigere, & reſolvere, „ ſicque etiam hepatis, lienis, pancreatisque obſtructiones a „ viſcidis humoribus feliciter reſerare. „

Ex quibus utique pronum, promptumque eſt colligere: grana *caffee* Arabica, una ſui ſubſtantia *ſubtili* nempe *volatili* & *penetrante* humani corporis *fluida*, ſanguinem & humores acidos, ſpiſſos & viſcidos reſolvere, attenuare, acidum contundere, hinc fluidos vitales ſuccos reddere, eosque in veteres itus, reditus & circuitus aſſerere, atque ſpirituum debitum in ſuos nervos influxum promovere.

Altera vero ſui ſubſtantia, *terreſtri* ſcilicet abſtergere, & leniter adſtringere; adeoque *ſolidis*, viſcerum nempe internorum motricibus fibris, nervisque robur, viresque conciliare, atque adeo eorum tonum & motum adjuvare; ſed fluidorum motu & circuitu, ac ſolidorum tono & robore reſtitutis, naturales excretiones adjuvantur, actiones omnes tum *naturales*,

tum *vitales* & *animales* in suo vigore perennant; unde humani corporis valetudinem sartam tectam servari, vacillantem, vel amissam redintegrari, nemini ulli dubium videri potest.

Qua de caussa in eandem ab omnibus sententiam itum fuit: grana *caffee calefaciente*, *siccante*, & *roborante* virtute resplendescere, hinc in pharmacorum classes referenda fore, adeoque naturis & complexionibus frigidioribus, nec non morbis, & ægrotationibus a caussa frigida, seu a sanguinis & humorum colluvie *acido-viscida*, ac partium solidarum atonia descendentibus, optatam commodare opem & operam, clarius liquet, quam ut ignorari queat.

Quam ob rem speciatim, nominatimque tanquam celebre pharmacum, & antidotum in primis stomachale salutatur; hinc in morbis ventriculi in *læsa ciborum concoctione, & chylificatione, in inappetentia, cardialgia, ructibus acidis, singultu, in ventriculi inflatione, & vomitu, in doloribus a nimia ciborum repletione oriundis, in abdominis torminibus, & colicis doloribus ab acido-viscidis sordibus natales ducentibus; in calculo, podagra, in mensium fluxu diminuto & fluore albo, in scabie, scorbuto, & cutis defœdationibus; in morbis capitis, nimia nempe ad somnum propensione, in contundendis ventriculi evaporationibus, in promovendis vigiliis, in vertigine, gravedine & dolore capitis; in defluxionibus, coryza, catarrhis, lethargo, apoplexia, paralysi, malo hypochondriaco;* in ægritudinibus ab infimi ventris obstructionibus venientibus, *febribus frigidis intermittentibus, in ictero, cachexia, hydrope, præsertim in serenando capite,* aliisque passionibus frigidis a *fluidorum* spissitudine & visciditate, ac *solidorum* diminuto robore profectis præsentissima opitulatione adest, atque recensitos morbos præsentes non modo sanat, & repellit, verum imminentes etiam prohibet & avertit: adeoque res humani corporis familiares Arabica potione non raro augeri, & gradus capere, tam certum, & ante oculos positum est, ut neminem ullum dubitare sinat.

§. VIII.

§. VIII.

De noxio usu, seu abusu caffeatæ sorbitionis.

Verissime & prudenter VALESIVS LIB. IV. *method. cap. 2.* ait: *Nihil est, quod prosit, quin aliqua ratione nocere possit.*

Atque adeo sicuti rerum omnium, ita etiam *caffee* abusus non modo posse, verum etiam nocere debere, ipsum *abusus* nomen designat, id, quod quotidianis exemplis, & horariis observationibus ratum, testatumque habetur.

Quoniam igitur Arabicum *caffee*, ut hucusque ostensum fuit, ceu ex natura (haud secus, ac vina) *calefaciens, exsiccans*, & *confortans*, merito, non alimenta inter, sed medicamenta reputari meretur, sanos & incolumes, præcipue *juniores* & *calidiores, sanguineos* & *cholericos, graciles, pueros* & *juvenes, sexumque sequiorem* caffeatæ sorbitioni in dies tanquam cibis litantes, mirum dictu, excedere, & hoc abuti nectare, nec non sanitatis suæ rationes & prosperitates prodigere: & conculcare, ac denique arctiores naturali vitæ periodo ponere limites, æquis rerum arbitris captu minime obscurum erit. Enim vero substantia Arabicæ potionis in gradu excellenti *calida* & *sicca* sanguinem & humores resolvit, & attenuat, in motus anomalos concitat, spiritus accendit, partes solidas, viscera, nervos & fibras exsiccat & inflammat, atque adeo *solidorum* & *fluidorum* motus & functiones depravat, quo consectarium est: *humidum radicale* siccari & diripi, ac *calidum naturale* dissipari, & prodigi; unde non solum *fluida* figuntur & inspissantur, ac *solida* arescunt, & ad motus inhabilia fiunt, verum etiam valetudinis fortunas offendi gravius, & advocari ægritudines, immo ipsum naturale senium, aut citius obrepere, aut plane vetari, extremasque prohiberi ætates, abusui & excessivo *caffee* usui merito in acceptis referendum erit.

Semel igitur aut bis in septimana sanis & valentibus, qui-bus salus sua cordi fuerit, caffeatus potus, sine, vel cum lacte mixtus, prout eum plus, minus temperatum exigis, indul-gendus erit; amplius vero, & frequentius (nisi morbus, aut alia ratio hunc potum suaserit) huic immoderando nectari, per-dendo sanitatem moras nectis, vitæ rescindendo senio immora-ris, & certe sorbitionis caffeatæ helluationibus usque adeo ex-cessum fuisse, pœnitebit, utinam non sero nimis. Ad rem igi-tur, & in rei veritate ille Poeta Medicus canit:

Laudo mores, laudo usum,
Qui caffee bibit infusum,
Post majora prandia.

Coquit cibos, negliguntur,
Quæ post prandia bibuntur
Sanitatis pocula.

Si quis credat, hanc farinam
Esse magnam medicinam,
Panacææ titulo,

Errat: pulvis est fabarum;
Turcicarum & tostarum,
Dilutus in jusculo.

Ergo sanus moneatur,
Ne mature moriatur,
Vt a caffee caveat.

Spiritus impellit nimis,
Vnde vita mille rimis,
Quasi vapor avolat.

§. IX.

De Chocolatæ nomine, natura, & ingredientibus.

Siluissem modo de liquidis posthac verba facere, nisi liquida *chocolatæ* sorbitio saltem adhuc tangenda esset: in cujus æque usus, ac abusus, vires & facultates in-quirere, materiæ dignitas efflagitare videtur.

Atque adeo cum primis, a nomine exordium ducentes, *Cho-colatam* vocabulo pene Americanum esse, quod a voce *Choco,* Ame-ricanis sonum (coquendum inter & effervescendum edi solitum) notante, & a voce *atte*, vel *atle* Mexicanis aquam sonante,

suos

ſuos ſortitur natales, minime verſamur in ambiguis, id, quod probatiſſimorum Scriptorum teſtimoniis aperte conſtat.

Nonnullis tamen *cacaoatle* a fructu *cacao* nuncupatur, ex quo cum aqua fontana, vel alio liquore nota illa, vulgataque præparatur *chocolatæ* ſorbitio, quæ ſimili modo, ac *thee*, & *caffee* potio, uſuvenire, latiusque manare cœpit.

Sed miſſo *chocolatæ* nomine, veram ejus notionem pandentes dicimus: CHOCOLATAM *ſolidæ maſſæ ex variis ingredientibus, & præcipue ex cacao fruge genus eſſe.* Ex qua maſſa affuſa aqua paratur ſorbitio, palato grata, atque non raro ſanitati ſalutaris, ac longioris vitæ exoptata periodo, ejusque opportuna commodis & utilitatibus.

At vero propius modo noſtrum contingit ſcopum, ad rationis leges *chocolatæ* maſſam, ejusque ingredientia revocare, cujus maſſæ tametſi variæ compoſitiones exſtent, ſequentem tamen confectionem uſuvenire, & Authoribus ſolemnem eſſe, ipſos inter Authores conſtat: accipiuntur nempe de *fructibus cacao modice toſtis libræ quatuor*, *de ſaccharo albiſſimo libræ tres*, *de granis vanillæ grana octo; de cinnamomo acuto drachma una & media*, *de caryophyllis drachma media*, *de ambra gryſea grana duo*, *de moſcho granum unum.*

Ex quibus igitur ingredientibus, in unum coadunatis corpus, maſſa conficitur, cujus *uncia una ex ſex aquæ fontanæ unciis* ad ignem coquitur, & diſſolvitur, quæ ſolutio calide Arabicæ potionis more ſorberi ſolet.

Ordinis igitur ratio modo efflagitat, ut cum ratione *chocolatæ* uſum & abuſum poſituri ob oculos, confectionis ingredientia, eorumque vires & virtutes animo volvamus, ſuoque ſcrutemur ordine, in quem finem cum primis fructus *cacao* geneſis inveſtigetur.

Atque adeo *Cacahuaquahuitl*, aut *Cacaoatl*, arborem, quæ hanc nucem profert, Americani vocant, quæ referente THOMA AN-

ANGLO, magnitudine & altitudine aurantiorum æmulatur arbores, & folia his ſimilia paulo tamen majora coram refert.

Tam vero ſubtilis, tamque mollis eſt indolis *cacaoatl* arbor & calidum adeo ſolum, in quo naſcitur, ut priusquam implantetur, aliam arborem *atlinam* dictam ſolo committere, neceſſe ſit, quæ ubi eousque excrevit, ut ſuis ramis & foliis ſatis umbræ ſpargere poſſit, tunc demum fructus *cacao* ſub atlina plantetur, qui germinans & creſcens a præcedentis arboris *atlinæ* ramis & foliis adumbratur, & ab urentibus quoque defenditur ſolis radiis; qua ratione a nimia ſiccitatis labe chocolatæ arbor ſervatur immunis, temperataque ſervabitur, ut fructus *cacao* creſcere, ſuoque tempore proferri queat. Id vero hic addere e re fuerit, fructus arboris *cacaoatl* ſuccreſcentes ſuis ſiliquis haud ſecus, ac noſtros melopepones, tegi ſolere, quibus vero fructibus nomen *cacahuacintli* tribuunt, qui bene multas *cacao* nuces condunt, externa facie propius ad amygdalas majores accedentes, ſed his compactiores ſunt, magisque palato blandiuntur, quarum XX., vel XXX., aut XXXX. in ſingulis ſiliquis continentur.

Harum unaquæque nux in duas diviſa partes, quas alba quædam pellicula veſtit, ſucco refrigerante & humectante turget, qui ab Americanis exſugi fœminis, iisque ſummis in deliciis haberi fertur.

Verum non unum, idemque genus, ſed quatuor eſſe frugum *cacao* genera Clariſſimus Doctor MOREAV atteſtatur; quorum vero ſingula, frugesque ſingulas unis, iisdemque inſtructas eſſe viribus & facultatibus, ac iisdem ſervire uſibus, Mexicanis gentibus perſuaſum eſt; id vero ſedulo hortantibus, ne mucidæ, rancidæ, carioſæ, & quod conſequitur, putridæ & corruptæ, ſed integræ, opimæ, & ſapidæ, ac ſtudioſe cuſtoditæ ſeligantur, atque in uſus adhibeantur fruges.

Sed e diverticulo ad viam, qua nobis ad *chocolatæ* ingredientia redeundum eſt, quorum vires & virtutes accuratiori

ſcru-

ſcrutinio ſubjicere, e re omnino fore exiſtimatur. Vnde cum primis omnium primum & præcipuum ingrediens *cacao* prodit in medium, quod ſenſuum teſtimonio *penetrantis*, & *non nihil amaricantis* ſaporis eſt, adeoque *reſolvendi*, *diſcutiendi*, *aperiendi*, & *roborandi* facultate refulgere, æquo & jure perhibetur. Atque adeo ventriculo ſubvenit, ejus concoctionem adjuvat, cruditates digeſtionis reſiduas *acido-viſcidas*, & *flatulentas* ſolvit, & diſcutit, debilia corporis viſcera, cor & ſpiritus recreat, vires quacunque de cauſſa perditas reparat, hinc in *hectica*, *tabe*, *atrophia*, *ſtomachi & inteſtinorum morbis*, *in debili ſenio*, *iisque*, *qui ex graviore morbo in gratiam redierunt*, mederi, opemque ferre deſiratiſſimam, una omnium Medicorum conſenſione ſtabilitur.

Granis *cacao* mox ſaccharum, pulmonibus, ſtomacho, & inteſtinis amicum ſuccedit, quo non modo ingratus, & amaricans *cacao* ſapor corrigitur, & emendatur, ſed chocolatæ quoque maſſa a putredine (in quam prona eſt, & propendet) arcetur & prohibetur, quo tutius & proſperius *chocolata* uti, atque hoc nectar in publicos, privatosque valetudinis uſus revocare licebit.

Tertium confectionis inter ingredientia ſibi merito vendicat locum *vaniglia*, quæ ſuaviſſimi æque, ac aromatici ſaporis ſiliqua eſt, atque *caleſaciendi*, *diſcutiendi*, *reſolvendi*, & *roborandi* facultate gaudet, qua humores corporis ſpiſſos, acidos, viſcidos, putridos ſolvit, attenuat, & fluidos reddit, ſpiritus & viſcera in primis *caput*, & *ſtomachum* corroborat, menſes, & urinam pellit, & ſtimulat, unde ea inter pharmaca (quæ morbis & afflictionibus capitis, *vertigini* nempe, *cephalalgiæ*, *cerebri imbecillitati*, *ſenſuum internorum & externorum læſioni*, *diminuto viſui & auditui*, & *memoriæ labi*, *apoplexiæ*; nec non morbis ſtomachi *violatæ ſcilicet concoctioni*, *cardialgiæ*, *ructibus acidis*, & *flatulentis*, *ventriculi & abdominis inflationi*, *vomitibus* &c. demum & uteri ægritudinibus, præpeditis nempe menſium periodis, ac partus difficultatibus, prima fert opem & operam) jure meritiſſimo reputatur.

His quartum modo accedit ingrediens, *cinnamomum acutum*, quod ſtomacho, ejusque concoctioni favet, flatus ſolvit, & colicæ acido-viſcidæ medetur, nec non pravos & putridos oris odores tollit, & removet; frigidos ventriculi, & inteſtinorum morbos lenit, & mitigat; optime igitur jure chocolatæ comiſcetur, in qua partes terreas conterit, & attenuat, hinc viribus & facultatibus maſſæ ſtomachicis ſuos gradus addit.

Quod jam ad caryophyllos aromaticos attinet, ſapore aromatico, acri & penetrante vires ſuas *cephalicas*, & *ſtomachicas*, ac *ſpirituum recreativas* exprimunt, quibus morbis capitis, cordis, & ventriculi afflictionibus, nominatim *animi deliquiis*, *vertigini*, *defluxionibus*, & *paſſionibus ventriculi frigidis* medentur; haud igitur immerito chocolatæ inter ingredientia collocantur.

Caryophyllis jam *ambra gryſea* ſuaviſſimi odoris reſina ſuo ſuccedit ordine, quæ *calefaciendi*, *ſiccandi*, *ſolvendi*, & *præcipue ſpiritus animales*, *viresque roborandi* facultate gaudet; morbis igitur capitis & cordis, ſcilicet *vertigini*, *imminenti & præſenti apoplexiæ*, *animi quoque deliquiis* &c. perſanandis deſtinatur.

Vltimo denique *moſchus* partes inter chocolatæ conſtitutivas agmen claudit, qui non modo vires *ambræ* æmulatur, verum potius *ſiccandi*, *calefaciendi*, & *ſpiritus*, *viresque corroborandi* virtute ambram antecellit, hinc a ſanando morbos capitis, ſtomachi, inteſtinorum, & cordis, ſcilicet *vertiginem*, *lethargum*, *apoplexiam*, *melancholiam*, *animi deliquia*, *debiliorem ſtomachum*, *læſam concoctionem*, *ructus acidos & nitroſos*, *tormina & colicam*, aliasque calamitates a flatibus, & ſordibus acido-viſcidis pendentes, ut quidem par eſt, præclariſſimis commendari laudum elogiis, atque chocolatæ ingredientibus meritiſſime acceſeri meretur.

Quemadmodum vero nonnulli *chocolatam* magis penetrantem, & calidiorem deſiderant, ita aliis magis temperata, & non nimis calida confectio placet; atque hæc cauſſa eſt, ex qua diverſa *chocolatæ* confectio originem trahit; unde ingredientibus

tibus

tibus variare (unum addendo, alterum omittendo, hoc adaugendo, illud minuendo) more receptum fuit.

Porro *achiotam*, quæ ſuccus arboris *achiotl* dictæ inſpiſſatus eſt, confectioni illis addere, his omittere arridet; atque adeo hujus pharmaci vires & virtutes prodere, e re fore exiſtimamus. Teſtantibus igitur Americanis Medicis, hic ſuccus mirum *attenuante, reſolvente* & *aperitiva* virtute (qua humores corporis putridos, acidos & viſcidos valide incidit, reſolvit, digerit, & fluidos reddit) excellit, unde in morbis, a viſcerum, vaſorum & canalium obſtructionibus oriundis, cum primis in *peſte hypochondriaca, aſthmate, & tuſſi, a cauſſa frigida, ſeu colluvie acido-viſcida pendente, in calculo, cachexia, hydrope* &c. Medicinæ Patres ceu præſentiſſimum antidotum, & ſacram panacæam venerantur.

§. X.

De debita ingredientium mixtione, & chocolatæ præparatione, idque bibendi modo & tempore.

EAd judicii ſtateram poſitis, perſpectisque ingredientium viribus & virtutibus, ad ipſam *chocolatæ* præparationem & confectionem materiæ ordine ducimur, quam COLMENERO memoriæ poſterorum commendandam his verbis tradidit: „ Cacao igitur, & alia, quæ chocolatam componunt, ait: contundi, & teri debent in mortario, aut ſuper lapide lato & polito, quem in Indiis occidentalibus *Metaitl*, vel *Metate* vocant, huic uſui deſtinatum. Sed antequam terantur, probe ea ſiccari, & torrefieri ad ignem opus eſt, ut facilius piſtentur, achiata excepta: ſed curandum eſt, ut continuo in torrefactione moveantur, ne adurantur, nigreſcant, & amareſcant, nam taliter vis eorum periret. Cinnamomum & piper Americanum ſi addere velis, primo teri debent, ſimulque cum pipere aniſum, & ultimo, ſed ſenſim,

„ cacao per duos aut tres dies trituram iterando ſuper lapide;
„ ſingula autem ſigillatim terenda; dein omnia pulveriſata cum
„ cacao in vaſe, cochlearis ope miſcenda, parandaque maſſa, quæ
„ teritur iterum ſuper lapidea tabula *aletata* dicta, levi ſuperpo-
„ ſito igne, ubi mixtio probe facta, vitando nimium calorem,
„ ne butyroſæ partes reſolvantur & diſſipentur. Obſervandum
„ etiam, ſimul cum *cacao* addendam eſſe in trituratione achio-
„ tam, ut facilius calor concilietur: pulveres omnes, exce-
„ pto *cacao* per ſetaceum trajiciendi ſunt: ſicque cacao cortex
„ eximatur, delicatior & gratior erit confectio. Tritis & in-
„ corporatis omnibus, maſſa illa fere liquefacta cochleari extra-
„ hetur, formabuntur tabellæ, pyxidibus includendæ, quæ
„ ubi ſimul ac refrigerabuntur, indureſcunt. Prius tamen char-
„ tæ, aut magnis quibusdam arboris foliis, veluti platani Ame-
„ ricanæ affundenda maſſa, & tabellæ formandæ, atque ad
„ umbram ſiccandæ, poſtea eximendæ, & in pyxidibus li-
„ gneis conſervandæ. „ Plures vero adhuc Americanorum
chocolatam parandi modos apud PISONEM, & HVGHESIVM
videre eſt, quo Lector benevolus remittatur.

Suo jam ordine ab Americana confectione ad *chocolatæ* po-
tionem convertimur, cujus tot parandi modi occurrunt, quot
ejus diverſæ confectiones in conſpectum prodeunt. Atque
adeo omnium primus THOMAS GAGE de hac conficienda po-
tione auſcultandus erit, qui hoc modo refert: „ Sunt alii
„ chocolatæ bibendi modi; primo enim diſſolvitur in aqua fri-
„ gida, & ligno denticulato agitatur; ſpuma elevata in alto
„ reponitur vaſe, reliquum cum ſufficiente quantitate ſacchari
„ igni apponitur, & ubi adhuc calidum eſt, ſpumæ prius ſe-
„ paratæ affunditur, totumque epotatur. Sed vulgatiſſimus
„ parandi modus hic eſt: aqua bulliens infunditur crateri,
„ quem ebibere cupis, ad medietatem; inde chocolatæ tabella
„ una, aut altera diſſolvitur, donec inſpiſſata ſatis appareat,
„ mox probe ligno denticulato agitatur, & in ſpumam verti-
tur,

„ tur, tandem reliqua crateris medietas aqua calida cum saccharo repletur, propinaturque; comedendo prius aliquid conservæ, aut massæ panis chocolata intincti. „

Sed cur diu addiscendæ chocolatæ potionis arti immorenur? quam vel etiam mucidæ populares coquæ optime parare norunt.

Quod ad tempus, potionem sumendi attinet, matutinis plerumque horis jejuno stomacho, in sanitatis obsequium sumi solet.

§. XI.

De fructus cacao analysi, ac chocolatæ sorbitionis viribus & virtutibus, ejusque legitimo usu.

E Propius modo videndum, quin sentiendum de cacao analysi est, quod Clarissimus RAIVS sequente tenore tradit: „ Nucleorum cacao non decorticatorum, ait: unciæ „ octo in pulverem comminutæ, & retortæ inditæ sub„ stantiæ adeo fixæ, & difficulter intra se esse prodiderunt, ut „ modica ignis vi nihil redderent præter album quemdam „ liquorem aquæ instar clarum & pellucidum, idque in pauca „ quantitate, quem pro phlegmate habuerunt: aucto igne ad „ eum usque gradum, qui spiritui vitrioli eliciendo sufficit, „ 17. horarum spatio elevatus est spiritus vaporum specie la„ ctei candoris, qui præter aliorum spirituum morem in phle„ gmate subsidet ad fundum vasis recipientis: tandem adhibito „ igne vehementissimo reverberii in vegetabilium destilla„ tionibus minus usitato ascendit oleum intense rubicundum, „ & velut sanguineum, sed pellucidum valde, quod refrigera„ tum crassescit instar olei, seu butyri, aut ceræ. Destillatione „ peracta, caput mortuum unciis duabus, & drachmis septem „ pendere, deprehendebatur, spiritus non admodum fervidus „ erat, sed penetrantissimus, nec gustui, nec olfactui ingra„ tus, quemadmodum esse solent e sanguine, aut carnibus

„ eliciti: oleum pariter mirifice pungit, & penetrat sale su
„ volatili, cujus magnam quantitatem continet, non dum s
„ parato, estque valde aromaticum, & cardiacum, spiritu
„ brevi acescit, quo se acetum copiosum continere prodit
„ atque hac duntaxat analysi separari potuerunt, quæ quamv
„ adeo simplicia videantur, iis tamen, quæ deinceps de eju
„ effectibus dicturus sum, fundamenti loco esse debent. His ita po
„ sitis chocolatæ proprietates, ejusque rationes facilius com
„ prehendentur, neque me quis temere accuset, si vires eju
„ altius extulero. „

At vero quum tot occurrant diversi generis ingredientia quæ Arabicæ potionis massam constituunt, equidem non abs r de vera, eaque præcipua chocolatæ virtute, a qua sors pro spera sanitatis penderet, dubitari cœptum fuit; sed tollit du bium, nihilque dubitationis relinquit COLMENERO, quand his verbis commemorat: „ Calida quidem omnia ejus fere in
„ gredientia observantur, unde totam esse calidam, quis no
„ putabit? sed animadvertendum, *cacao*, aliorum omnium quan
„ titatem in ea superare, cujus quum summe frigidum sit, alii
„ concomitantia ingredientia, frigidas, terrestresque partes *ca*
„ *cao* duntaxat corrigunt. Sicuti igitur duo medicamenta con
„ trariæ qualitatis sua mixtione temperatam compositionem
„ efficiunt, ita actione & reactione frigidarum *cacao* particula
„ rum, & aliorum calidorum ingredientium, *chocolatam* tempe
„ ratam qualitatem, a medio parum dissitam, obtinet. Assen
„ ergo potest, si præcipue piper, & caryophylli eximantur
„ mere temperatum esse, uti experientia & ratione probari po
„ test. Experientia enim, supponendo cum GALENO: omn
„ temperatum medicamentum frigida calefacere, & calida re
„ frigerare, ut aqua tepida frigidam calefacit, calidam refri
„ gerat; patet, & constat, qua ratione chocolata, ut fertur
„ stomachum frigidum calefaciat, calidumque refrigeret „

Con-

Contrarias has qualitates in chocolata ipsummet Auctorem expertum fuisse, ipsus Auctor his testatur verbis: „ Dum ex „ ægrorum visitatione excalefactus redibam, indigenarum per„ suasione adductus chocolatæ craterem hauriebam, quo sitim „ temperari, & refrigerari, in me persentiebam. Econtra vero, „ ubi matutino tempore chyli reliquiæ crudæ, indigestæque me „ debilitabant, & infrigidabant, ab eodem potu manifeste sto„ machum roboratum, & calefactum sentiebam. Sic expe„ rientia constat: ab illius usu, omnis sexus, ac ætatis, tem„ peramentique oppositi plurimos bene se habere, indicio: „ qualitates in iis prædominantes non augeri, quod augmen„ tum alias teste HIPPOCRATE morborum est scaturigo. „

Neque rationum momenta desunt, quibus ea, quæ Auctor protulit, validissime confirmentur: siquidem alias cacao partes esse *terreas* & *frigidas*, alias *butyrosas*, *sulphureas* & *calidas*, vero prorsus consonat, unde frigidum uniri calido, & calidum attemperari frigido, atque adeo temperatum (quod oppositis etiam viribus operatur) conflari totum, rebus penitius inspectis nemo inficietur.

Id vero COLMENERO monet, chocolatæ tabellas minime recens confectas, sed unius saltem acta mensis ætate, quo temporis spatio chocolatæ ingredientia justa temperie induentur, in usum vocandas fore, atque hoc modo temperata chocolata valetudinis rebus & utilitatibus certius, apertiusque consuletur.

Porro, quod ad chocolatæ vires & virtutes attinet, sic nobis videtur: quod, quum pleraque, eaque præcipua ingredientia (ut pluribus supra ostensum fuit) non modo *resolvente*, *attenuante* & *aperitiva*, verum & cum primis *virium*, *spirituumque instaurativa*, hinc *analeptica*, *nutriente* & *balsamica* virtute, & agendi potentia excellant, ipsam quoque *chocolatam* id genus operandi modo & facultate inclarescere, plene planeque consequi videatur.

Hujus

Hujus veritatis testes sunt Divini Præcones, Oratores, a quorum e cathedra dicere interest, qui ante sermonem sumpt chocolata, validiores longe, firmioresque pectoris & vocis vi res, quam sumpto jusculo sentiunt; persoluto autem sacro pens lassi & fracti viribus, hoc nectar litantes, extemplo spiritu resumunt, & in gratiam redeunt, id, quod pari omnino mod viatores, & iter facientes (quos vires ex itinere deficiunt) sib evenire attestantur.

Non possum hic non repetere eximias virtutes, quas supr de ingredientibus recensui, quasque hic ipsa chocolatæ confecti in afflictionibus cum primis *capitis*, *cordis*, & *stomachi*, præcipu in *cerebri*, *viriumque imbecillitate*, *ab immodicis litterarum studiis & lucubrationibus exorta*, *in vertigine*, *animi deliquiis*, *omnimodaque virium deperditione*, *in arroso stomacho*, *ejusque læsa concoctione*, *præsertim ab exantlatis magnis morbis*, *ab excessivis purgationibus*, *vomitionibus*, *dysenteria*, *diarrhæa*, *lienteria* profectis, aliisque malis & symptomatis, ab inanitione, seu spirituum, viriumque defectione promanantibus, pollicetur, quibus egregie chocolata medetur, sacramque præbet panacæam.

Vere igitur, & eleganter Clarissimus MEISNERVS, Medicinæ Interpres Regius de chocolata argumentatur, in hæc profusus verba: *omnibus igitur in morbis*, *in quibus sal acre*, *sive sit vel biliosum*, *vel acidum*, *vel austerum*, *& muriaticum*, *ubi tanquam caussa morbifera accusatur*, *misere decumbentibus solamen & levamen afferre poterit.*

Qua de caussa, quum id nectar Arabicum, ut ex hucusque recensitis abunde liquet, egregia humorum viscidorum, minusque fluidorum virtute abstersiva & aperitiva, liquorum vero acrium & acidorum præcipitante & temperante facultate, atque incredibili spirituum & virium quovis modo perditarum potentia resplendeat, ceu generale adversus plerasque humani corporis ærumnas & ægritudines antidotum respiciendum, & salutandum fore, asserere, nihil veremur.

Ena-

Enarremus modo morbos, & ægritudines, quibus saluberrima chocolatæ sorbitio ex concordi Medicorum calculo præsentissima opitulatione adesse fertur: atque adeo in primis *quævis lassitudo*, & *quæcunque virium prostratio*, *defluxiones capitis*, & *sensuum imminutiones*, *vertigo*, *cephalalgia*, *apoplexia*, *paralysis*, *tussis*, *catarrhus*, *phtysis*, *tabes*, *inappetentia*, *vomitus*, *cardialgia*; *animi deliquia*, *diarrhæa*, *dysenteria*, *lienteria*, *affectus hypochondriacus*, *alvi obstipationes*, *scabies*, *scorbutus*, *arthritis*, *podagra* &c. mala sunt, & ærumnæ, quibus chocolata validam fert opem, & ocyus medetur.

Piaculo certe mihi ducerem, si Litteratos, & venerabile Senium hic oblivioni darem, quibus plerumque spiritus & vitalis, & animalis inopia, viriumque penuria languentibus, moderatum chocoltæ usum (perditos spiritus reparando, & dissipatas vires instaurando) mirum dictu! patrocinari, experientia non una ratum, compertumque habetur.

Porro præter observationes plurimas, quibus dicta chocolatæ virtus stabilitur, assertoque nostro integerrima fides præstabitur, hanc unicam ex celeberrimi MANGETI *Bibl. Pharm. lib. 3.* excerptam addam, quæ una omnium instar sufficiet, hæcque in terminis habet: „ Octuagenarius, constitutionis natura
„ debilioris, qui loco omnis alterius alimenti per tres integros
„ annos chocolata cum ovi vitello in aliquot jusculi carnium
„ cochlearibus dissoluta utebatur, eaque in totali aliorum cibo-
„ rum aversione, & vitam & vires, quas maxima caducitas
„ sperare permittebat, propagavit. Sic & hodie alium adhuc
„ superstitem habemus nonagenarium, qui chocolatæ usui fir-
„ mam satis valetudinem, quamvis cum memoriæ prope deper-
„ ditione, præcipue debet.

Sanis ergo & valentibus una, aliave refectio in septimana jejuno stomacho, præcipue vero senibus, litteratis, imbecillibus, quibus etiam dosis repetatur, indulgetur, quo sumpto nectare per horam saltem a labore, cibis & studiis abstineatur,

 ut

ut ingeſta chocolatæ ſorbitio promptius in ventriculo digeri, digeſta in reliquas corporis partes diſtribui poſſit.

§. XII.

De Chocolatæ abuſu.

Etametſi ex omni parte beata in hominum aures, oculosque eluceſcat *chocolatæ* ſorbitio: verumtamen vel ſolus ejus uſus immodicus, ſeu abuſus ſufficiunt ad labem tam beato pharmaco aſpergendam, idque contaminandum nectar. Præterquam enim, quod omne nimium Teſte Medicinæ oraculo HIPPOCRATE in vitium vertatur, ſaccharum in ſpectata quantitate ad libras nempe chocolatæ confectioni additum, non raro ſuas deleterias vires exerit, quippe id promptius in ventriculo, præſertim *flatibus, & acido-viſcidis & acribus ſordibus* turgido, fermentat, ocyus in novos flatus, & ſordes *acido-viſcidas* & *bilioſas* commigrat; adeoque labem labe creſcere, saccharumque cruditates morborum genitrices augere, non una duntaxat, verum innumeris obſervationibus Medicis apertius conſtat.

Prodeat jam ſpectatæ doctrinæ Æſculapius THOMAS GAGE, qui pro firmanda noſtra ſententia, ſatis, ut opinor, clare concludit, en prolatu digna Auctoris verba! „ Obſervavi, ait: „ tantum ab eo, nempe *chocolatæ* potu, male habuiſſe quosdam, „ vel quia ſaccharum nimium admiſcebant, quod ſtomachum „ relaxat, vel quia nimia copia eam propinare ſolebant: at „ ſane non ſolum *chocolatæ*, ſed alii omnes liquores, quodſi „ nimis potentur, quamvis alias optimi, noxii penitus eva- „ dunt; ergo ſi ab ejus uſu obſtructiones natæ ſunt, id ab aſſumpta „ ejus copia evenit. Sicuti enim, quum vinum plus nimio pota- „ tur, non amplius roborat, & calefacit, ſed frigidos morbos gene- „ rat, natura illud vincere non valente: ita ſi chocolatæ nimiæ „ quis indulgeat, pingues, ac butyroſæ partes, quibus abun-

„ dat,

„ dat, non rite ubique per corpus diſtribuuntur, & neceſſario „ in capillaribus epatis venis reſtitant, & tandem obſtructio- „ nes gignunt. „ Ex quorum itaque verborum tenore clarum utique & perſpicuum conficitur: quotidianum in primis *chocolatæ* uſum, adeoque abuſum ob *pingues*, *terreas* & *butyroſas* partes, quas in ſinu ſuo *chocolata* continet, ceu fœcundas obſtructionum genitrices, procul dubio deteſtandum fore; quod *hypochondriacis* præcipue & *hyſtericis*, aliisque (quorum ventriculus, inteſtinorum canalis, & viſcera abdominis, *a flatuum & humorum acido-viſcidorum* labe, quæ obſtructionibus & infarctibus materiam, fomitemque ſuggerunt, contaminantur) cautum eſſe volumus, utpote, qui præ aliis, tanquam ex ſpiſſitudine humorum ad morbos contrahendos jam diſpoſiti promptius labem ſubeunt, a *terreis pinguibus*, *butyroſis*, & *dulcibus* chocolatæ partibus citius offenduntur, ac denique brevi in morbos ruunt, & ægritudines.

Hic igitur eos nominemus, quos cautius & frugalius cum chocolatæ cupediis mercari præſtat. Atque adeo cum primis *helluones*, & *commeſſatores*, quorum ventriculus aſſiduo ſordibus turget; *Litterati* quoque, qui ſpeculando & lucubrando, vitamque agendo ſedentariam, dies horasque tranſigunt, bene tamen ingerunt, & minus egerunt; *ſexus item ſequior* ſuæ ſeſſionis cauſſa, præ nobiliore, nec non *hypochondriaci*, & *melancholici*, *cachectici*, & *hydropici*, & quorum viſcera infimi ventris, *hepar*, *lien*, *meſenterium* obſtructionibus ab *acido-viſcido* pendentibus detinentur, chocolatæ exceſſus vel ex eo angue pejus fugiant, quod horum primæ viæ, ventriculus nempe, & inteſtinorum canalis ingente *flatuum*, *atque humorum acido-viſcidorum*, *& viſcido-acidorum*, *nec non bilioſorum putridorum* colluvie plerumque jam turgent, & obſidentur; quibus ſi chocolatæ partes *pingues viſcidæ*, & *butyroſæ* accedant, labem labi addi, creſcere mala & augeri, langueſcere valetudinem, gliſcere morbos & pullulare ægritudines,

quæ

quæ excessivo chocolatæ potui in acceptis referenda sunt, quotidianis exemplis stabilitur.

Ne hic eos, easque prætercam, qui & quæ a teneris, & ex natura sua *dulcia quæque, mellita & saccharata* aversantur, quibus delibatis, quo & paululo gustati mellis pejus ocyus habent, propediem in mala varia & symptomata, *præcordiorum* nempe *angustias & anxietates, pallorem faciei, animi deliquia, convulsiones, pectoris & colli strangulationes* ruunt, ut jam animam agere videantur, donec tandem in gratiam redeant; hos inquam hoc modo dulcia aversatos, *chocolatæ* illecebris, ob largiorem sacchari quantitatem, quæ confectionem ingreditur, ne nimis indulgeant; nectaris vero hujus abusui prorsus terga vertant, iterum, iterumque omnibus modis hortari juverit.

Hic modo id addendum erit, quod, qui dulcia ferre possunt, eorum tamen stomachus & intestina variis putridis sordibus scatent, has sordes leniter purgante pharmaco e corpore tollendas fore, atque tunc demum, & mundato corpore moderato chocolatæ usui locum fore; teste namque HIPPOCRATE: *Corpora impura, quo plus nutriveris* (nutries autem impura, sorbendo chocolatam) *plus læseris.* Id, quod rursus notari meretur.

Inde est, in morbis ab *inanitione, viriumque defectione*, ut supra jam ostendimus, potius, quam in ægritudinibus a *putridis sordibus, cruditatumque, & materiæ peccantis morbificæ repletione*, seu *humorum corruptorum redundantia* pendentibus chocolatæ sorbitiones conducere, quarum abusus reprobandos, genuinos vero usus non indulgendos modo, verum etiam summopere commendandos fore, tum Medicis, tum artis Medicæ hospitibus & advenis certum & expeditum est; unde chocolatæ abusui Poeta Æsculapius his verbis valedicit:

O tu grata chocolata
Nostro nuper stomacho,
O quam dulcis, quam amata!
Te valere jubeo.

Nunquam sanus absque cura
Te bibit caliculis,
Pitissando immatura
Morte vitam conficis.

§. XIII.

§. XIII.

De Thee, Caffee, & Chocolata Patriis, Europæis, & Germanicis.

Quibus res angusta domi est, curtaque supellex, quibusque minus delicatulus palati genius imperat, eos id genus exoticis, barbarisque sorbitionibus, in quarum momentis hucusque versabamur, optima fide carere, & patrias potiones habere in deliciis (quæ nostris æque, ac exteræ illæ cupediæ valetudinis commodis servient) nobis persuasissimum est, id, quod propius invictis rationibus demonstratum dabitur. Siquidem verbis, promissisque facturus fidem hanc argumentandi veniam mihi exoravero: vel *sani sunt*, & *incolumes, vel infirmi, & morbis laborantes*, qui externis & exoticis his cupediis delectantur? Si primum est, sanique sunt & incolumes, ad quid medicina? nunquid enim sententia ORE DOMINI sacrata pridem enunciatum est: MATH. CAP. IX. *vers. 12. Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus.* Dum vero posterius est, tuque infirmos inter ac ægrotos luges, & ingemiscis, ecce Europa, en chara patria! quæ patrias tibi cupedias suggeret, patriaque subministrabit, *Thee* nempe *Germanicum, Chocolatam* & *Caffee patrium*, quæ certe vires, virtutesque istorum exoticorum vegetabilium non modo adæquant, verum non semel quoque longo post se relinquunt intervallo.

Atque adeo cum primis in morbis capitis, *defluxionibus* scilicet, *cephalalgia, vertigine, sensuum in- & externorum languore & hebetudine, coryza, catarrhis, vertigine, apoplexia, paralysi* &c. herba *salviæ* & *betonicæ, floresque lavendulæ.* In affectibus pectoris, *tussi* nempe, *asthmate, hæmophtisi*, & *phtysi, empyemate*, herbæ *veronicæ*, & *scabiosæ*, ac *tussilaginis*, & flores *papaveris.* In morbis ventriculi & intestinorum, *cardialgia* scilicet, *appetitu dejecto, læsa concoctione, ructibus acidis, flatibus*, & *vomitibus* &c. herba

 men-

menthæ, & *ſumitates abſynthii*, ac flores *chamomillæ vulgaris*. In morbis uterinis herba *meliſſæ*. In cruciatibus renum & veſicæ, *calculo* ſcilicet, *lapillis*, & *arenulis* herba *veronicæ*, *malvæ*, radices *petroſelini*, cum aliquot *granis juniperi contuſis*. In *obſtipationibus alvinis*, *Litteratorumque peſte hypochondriaca* herba *veronicæ*, & *agrimoniæ* cum floribus *borraginis*, *bugloſæ*, *acaticæ* & *chamumillæ* cum *corticibus citri*, vel *aurantiorum* ſi more thee uſurpentur; item brodia carnium radicibus *cichorii* & *graminis* cocta & alterata. In tormentis & doloribus artuum, *arthritide* ſcilicet, malo iſchiadico, chyragra, podagra; item in ſcabie, & quibusvis cutis defœdationibus herba *veronicæ* & *chamædrios nobilis*, *ac fumariæ*, cum floribus *paralyſeos*. In *torminibus* & *doloribus colicis* ſummitates *millefolii* & flores *chamumillæ* optato auxilio, & præſidio erunt, quando in his recenſitis morbis & afflictionibus enumeratas plantas, radices, herbas & flores mane & veſpere in dies Chinenſis thee potus & infuſionis more in longius tempus (ſervato exacto diætæ regimine) in uſus vocare placuerit, quibus optatos effectus reſponſuros eſſe, nihil dubitamus. Id vero hic hortari præſtat, id genus vegetabilia recenter collecta non ad ſolis radios (qui plantas has ante uſum viribus ſuis exuerent) ſed ad umbroſa loca ſiccanda eſſe; quo fiet, ut vires ſuas & virtutes plantæ ſervaturæ ſint, atque in temperato loco aſſervatæ cum valetudinis fructu, commodoque uſui dari valeant.

Jam vero *caffee*, & *chocolatæ* loco cum primis in *junioribus* & *calidioribus*, *gracilioribus*, *ſanguineis* & *cholericis* complexionibus jejuno ſtomacho *brodia carnium macra vel ſola*, *vel ſucco limonum pro re nata acidulata*, aut *cremores hordei*, *vel avenæ tenues*, *cum brodiis carnium macris*, *inſalitis*, *ac recente butyro cocti*, *atque aliorum ciborum more ſale conditi*. At vero in *melancholicis*, *pituitoſis*, *pinguibus & frigidioribus naturis & complexionibus brodia carnis macra vel ſola*, *vel quibus aliquid radicis cichorii hortenſis*, *vel ſylveſtris*, *parumque* (*præſertim in alvi obſtipationibus*) *radicis graminis lento carbonum igne*, *& tecto vaſe ad aliqualem usque juris amaritiem inco-*

qua-

quatur, ſuffici poterunt, quæ patria & domeſtica remedia, tutiora longe & ſecuriora, barbaris iſtis, & exoticis præſidiis, certius quoque, & ſecurius tuæ valetudinis rebus & proſperitatibus proſpectura, atque humani corporis fortunis & utilitatibus gradus additura eſſe, a prudentum nemine in dubium vocari poteſt.

SECTIO X.

De motu & quiete corporis, ſaluberrimis ſanitatis præſidiis.

§. I.

Adeo mortalium animis inſedit notio *motus corporis*, ut quis congenitus hujus vocis ſenſus ſit, non Doctos modo inter & Eruditos, verum etiam rudes inter & ſtupidos ſufficientiſſime conſtare, merito arbitremur. Verumtamen, quum hic motus cenſum Eruditorum ſubit, eum ſequente modo definire, ne vanus quidem, irritusque conatus fuerit. Vnde ajo:

MOTVM CORPORIS (de quo hic nobis ſermo) *voluntariam humani corporis exercitationem eſſe, ad varios uſus, & commoda, præcipue tuendæ ſanitatis gratia, inſtitutam, & deſtinatam.*

Ad vos igitur cum primis optimarum artium ſtudiis conſpicui, omnique diſciplinarum intelligentia Viri Cultiſſimi! qui immodica ſeſſione præ aliis in motus nefas leges committitis, atque immoderatius litteris adjicitis animum, convertor, idque unum a vobis mihi dari contendo, ut motuum uſus & utilitates pretioſiſſimæ ſaluti veſtræ adeo ſalutares futuras tota mente percipere haud dedignemini.

Quam ob rem cum primis motuum exercitio, non univerſum modo humanum corpus, verum etiam quævis humani cor-

corporis partes, quum *ſolidæ*, tum *fluidæ* atteruntur, loco moventur, & agitantur, ſpeciatim ſanguinis motus *progreſſivus* & *inteſtinus* accelerantur, ejus circulatio, itus & reditus facilitantur; *liquida* & *fluida* celeriore curſu per vaſorum & vaſculorum alveos feruntur; vitalis purpura e corde, & vitæ fonte egreſſa arterias & viſcera majori niſu permeat, promptius per venas redit, priſtinumque vitæ fontem repetit; porro motus voluntarii beneficio undique ſaluberrima ſanguinis adjuvatur circulatio, qua ſtante ſalva & integra congenitus humani corporis calor augetur, naturales omnis generis excretiones promoventur, inviolatus actionum *naturalium*, *vitalium* quoque & *animalium* triumviratus conſervabitur; atque adeo moderatus corporis motus inæſtimabili ſanitatis bono & pretio inviolabilitatem conciliat, vitæque longævitati inconvulſum robur addit.

Ait igitur veriſſime Medicinæ Parens HIPPOCRATES EPIDEM. VI. *Sect. 4. Sanitatis ſtudium eſſe, impigrum eſſe ad labores.* Cui mox ſua addit ſuffragria GALENUS, qui *Libr. de bon. & vit. ſucc.* effatur: *Maximum malum ad ſanitatis cuſtodiam eſſe omnimodam corporis quietem: maximum econtra bonum eſſe motionem & exercitationem moderatam.*

Atque hic e veſtigo ſubjungit Author, fateturque ingenue: quod quousque ſedulam exercitiorum habuiſſet curam, eousque nunquam male concoxerit, ſemper valuerit, ſanusque & incolumis multos tranſegerit vitæ annos.

Operæne erit pretium in robur ſententiæ noſtræ hic uti authoritate ARISTOTELIS? erit utique. Tametſi enim Philoſophi diſciplinæ Dialecticæ hiſce jam temporibus propemodum emori, & jam jam agoniam agere videantur, ejus tamen dogmata, & cum primis ſaluberrimas temperantiæ leges, morumque præcepta, maximi pendenda eſſe, minime inficiamur: unde rogatus aliquando Stagirita SECT. I. *Probl. 47.* cur cibum minuere, & laborem augere ſalubre ſit? reſpondiſſe fertur:

Quia

Quia cauſſa morborum eſt excrementorum copia, quæ tunc generatur, quum vel cibus ſupereſt, vel labor deeſt.

Quantum igitur utiliſſimum motus exercitium in primis ad naturalium humani corporis excretionum ſalubritatem (a qua vitæ, valetudinisque ratio potiſſimum pendet) conferat, excretionum principatus, *alvi* nempe, *inſenſibilis perſpirationis*, & *urinæ* naturalis ſucceſſus teſtatur, quas excretiones non ſolum motus ſuo conſervat ordine, verum eas quoque læſas, diminutas, aut ſuppreſſas egregie adjuvat, ad ſtatum naturalem, ſuumque ordinem revocat, ut adeo violata prius ſalus reflore-ſcat, atque rurſus læſa ſanitas redintegretur. Qua vero ratione principibus his excretionibus motus exercitium patrocinetur, ſuis rationum momentis ponderabimus.

Qua de cauſſa corporis motu & exercitatione cum primis ventriculi & inteſtinorum fibræ, & nervoſæ tunicæ concitantur, ſpirituum animalium in nervos influxus ſollicitatur, hinc motus ventriculi & inteſtinorum periſtalticus adaugetur, excernenda in inteſtinorum canale latitantia excrementa loco moventur, & præcipitantur, atque adeo ad anum usque protenſa, continuata una motuum ſerie & ordine, unaque natura ſtimulante, alvus ſolvitur, alvique excrementa, porta patente, e corpore amandantur.

Quanta modo efficacitate corporis motus alteri excretioni, excretionum naturalium facile principi, *inſenſibili nempe perſpirationi* (quæ SANCTORIO teſte, plus omnibus aliis excretionibus, noxiæ & materiæ peccantis e corpore tollit, & evehit) faveat, ocyus expendendum ſumemus. Scitu igitur dignum eſt: hanc excretionem abſolvi, quando ſordes, & particulæ *ſalino-ſulphureæ*, & *halituoſæ acres* lege motus arteriarum, & circulationis ſanguinis ad glandulas ſubcutaneas deferuntur, ibidemque a ſanguine ſegregantur, ſegregatæ coadjuvante debita fibrarum cutis diſtenſione, apertis cutis poris, & meatibus, qua data porta ruunt, e ſede ſua mutantur, & eliminantur e

corpore; motu vero, & labore corporis cruor celerius per vasa fluit, circulatur velocius, promptiusque ad colatorium subcutaneum fertur, hinc cutis hiant meatus, adeoque hanc saluberrimam excretionem subcutaneam, seu *insensibilem perspirationem* motuum exercitio augeri, & gradus sumere, ex natura rei consequi videtur.

Paulo minoris momenti urinæ demum excretioni corporis motum ferre suppetias, nuspiam dubitatur; siquidem hæc urinæ excretio peragitur, quando serum urinosum circuli sanguinis occasione per arterias emulgentes ad renes advehitur, in renibus nervearum & musculosarum tunicarum motu tonico a glandulis renalibus separatur, separatum in renum cavitates, *pelves* dictas deponitur, ex his per ureteres lotium in vesicam transit, in qua ad tempus asservatur, atque suo tempore hortante natura e corpore proscribitur, & exturbatur, quum itaque partes excretioni urinæ destinatæ, *arteriæ nempe emulgentes, renes, ureteres, ac vesica urinaria*, nec non liquida, & materia urinosa corporis motione agitentur, & concitentur, ipsam hanc urinæ excretionem motu corporis adjuvari & accelerari, ex mira motuum consensione cum materia, & materiæ cum motibus harmonia, optime posse colligi, opinamur.

Haud absimili modo excretiones reliquas *sordium* scilicet per aures & oculos, *muci* & *phlegmatis* per nares, os & pectus succedere, & motu corporis promoveri, pro rato & comperto habemus: quia scilicet partes his excretionibus dicatæ, & materia in iis contenta, excernenda, motu corporis concitantur, & agitantur, materia fluida redditur, & ad exitum disponitur, disposita per propria corporis emunctoria e corporis latebris exterminari solet.

Vere igitur, & accommodate in res nostras sensisse, visus est SANCTORIVS, dum *Lib. de Motu & Quiete* §. 9. conceptis verbis asseruit: *Exercitio corpora motu leviora fiunt, omnes enim*

par-

partes, præcipue musculi, & ligamenta motu ab excrementis purgantur, perspirabile ad exhalationem præparatur, & spiritus tenuiores fiunt.

Porro asseverat Celeberrimus Halæ Magdeburgicæ, Medicinæ Interpres: ad tuendam valetudinem, & morbos avertendos motu corporis non dari potentius, & excellentius præsidium, quando hoc modo præclaris refert vocibus: „ Homines „ laboribus dediti a multis gravibus, & chronicis passionibus, „ *calculo, podagra, arthritide, quartana, malo hypochondriaco, cachexia, scorbuto, hydrope* plerumque immunes degunt. Nihil enim „ magis sanitati adversatur, quam diuturna quies, ac vita se- „ dentaria cum humidi defectu; cui si quis se totum tradit, fa- „ facillime ejusmodi morbis corripitur, qui ab humorum copia „ æque, ac impuritate, eorumque stagnatione, infarctu & „ obstructione in visceribus suam originem trahunt; quo- „ rum tamen omnium præservatio quam maxime in motu quæ- „ renda est. Motus enim exundantem humorum copiam con- „ sumit, eosque ab excrementitiis sordibus probe depurat. „ Deinde fluiditatem humoribus conciliando, eosque fortius „ per vasa impellendo tenuissimorum tubulorum alveolos aper- „ tos servat, quibus occlusis conferta morborum agmina pro- „ ducuntur. „

En modo Medicinæ principem GALENVM! qui motum, ceu generalem quamdam medicinam, a qua eximia adeo in corpus humanum redundant beneficia, celebrat, atque artificiosæ vitiosorum humorum purgationis supplere vices, existimat, dum COM. XI. §. 3. in terminis ait: *Exercitatio supplet purgationem vitiosorum humorum, qui in corporis profundo sunt.* Huic prælaudatus SANCTORIVS accinit, dum *loc. cit.* in hæc verba prodit: *Si homines exercitio & labore uterentur, carere possent multis Medicis, & Medicamentis.*

Atque hinc VERVLAMIVS LIB. IV. *de Augment. Scient. Capit. 1.* concludit: *Vix aliquam in morbum inclinationem inveniri, quæ non exercitatione quadam propria corrigi possit.*

Quin immo ne id forte temere pronunciavero: non corpus modo, ſed & animam ex intimo nexu animæ cum corpore, ac intercedente corpus inter & animam ſumma conſenſione, exercitatione corporis affici, & recreari; certum enim omnino eſt, & evidente experientia liquet: quod, quo perfectiora animæ inſtrumenta ſunt, quo & magis ad agendum diſpoſita, eo perfectius anima operetur; id, quod ipſum PLATINVS confirmat, quando LIB. DE TVEND. VALETVD. *pag. 145.* his verbis inquit: *Stomachus motu, in quo calor ineſt, ad appetitum excitatur, & mens ad cognitionem rerum occultarum, & mirabilium celerior, & acutior redditur.*

Id, quod PLATINVS, palam confeſſus eſt PLINIVS, qui EPISTOL. VI. *Lib. 1.* ait: *Mirum quoque eſt, quam animus agitatione, & motu corporis excitetur.*

In eandem itum fuit ſententiam ab incomparabili illo morum Magiſtro SENECA, qui LIB. I. *pag. 56.* de tranquillitate confirmat: *quod eorum animus, qui in aperto aere ambulant, ſe ſe attollat.*

Atque adeo, quoniam moderatus corporis motus non ſolum omnis generis excretionibus ſuam commodat opem & operam, verum etiam humano corpori tanti momenti beneficia præſtat, mirumque dictu! ſanitatis opibus & facultatibus patrocinatur, corporis motum, & exercitium omnibus & ſingulis, cum primis tamen vitæ ſedentariæ litantibus, & Litteratis gravius inculcare, noſtri eſſe muneris, exiſtimavimus.

§. II.

De motuum differentia, & inprimis de motu moderato, ſeu deambulatione in plano, leni & tardiore equitatione, ac vectione.

Non temere modo, & promiſcue, ſed ex induſtria, & debita circumſpectione motuum exercitio utendum eſſe, oculis tuis videbis, quando non ſolum *diverſos hominum ſtatus, ætates, naturas, morbos* & *ægritudines*, aliasque circumſtantias,

tias, verum etiam diverſa motuum genera, *deambulationem nempe in plano, ambulationem per acclivia, curſum, equitationem, vectionem, globulorum luſus, palæſtras, venationes, navigationes, pilæ minoris luſus, ſaltationem, geſtationem, ſermones, clamores, diſputationes*, &c. conſideraveris, ex quibus tot circumſtantiis ipſa motuum differentia, qua motus in primis in *vehementem & lenem, tardum & celerem, continuum & interruptum, longum & brevem, exceſſivum & deficientem, moderatum & immodicum, in univerſalem totius corporis, & particularem unius, vel alterius partis*, dividitur, derivanda eſt, ſuosque natales ſumit.

Quapropter ſpeciatim de his motuum generibus acturi, mox a *motu moderato*, ſeu *deambulatione in plano* (per quam is intelligitur motus, qui intra limites continetur, quo & corpus moderate movetur, qui & ſine ſubſequente laſſitudine terminatur) ducemus exordium.

Atque adeo hoc motus genere humani corporis partes tum *ſolidæ*, tum *fluidæ* leni, & æquali motu, niſuque commoventur, motus humorum intrinſeci *reſolutorius, inteſtinus* & *progreſſivus*, atque partium ſolidarum *tonicus* blande adjuvantur, unde *fluidorum* circulatio, ac *ſolidorum* robur, viresque adaugentur; actiones & excretiones, cum primis *ciborum concoctio*, alvi & *urinæ ſolutio*, nec non *inſenſibilis perſpiratio* gradus ſumunt, hinc moderatum corporis motum, ſeu deambulationem optatæ valetudinis commodis & facultatibus præſentiſſima ſua opitulatione adeſſe, a vero minime alienum eſſe videtur.

Atque adeo id genus motuum exercitatio non modo omnibus & ſingulis utilis & ſalutaris, verum etiam in primis *Litteratis, & vitam ſedentarium viventibus, intenſiusque in litterarum ſtudia incumbentibus, nec non obſtipationi alvinæ obnoxiis, languenti item ſtomacho præſertim ſordibus acido-viſcidis, bilioſis & putridis, ac flatibus* onuſto, finita menſa, aut concoctione ad finem vergente, peractu neceſſaria eſt, id, quod ratio valetudinis, & vitæ ſalus efflagitare videntur.

At vero, quos vires obambulandi destituunt, ut non raro fit in malo *confirmato hypochondriaco*, & *hysterico*, in *cachexia*, *febribus tertianis & quartanis*, *asthmate*, *tussi hypochondriaca*, *cardialgia* & *qui paulo ante graviores morbos exantlarunt*, &c. aliud iis corpus suum movendi genus, *lenem* nempe, & *gradariam equitationem*, qua in tutis collocentur, assignandam fore, minime dubium, minimeque obscurum esse potest.

Siquidem hoc equitationis motu & exercitio viscera praesertim, & partes abdominis, *ventriculus*, *intestina*, *mesenterium*, *renes*, *pulmones* &c. plus minus pro diverso equitationis gradu agitantur & concitantur, humores in visceribus stagnantes concutiuntur, & loco moventur, obstructiones, si quae adsunt viscera obsidentes solvuntur, fluida impura, sordesque in viscerum tubulis & alveolis hinc inde congestae, redduntur fluxiles, suaeque circulationi restituuntur; partium solidarum fibrae & nervi flaccidi firmantur, pristinumque robur induunt; quibus ita constitutis naturalis ventriculi, & intestinorum calor redit, diminutae humorum excrementitiorum excretiones redeunt, praecipue *alvi* & *urinae* solutiones repetunt, atque suppressae ad statum, ordinemque naturalem revocantur. Unde praecipue in praefatis morbis & calamitatibus, *malo scilicet hypochondriaco*, *& hysterico*, *in cachexia*, *febribus tertianis*, *& quartanis*, *asthmate*, *tussi hypochondriaca*, *cardialgia* &c. a labe obstructionis viscerum infimi ventris pendentibus a saluberrimo equitationis praesidio miras ferri suppetias, vel ex eo stabilitur, quod equestri motione vultus ocyus vivido colore suffunditur, appetitus crescit, & augetur, induitur novo vigore, & alacritate animus; ex quo utique discimus: equitatu *solida* & *fluida* in motus concitari, sanguinis, & spirituum motum & circuitum accelerari, unde vividus faciei color, nec non saluberrima obstructionum abdominis solutio, spesque pristinae valetudinis natales ducunt.

Addam

Addam hic, quæ prælaudatus Halæ Magdeburgicæ Consiliarius HOFFMANNVS de equeſtri motu profert: quando *loc. citat.* ait: Tanta ſanandi vi & facultate equitationem excellere, ut in diſpoſitione *hectica*, *phtyſica*, *ſcorbutica*, & *cachectica* aliis quibusvis præſidiis præſtare, iisque longe ſuperior eſſe reputetur.

HOFFMANNO concordi calamo ORIBASIVS accedit, qui LIB. IV. *Cap. 24.* his verbis ſcribit: *Equitatio magis, quam omnes reliquæ exercitationes corpus præſervat, ſtomachum confirmat, & ſenſuum organa purgat, eaque reddit acutiora.*

Denique ad tertium modo motuum genus, *familiarem nempe vectionem in curru* reflectamus calamum, atque quam beatas, ſalvas & integras humani corporis fortunas & proſperitates reddat hæc motio, rurſus videamus.

Atque adeo, *quorum vires ferendæ ambulationi & equitationi impares ſunt, minusque ſufficiunt, Litteratis item, & alvinæ obſtipationi obnoxiis, hypochondriacis, melancholicis, & quorum viſcera abdominis infarctibus & obſtructionibus gravantur, imbecillibus, & vitam ſedentariam viventibus, aſthmaticis, calculoſis incipientibus* &c. vectionem in curru, via plana, & aura ſerena inſtitutam, opportuniſſimo, accommodatiſſimoque præſidio fore, e veſtigio ſuo rationum pondere eluceſcet.

Siquidem hujus motus beneficio *ventriculus, & in primis abdominis viſcera, hepar, lien, meſenterium, & inteſtina* &c blande commoventur, humores in iis contenti ſpiſſiores & ſtagnantes leniter atteruntur, & ſolvuntur, hinc priſtinam fluiditatem ſubeunt, eorum itus & reditus, ſecretiones & excretiones, actionumque integritas redeunt, atque adeo reflorere amiſſam valetudinem, & ſalutem perditam reparatum iri, nullum ſubit dubium.

Porro omnia iſta, quæ equitatio præſtitit, vectionem quoque præſtituram eſſe, ſi moderata fuerit, & jejuno ventriculo, ac aura ſerena celebretur, adeoque mirifice bona corporis, ac valetudinis opes & facultates tuituram eſſe, veritatis amans minime inficiabitur.

§. III.

§. III.

De Peregrinatione, & venatione.

Peregrinationes, quæ tam motus corporis faciendi caussa, quam aeris mutandi gratia instituuntur, summa inter sanitatis tuendæ præsidia reputandas esse, norunt jam optime, & redoluerunt Majores nostri, quibus, suo jam ævo male habentibus, peregrinationibus nihil habere prius, nihil antiquius, solemne erat; unde in loca puriora & salubriora, quibus salubrior aer dominabatur, commigrare & concedere, præsentem valetudinem conservaturi, aut salutem perditam redintegraturi, Majores nostri nuspiam dubitarunt, quos minime latebat: duplex peregrinando in humanum corpus redundare beneficium, unum nempe, quod suggerit motus corporis; alterum, quod mutatio aeris, seu novi aeris salubritas suppeditat: peregrinatio namque ea commoda, ea emolumenta, quæ ab equitatione, aut vectione proveniunt, humani corporis valetudini præstat, quin valetudinis commoda mutatione aeris augentur & gradus sumunt: quippe ad salubriora loca aditus non modo novitatum imagines exhibet, quarum obtutu recreamur, pascuntur oculi, perfunditur voluptate animus, verum etiam grata amicorum societate mens ab adversis arcetur & revocatur, in turbidis reficitur, nec non ad saniora reversus animus consilia, novis solatiis delectatur; quibus omnibus novi, & salubrioris aeris ratio accedit; atque rebus ita stantibus *solidorum*, & *fluidorum* humani corporis motus elevantur, sanguinis, & humorum cursus, itus & reditus per vasa sua, & canaliculos adaugentur, fibræ debiles, nervique pristinum robur subeunt, solidarum partium perditus tonus, & elater instaurantur; unde naturales excretiones restitui, quibusvis humani corporis actionibus subsidia ferri, adeoque pristinam redire valetudinis sortem,

tem, resque, ſpesque optatæ ſalutis refloreſcere, explorata res eſt, id, quod nemini ulli controverſum eſſe poteſt.

Quæ modo de peregrinatione recenſuimus, ea ipſa de moderato venationis exercitio intellecta eſſe, contendimus, cujus ſalubriores effectus a balſamico nemorum aere, miroque feras inſectandi deſiderio, & cupidine auctum iri, arduæ haud erit operæ, id ſibi perſuaſum habere.

§. IV.

De Sermone, Vociferatione, Geſtatione, & Frictione.

Non vacat jam *ſermonis, vociferationisque* notioni immorari, vel enim lingua ſonum edat, voculamque exprimat, & ecce! quæ abdita erant, & delituerant, palam jam, & in aperto erunt.

Notio igitur potius *geſtationis, & frictionis* nobis adeunda eſt, quam ocyus ſiſtemus coram. Vnde

GESTATIO in ſenſu Medico *ea corporis motio eſt, qua corpus navi vectum, vel portatum in lectica, de loco in locum ferri, moverique ſolet.*

Qui adeo viribus deſtituuntur, ut nec pedeſtri gradu incedere, neque ferendis *equitationis,* vel *vectionis* motibus ſuppares eſſe exiſtimentur, iis geſtationem, motionum omnium facile commodiſſimam commendare præſtat.

Siquidem hoc motionis genere omnes humani corporis partes, quum *ſolidæ*, tum *fluidæ* blando & æquali motu moventur, ſanguinis, humorum & ſpirituum motus, & circuitus adaugentur, partes ſolidæ nervi & fibræ firmantur; hinc languentes excretiones ſollicitantur, actiones quæque perficiuntur, atque univerſo corpori novus vigor, novæque vires conciliantur, unde ſalus perdita reparatur, renaſcitnr ſanitas, ejusque arroſæ opes & proſperitates redintegrantur.

Imbecillibus igitur, languentibus, & cum morbis chronicis, *arthritide* ſcilicet, *podagra*, *paralyſi*, *apoplexia* &c. conflictantibus, iisque cum primis, qui ex virium inopia ſibi ipſis movendis non ſufficiunt, geſtatio opportuniſſimo præſidio eſt, quo in priſtinam redire licet gratiam, id, quod omnibus in confeſſo erit.

Quod modo ad *frictionem* attinet, motuum genus eſt, quo non minus debilibus, quam ſenibus, & ægritudine quadam decumbentibus, corpus, ejusque partes, & artus, dum quodam morbo afficiuntur, pannis aſperis, & linteis, tepidis, calidis, & pro re nata fumigatis, laborante nempe capite caput, læſo abdomine, ejusque viſceribus & actionibus abdomen, ſauciato pectore pectus, ac infirmis læſisque artubus artus fricantur; quo frictionis præſidio pori & meatus cutis aperiuntur, major ſanguinis affluxus ad partem affectam accerſitur, frictæ partis calor redit, cruor affectæ partis ſtagnans reſolvitur, & circulationi rurſus idoneus redditur; unde læſus ſuccorum vitalium circulus redintegratur, inſenſibilis perſpiratio adjuvatur: atque infirmæ, affectæque corporis partes a malo ſuo, morboque, quo laborant, ex voto perſanantur.

Atqui modo juvat inquirere, quibus morbis & ærumnis frictio ſpeciatim medeatur; unde in horum cenſum in primis veniunt morbi ab *obſtructione viſcerum*, item a *diminuta*, *aut ſuppreſſa inſenſibili perſpiratione*, a *deperdito partium ſolidarum tono & robore*, oriundi, nominatim *appetitus dejectio*, *& læſa ciborum concoctio*, *tumor*, *inflatio ventriculi*, *cardialgia*, *febres frigidæ intermittentes*, *alvinæ obſtipationes*, *minutus*, *aut ſuppreſſus urinæ tranſitus*, *calculus*, *cachexia*, *icterus*, *ſeu morbus regius*, *hydrops*, *tympanites*, *tuſſis*, *aſthma*, *arthritis*, *rhevmatiſmus*, *defluxiones capitis*, *oculorum & aurium dolentes*, *vertigo*, *lethargus*, *animi deliquia*, *apoplexia*, *hemiplexia*, *paralyſes*, *artuumque languores*, *tumores*, *ad motum impotentiæ*, *& reſolutiones* &c. quibus frictionis præſidia præ-

ſentiſ-

sentissima sua opitulatione non raro adesse, observationes Medicæ palam attestantur.

Denique modo *sermonem*, & *vociferationem*, qui prius poni meruissent, ad judicii leges petemus, atque, quo modo hæc motuum genera, sonoræque voces humani corporis œconomiæ patrocinentur, rursum indagare juverit.

Qua de caussa *vocis*, *sermonisque* prolatione, ac verborum contentione humani corporis organa, cum primis respirationi, vocique destinata, *pulmones* nempe, *aspera arteria* cum *suis vasis & canaliculis*, *arteriis*, & *venis*, *harumque propaginibus* in motus aguntur; his commotis idem respirationis organum, *diaphragma* scilicet, seu *septum transversum* (quod sua quadam membrana pulmonibus connectitur) simul connexionis ratione movetur; moto diaphragmate, quod propria quoque sua tunica visceribus abdominis alligatur, ventriculus, & abdominis viscera, *mesenterium*, *hepar*, *lien*, & *intestina*, cum diaphragmate connexa, una moventur, & blande convelluntur; quibus ita stantibus recte demum concluditur: *vocis*, *sermonisque* exercitio, partes vitales, *cor*, & *pulmones*, nec non naturales, *ventriculum*, *intestina*, *mesenterium*, *hepar*, *lien* &c. in motus concitari, quibus concitatis, & *solida*, & *liquida*, sanguis, & ceteri humores in vasis suis, arteriis, & venis commoventur, horum cursus & circuitus blande accelerantur, spiritus ad debitum in nervos influxum invitantur, viscerum quoque in abdomine contentorum nervi & fibrillæ leniter stimulantur; atque adeo *solidorum*, fibrarum scilicet, & nervorum robur, & elater adjuvantur; hinc excretiones, nec non actiones in primis vitales *sanguificatio* & *respiratio*, naturales item, *ciborum concoctio*, *chylificatio*, & *alvi solutio* (eo quod vocis contentione sanguinis affluxus ad *pulmones*, *ventriculum*, & *intestina* sollicitetur, spirituum motus in harum partium fibrillas nerveas accersatur) gradus accipiunt, & perficiuntur, id, quod ex mutua *solidorum* cum *liquidis*, & *liquidorum* cum *solidis* consensione provenire, rem ob oculos

ponenti minime obſcurum eſſe poteſt. Neque de veritate aſſertionis noſtræ ab AETIO dubitatum fuit, qui de voce SERM. III. *Cap. 5.* ita diſſerit: *Vox egregie convenit ſtomacho laborantibus, & acidum eructantibus.*

Paulo minus ab AETIO illud Medicinæ Sydus HOFFMANNVS recedit: quando de Motu, optimo ſanitatis præſidio CAP. X. *Num. 20.* conceptis verbis ſtatuit: *Vocis exercitatio præcipue in uſu eſſe debet Litteratis, & qui ex ventriculi debilitate laborant.*

Subjungam modo vocis commoda & utilitates, de quibus Medicinæ Prudentiæ Pater HIPPOCRATES LIB. III. §. 23. præclare diſſerit, in hæc profuſus verba: *Vocis exercitatio a cœna valde commoda eſt.* Et *Libr. de Inſomn. §. 3. Vocis exercitio repletus* (ſeu bene paſtus, & cibis gravis) *utatur.*

Omnium vero inſtar PLVTARCHVS Author ſane graviſſimus auſcultandus eſt: qui Operum TOM. II. *pag. 130.* de Voce & Sermone his præclaris vocibus inquit: „ Vſus Sermonis „ Voce pronuntiati quotidianus mirum dictu, quam utile ſit „ genus exercitationis, non ad ſanitatem duntaxat, ſed & ad „ vires, non quidem athleticas eas, aut quæ carnes augeant; „ ſed quia principibus corporis membris, penes quæ vitæ po„ tiſſimum facultas eſt, naturale robur, verumque vigorem „ ingenerat. Reliqua. „

Quid jam optabilius, quid laude dignius Author graviſſimus, quam quæ palam enunciaverat, de Vocis commodis pronunciare potuerit (quod nempe partibus corporis principibus *cordi* & *pulmonibus*, a quibus vitæ, viriumque ratio pendet; nec non naturalibus, *ventriculo*, & *infimi ventris viſceribus*, quibus vitæ & valetudinis conſervatio debetur, ſermo validiſſime faveat, atque adeo humani corporis œconomiæ mirifice patrocinetur) ego divinare nolim.

Porro quid opus multis? a *vocis, ſermonisque* exercitio ſanitatis res familiares, bona corporis, & commoda vitæ augeri, & aucta conſervari, una omnium tum Veterum, tum Recentiorum

rum Medicinæ Doctorum voce, unoque ore, & calamo pronunciatum fuit.

Verum tamen id in summa de Motu quocunque notari meretur: eum moderatum, suosque contentum intra limites, nec non *vitæ statui, temperamento, ætati, naturæ, corporisque viribus, diverso victui & aeri, diversisque anni temporibus* accommodatum esse, oportere; adeoque motus *nimios* & *defectivos* e numero motuum salubrium expungendos fore, merito nobis persuadetur. Sit igitur

§. V.

De motu nimio & excessivo, ejusque damnis, & incommodis.

Non minus vere, ac eleganter is judicaverat, qui suo steterat judicio & arbitrio, quando ait: *Medium tenuere beati, ac in medio tutissimus ibis.* Tutus igitur ibis, tutusque moveberis, si motus neque nimis intendatur, neque supra modum remittatur; siquidem utriusque motus semita a valetudinis deflecti via, vitæque termino, arcumque rumpi nimis tensum, cordatus omnibus præsagit animus.

Atque adeo, per se notis cognitisque motuum excessibus, damna & incommoda, quæ ab excessivis motibus in corpus humanum, ejusque valetudinem redundant, modo enarrare præstat.

Quam ob rem, quocunque immodici motus exercitio (sive dein nimia *obambulatione*, *vectione* aut *equitatione*, sive *vociferatione*, *voce*, & *disputatione*, sive *saltatione*, aut *venatione* &c.) limites transcenderis, sanitatis tuæ commoda minuis, vitæ integritatem arrodis & proteris, quum id genus excessivorum motuum exercitio partes tui corporis & *solidæ* & *fluidæ*, plus æquo moventur & convelluntur, sanguinis & humorum massa incalescit, in ebullitionem abit, & effervescit; succorum vitalium turbatur circuitus, cruor in vasa minima vi impulsus

 stagnat,

ſtagnat, & congeritur; hinc non raro vaſorum ruptiones, ſanguinis extravaſationes, & profuſiones, dolores & inflammationes prodeunt in medium; partes ſolidæ, nervi & fibræ nimis intenduntur, & areſcunt, quæ omnia excipit ſitis, & ſudor corporis, viresque proſtratæ, & laſſitudo ſubſequuntur.

Denique, ne id tacitus prætereαm: nimio motu obſcurari ambo vitæ lumina, *humidi radicalis*, & *caloris naturalis* ſubſtantias, ſeu ſubtilius humani corporis humidum, perdi, & calorem naturalem, ac impediri motus ſanguinis & ſpirituum, quibus ita ſtantibus ſanguis & humores inſpiſſantur, in ſuo curſu retardantur, partes ſolidæ exſiccantur, eorum motus & tonus hebetantur; hinc excretiones naturæ turbari, actiones corporis ſterni & depravari, nec non effuſiſſimas morbis & ægritudinibus ſuggeri materias, ponique fundamenta, quibus morborum agmina innituntur; atque adeo nominatim *graviores inflammationes, anginas, pleuritides, periculoſas ſanguinis profuſiones, hæmorrhagias, & hæmophtyſes, diros capitis dolores, varii generis febres, calamitoſas atrophias, & tabes*, ac demum corpore nimis exſiccato, & naturali diſſipato humido, caloreque diſperſo, & exhauſtis viribus, ac ſpiritibus vitalibus, celere pede pullulare *infarctus viſcerum, prodire tumores, cachexias, icteros, hydropes* & *tympanitides* &c. quotidianis exemplis, & obſervationibus Medicis exploratum habetur.

Laudandus igitur ARETÆVS eſt, qui LIB. I. *Curat. Chronic. Cap. 2.* de nimia vocis intenſione hæc monenda eſſe duxit: *Ne temere quis gravibus vocibus utatur, quia acutæ voces, capitis diſtenſiones, temporum palpitationem, cerebri pulſationes, oculorum inflammationes, auriumque tinnitum efficiunt; mediocris vero ejus uſus capiti prodeſt.*

AETIVS *loc. ſupra citato* ait: *Capitis affectionibus incommodiſſima eſt vociferatio.* Propediem AETII calculo MONTANVS ſubſcribit: cui LIB. II. *Cap. 2.* his terminis ſtatuere in votis fuit: *Vox eſt multum efficax ad caput replendum, & omnes partes ſuperiores.*

Et

Et sane, ne mirum, novumque id tibi videatur, quoniam quicunque motus nimius sanguinem accendit, eum in ebullitionem, & effervescentiam agit, qui ebulliens, & fermentans cruor ascendit, ac caput, & superiora petit.

Denique agmen merito claudat de motus excessivi materia, illud Medicinæ decus, Academiæ Halensis Interpres HOFFMANNVS, qui CAP. X. *num.* 23. hoc tenore provide monet: „ Caveant sibi a nimia vociferatione omnes plethorici, & quibus ebulliens sanguis magno impetu ad caput vibratur. Hoc „ cognitu est facillimum ex facie rubicunda, tumida, vehementi „ temporum pulsu, capitis dolore, & sanguinis per nares pro- „ fusione. Tales enim perquam facile in cæcitatem, surditatem, aut apoplexiam, facta vasis cujusdam ruptione inci- „ dunt. Reliqua. „

Atque adeo omnibus & singulis motuum excessus declinandi sunt; cum primis vero *sanguineis* & *cholericis*, *juvenibus* & *pueris*, sanguine & bile plenis, aliunde ad sanguinis profusiones pronis, ac iræ, & iracundiæ deditis, quibusque largior in venis cruor, & multa bilis, tenuiorque corporis constitutio, nec non subtilior sanguinis & humorum indoles dominantur, ac denique venerabile Senium, cujus corpora & membra aliunde exsucca, & exsiccata sunt, angue pejus fugiendi erunt, si tuendæ valetudinis, & consequendæ vitæ longævitatis desiderio teneantur.

Sed quum nonnumquam forte fortuito, vel etiam inviti motu excedamus, atque in præfata excessivi motus damna, & symptomata incurramus, hæc ocyus corrigere, & malo opem ferre, nostri muneris ratio omnino exposcit.

§. VI.

§. VI.

De præſidiis, damna, & incommoda exceſſivi motus corrigentibus.

Tritum, vulgatumque in Scholis Medicis fert adagium: *Contraria contrariis curari.* Quum igitur motui quies contraria ſit, motuum exceſſus ſaluberrimo quietis remedio curandos eſſe, omnium conſenſu ſtabilietur.

Quiete namque, qua reſpirare licet, humores & ſpiritus incaleſcentes, & effervescentes ſubſident, & ſedantur, atque ad priſtinam ſuam reducuntur temperiem; ſpiritus in primis colliguntur, hinc corpus nimis motum, motuque delaſſatum reficitur, artus fracti viribus recreantur, robur, viresque corporis exceſſivo motu perditæ ope quietis redeunt, atque adeo violata quovis modo ſalus & ſanitas, optatæ quietis præſidio inſtauratur.

Quod ſi vero ſola requies ad tollendum malum non ſuffecerit, neque vires nimio motu perditas reddiderit, pediluvio ex *aqua tepida* duobus manipulis *ſalis communis* & *cinerum* parato, poſt prandium hora quarta, vel bihorio poſt cœnam ante cubitum, ſeu alio pro re nata tempore, tepide horæ dimidiæ ſpatio uti, e re fuerit; finita lotione pedes ſiccis, calidisque pannis ſiccentur, quibus ſiccatis corpus lecto committere, quietique mandare lubeat. Qua ratione, quo & pediluvii remedio non ſolum pedes mundantur, verum amiſſæ quoque vires reparantur, nec non univerſum corpus recreabitur.

Dum vero *ſitis, calorque nimius, viriumque defectus* exceſſivos motus comitantur, his medelam ferent *pertenuis cremor hordei brodio carnis coctus*, vel *brodium carnis ſucco limonum acidulatum, potus ex aqua communi non nimis frigida, ſed potius tepidiuſcula, cum ſucco limonum aciduletur*, vel *aquæ aliquot cuſpides cultri oculorum cancri præparatorum cum modico eleoſacchari citri* addantur, bene miſceantur, &

agi-

agitentur, atque hæc aqua, non affatim, sed tardis, & interpolatis hausta vicibus siti tuæ solatio erit.

Si vero usque adeo motus exercitio excessum fuerit, ut commotum nimis corpus morbus, scilicet *cephalalgia*, aut *febris* vel *sputum sanguinis* &c. adoriatur, Medici implorare opem, & operam, omnino necesse esse videbitur.

Id vero hic in primis nobis monendum superest, ne incalescente corpore, & sanguine in venis adhuc ebulliente sitis levandæ gratia ingeratur frigidum, præsertim glaciatum; neque propediem mensam adeas, aut convivium, verum dimidio saltem horæ spatio, usque dum humores, & spiritus in motus concitati efferos, non nihil subsideant, & sedentur, moras trahes, & tunc demum frigidum, sed temperatum, ingerere, & mensæ, vel hospitibus accubare, minime prohibetur. Secus enim agendo, & hanc cautionem negligendo, *graviores inflammationes, anginæ, pleuritides, dolores capitis, cephalalgiæ, varii generis febres, cardialgiæ, dolores colici, & tormina ventris;* ac naturalis concoctionis, & chylificationis perturbationes, nec non mala quævis ex læsa digestione promanantia, verenda sunt, quibus singulis, dum nostris morem gesseris consiliis, facile vocabis

At vero dum mensæ jam assides, illico ab initio *juscula carnium, cremores hordei, cibique fluidi & liquidi solidioris consistentiæ eduliis* præmittantur, quo modo concoctionem facilitatum, tuæque valetudinis rebus & utilitatibus consultum ibis. Id, quod pridem Dissertissimus Medicinæ Prudentiæ Orator CELSVS innuit, dum his ajebat terminis: *Omnibus fatigatis aptum est, cibum sumere, eoque humido uti, maximeque ea, quæ urinam movent, & vinum aqua dilutum. Illud quoque nosse oportet, quod ex labore sitienti frigida potio noxissima sit, atque etiam itinere fatigatis inutilis.*

Ex quibus clarum utique, & perspicuum conficitur: moderationem, salutis suæ cupidis, in omni motus linea obser-

vandam esse; inde est, notas hic promendas fore, quibus in sufficientis & salubrioris motus notionem pervenire fas sit.

§. VII.

De sufficientis motus signis, atque indiciis.

Nihil is a vero differebat, qui ajebat in terminis: *Esse certos limites, certosque denique fines*, quibus caussa agat, & operetur, quos agendi terminos dum vis caussæ agens consecuta est, actionibus acquiescit, adeoque suos intra limites, suosque fines contineri, vere pronunciatur.

Atque adeo cuivis etiam corporis motui, & exercitationi, ut animalis œconomiæ profutura sit, suos ponendos esse limites, quibus subsistat, quibus & sufficiens motus cognoscatur, e re prorsus fore visum fuit.

Has igitur notas, hanc sufficientis, & salubrioris motus cynosuram hic congerere in votis erat. Vnde I. dum facies, cutisque a motus exercitio paulo rubescunt, vasa cutis sanguifera inflantur, & non nihil intumescunt. II. Si ex cutis poris, & meatibus, manibus pedibusque, vel universo etiam corpore quidam vapor, lenis sudor, seu udor prodeat. III. Nihil lassitudinis, nihilque veri sudoris se se commoventi, vel commoto corpori molestum fuerit. IV. Respiratio salva sit, & libera. V. Finita motione quædam adhuc movendi corpus promptitudo adsit, & vigeat. VI. Dum animi alacritas ad suas actiones obeundas etiamnum superstes est. Hæc inquam, & similia, si præsto sint phœnomena, motus adesse moderationem, & sufficientiam, qua, ne plus ultra motus intendatur, sed cesset, & finiatur, firmiter velim, tibi persuasum habeas.

Porro in determinanda motus mensura una, eademque consentiens vox GALENI erat, qui *de Sanit. tuend. Cap. ult.* his asseverat terminis: *Exercitatio continuanda est, donec I. corpus intumescat. II. Donec floridum appareat. III. Donec lassitudine affici incipiat. IV. Donec*

nec sudor modicus, aut saltem vapor calidus erumpat, unde dum horum aliquid apparet, vel apparens mutatur, ab exercitatione desistendum est.

At vero oportere, ut differat hæc motuum sufficientia, pro diversa ratione *ætatis, temporis, virium roboris, naturæ, sexus, vitæ status, & consuetudinis,* quorum intuitu motus nunc intenduntur, jam remittuntur, Petrus plus, Paulus minus movendus est, tam certa, tam aperta sunt, ac si vivis oculis distinguerentur.

Quam ob rem motuum exercitia magis ferunt, majorique ferendæ motioni pares sunt *sexus nobilior præ sequiore, graciles, sanguinei & cholerici, præ melancholicis, pituitosis, phlegmaticis, crassis, obesis & pinguibus, pueri & juvenes præ viris, & senibus, sani & valentes præ infirmis, & languentibus* &c. id, quod perpetua experientia teste ratum & exploratum habetur.

Sed modo ad eos hominum status, & ordines convertimur, quorum vires non solum ad ferendos motus sufficiunt, verum etiam quibus motuum exercitia protinus necessaria, & tanquam præsentissima tuendæ valetudinis præsidia commendanda esse, jure merito existimetur.

Atque adeo hunc censum in primis Litterati subeunt, helluones item, & gurgites, ac abdomini nati; illi quidem: quia ex nimia vita sedentaria, studiis & lucubrationibus natura, & in primis concoctionis officina, ejusque vis concoctrix, hinc ipsa concoctio mirum minuitur, & enervatur, unde chylificatio læditur, cruditates succrescunt, sordes in corpore *acido-viscidæ & putridæ* feraces morborum genitrices cuduntur, ad quas digerendas, solvendas, & exturbandas e corporis recessibus frequentius motuum exercitium suam utique conferet opem & operam.

Atqui hic subjungere, quæ Celeberrimus Vniversitatis Oenipontanæ Medicinæ Interpres WEINHARDIVS in bonum, obsequiumque Litteratorum statuit, nec vanus, irritusque conatus fuerit, dum QVÆST. XXXIV. *fol.* 237. *Thesaur. Sanit. inæstimab.*

ſtimab. his vocibus refert: „ Clare igitur ex his apparet, ani-
„ mum ſtudiis haud laſſandum, ſed tempore ſuo conveniente
„ remiſſione, ac relaxatione opus eſſe, per diſcurſus, ſeu lectio-
„ nes amœniores, convivia Platonica, deambulationem nemo-
„ rum, hortorum, venationem, navigationem, equitationem,
„ vectionem, modicum ſeceſſum, & peregrinationem pietatis
„ cauſſa, muſicam, decentem luſum latrunculorum, chartarum,
„ conorum, calculorum in abaco, jaculationes ſcloporum ad
„ metam, res œconomicas, architecturas, operationes manua-
„ les mathematicas. Reliqua. „

His addere operæ erit pretium, quæ GALENVS *Lib. de Bon. & vit. ſucc.* in terminis habet, quibus hoc modo ait: *Niſi quis ſatis exerceatur, nulla ciborum parſimonia ſe a morbis tueri poterit, niſi per intervalla inopiam exercitii purgatione, vel ſanguinis miſſione compenſet: ſin integre exerceatur, etiam aliquando in alimenti ratione peccans durabit ſine morbo.*

Quod jam ad epulatores, & abdomini ſuo natos, qui in dapibus quandoque excedere, vel plane in luſtris & helluationibus vitam degere amant, attinet, utique jentaculis, & merendis, lautioribus menſis, ſplendidisque ſympoſiis, cum primis ventriculum, ejusque cibos coquendi facultates enervant, & deprimunt, corporis nutritionem ſternunt, peſſumdantque, hinc rebus & facultatibus ventriculi perditis, ſordes & cruditates in primis viis colliguntur, & enaſcuntur, quas eodem motus præſidio ſolves, digeres, minues, demumque e medio tolles.

Auſculta igitur Medicinæ Parentem HIPPOCRATEM, qui LIB. EPIDEM. VI. ſcite, paucis, ſed veriſſimis effatur terminis: *Qui comedit, ſanus eſſe non poteſt, niſi laboret.* Atque rurſus LIB. I. *de Diæt.* §. 1. hæc habet: *Contrarias inter ſe vires habent cibi & labores, verum inter ſe mixti conferunt ad ſanitatem: labores enim ea, quæ inſunt, conſumere ſolent, cibi autem & potus ea, quæ evacuata ſunt, explent.* Ex quibus itaque palam eſt: quod, quo plus ingeritur,

tur, eo plus corpus, ſed moderate movendum ſit, quia labore & exercitatione noxia, & ſupervacanea minuuntur, quæ corpus ad morbos parant, ægrotationibus materiam præbent, & fundamentum.

Porro id, quod modo Litteratos, & voratores monuimus, hoc ipſum craſſis, obeſis, & pinguibus (qui ſanguine, & ſuccis pleni ſunt, atque eorum humores in corpore redundantes motu & labore detrahantur) inculcandum eſſe videtur, detracta namque humorum redundantia eorum valetudo incrementa capiet, ſanitatis res & proſperitates ſartæ, tectæ ſervabuntur.

Denique in ſumma caput, punctumque rei, in eo verſari videtur: quod, quo plus, & crudius ingeritur, eo frequentius, & conſtantius, opus ſit, moveri corpus; quo vero parcius corpora moventur, & quieti magis indulgetur, eo citius liberaliores menſæ uſus circumcidendos eſſe, naturæ lumine conſtare videtur.

§. VIII.

De motuum ordine, & tempore.

ENaturam ſemper, & ubique ordinis amantiſſimam, ſtudioſiſſimamque eſſe, adeoque etiam in motuum genere, ordinem & tempus adamare, Eruditis æque, ac rudibus in confeſſis erit.

Is vero motuum modus, ordoque, cum primis ſit, oportet, ut ſive motus vertatur in quietem, ſive quies in motum, ne derepente, ſed lento pede hæc ſuccedat verſio, eousque nempe, eumque in modum, quousque ſenſim, ſenſimque natura ſive motui, ſive quieti plene, planeque aſſueverit, id, quod memori ubique mente tenendum erit. Sicuti enim, ut alibi liquido demonſtravimus, omnis repentina mutatio minus tuta, & periculoſa eſt, ita quam maxime ſubitaneam converſionem mo-

tus in quietem, & quietis in motum, minime vacare periculo, horariis exemplis comprobatur. Enim vero inſperata adeo & repentina id genus mutatione vim & violentiam natura ſubire cogitur, ordo, naturæque motus, & motuum leges ac ordines conteruntur, & conculcantur, id, quod rariiſime, niſi cum proprio ſalutis diſcrimine ſuccedit, quodque innumeri irrevocabili ſuæ valetudinis diſpendio experti fuere.

Siquidem, dum quies derepente in motus migrat, hoc immodico motus exercitio ſanguis & humores ſubito commoti nimis, vi quadam & impetu in partium ſolidarum, & viſcerum canaliculos, poros & alveolos impelluntur, cruor tardius & impeditius vaſa penetrat, ac difficilius vibratur, circulatio languet, & turbatur, ſanguis in vaſcula minima, & vaſa capillaria vi & violenta agitatione impulſus ſtagnat, aut rurſus ad vicina vaſa redit, & regurgitat; unde vaſorum diſtenſiones, tenſiones & ruptiones, ſanguinis, & humorum ſtaſes, & congeſtiones, hinc *dolores, inflammationes, febres,* aliaque ſexcenta malorum gigni & calamitatum, frequens experientia, & lugubres caſus Medici teſtatum volunt.

Bello jam ordine, a motus ordine ad motuum tempora deſcendimus, quum hæc ipſa motuum ordini ſerviunt, ſuumque ſymbolum addunt. Atque adeo horas matutinas, & veſpertinas, ac quæ proxime menſam antecedunt, tempora ſalubrioris motus exercitiis opportuna fore, ſuis rationibus liquidiſſime conſtabit: ſiquidem his horis ciborum concoctio ad finem vergit, aut jam abſoluta eſt; qua de cauſſa concoctionis reliquiæ motu promptius ſolvuntur, & abſumuntur, chylus celerius, & commodius ad ſanguinem fertur, ac in corporis partes diſtribuitur; motus ventriculi, & inteſtinorum periſtalticus in ſolas agens chyli reliquias adaugetur; ex quibus conſectarium eſt: *ſolida & fluida* moveri promptius, & ad omnis generis animari motus, hinc non ſolum excretiones naturales, *ſolutionem nempe alvi, urinæ, & inſenſibilis perſpirationis*, verum etiam quasvis actiones cor-

poris

poris gradus ſumere, corpusque a quibusvis noxiis purgari ſordibus, ac diſponi ad novas ſubeundas actiones & motus; atque adeo motus his dictis horis inſtitui ſolitos optatæ valetudinis rebus & facultatibus validiſſime patrocinari, certius & apertius eſt, quam ut quemquam dubitare ſinat.

Quapropter, quo ad motus tempora, rurſus WEINHARDIVS adeundus erit, qui QVÆST. XXXV. *fol.* 250. *in ſuo Theſaur. Sanit. inæſtimab.* hoc modo diſſerit: „ Quod attinet ad tem-„ pus exercitationi aptum, & idoneum (quum agendi oppor-„ tunitas ſit omnium actionum anima) dicimus: commodiſſi-„ mum illud eſſe, mane, ac ante paſtum, quum cibus in ven-„ triculo jam prorſus confectus, ac denuo cibandi inſtat oc-„ caſio; ſic enim excrementa ſuperioris paſtus, concoctione „ peracta, reſidua per exercitationem evacuantur, & diſſipan-„ tur, hincque corpus melius diſponitur ad novum cibum re-„ cipiendum, & concoquendum. „ En clariorem lucem! quam Author noſtris affundit placitis.

His addatur teſtimonium Medicinæ Parentis HIPPOCRATIS, qui LIB. VI. EPIDEM. *Sect. IV.* his paucis, ſed validiſſimis verbis ait: *Cibos labores præcedere debent.*

Atque adeo, hortante ipſo Medicinæ oraculo, dignus, immo digniſſimus videtur eſſe motus dimidiæ ſaltem horæ ſpatio ante menſam inſtitutus, de quo in obſequium Litteratorum, qui non raro ad ipſam usque menſæ ſeſſionem pulpito ſuo aſſidentes, ſtudiis immergi amant, hic mentionem ingeramus. Ipſa namque veritas nobis extorquet teſtimonium: eum Eruditis ſumme ſalutarem fore, & utiliſſimum, eo, quod ventriculo faveat, atque ciborum concoctionis negotio ſummopere velificetur. Siquidem hoc motus genere, coctione penitus abſoluta, *lympha gaſtrica* ciborum ſolutioni deſtinata exaltatur, ſpiritus animales in ventriculi nervos influentes commoventur, & promptius in nervos influunt, hinc tonus, viresque ventriculi adaugentur, inchoandæ concoctionis diſpoſitiones ponuntur, fores pulſabit ap-

petitus, cibos clamabit ſtomachus (ubi omiſſo hoc motus exercitio ſecus omnia fient, & contraria evenient) id, quod altius Litteratorum animis, qui peſſime ad ipſum usque datum menſæ ſignum lucubrationibus immerſi hærent, inſculptum eſſe volumus.

E diverſo ii, ſive Docti, ſive indocti, toto cœlo a propoſita valetudinis ſuæ meta aberrant, quibus ocyus, finita cœna vel prandio, quo tempore venter cibis gravis eſt, & epulis turget, ſolemne eſt, corpus ſuum celeriore & vehementiore, vel *ambulationis*, *vectionis*, aut *equitationis*, alioque validiore motus agitare exercitio, quo ſanitatis ſpes & opes non ſemel gravius offenduntur, vixque evadet ventriculus, cujus robur, & coquendi virtus nonnunquam violento hoc motuum exercitio graviore vulnere percelluntur. Enim vero fortiore hoc motus genere, illico abſterſis labiis inſtituto, ciborum cœpta concoctio turbatur, ingeſta crudiora ſolito citius e ventriculo per pylorum in inteſtinum duodenum, & meſenterium trajiciuntur, & præcipitantur; neque, quod de coctione ingeſtorum in ventriculo deficit, in inteſtinorum canale penſatur, & redintegratur; crudior hinc chylus enaſcitur, crudiorque juxta veriſſimum effatum Medicum: *Qualis chylus, talis ſanguis, qualis ſanguis, talis lympha, & ſpiritus* &c. ad maſſam ſanguineam fertur, quo univerſus cruor inficitur; adeoque crudior hic chylus lege circulationis ſanguinis in omnes humani corporis partes diſpenſatur; quo *ſolida* & *fluida* contaminari, cruditates, ſordesque fœcundas morborum genitrices colligi & cumulari, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videtur. Levi igitur, placidaque corporis motione poſt menſam opus eſt, qua non ſolum concoctio nullo modo offenditur, verum potius, ut alibi oſtendimus, egregie adjuvatur.

Haud amplius modo de motus argumento plura verba facerem, niſi Halæ Magdeburgicæ Profeſſor hortaretur, ut ſemper & ubique cum motu ſalubrioris ſimul aeris ratio attenderetur,

tur, ſalubritasque aeris ſalubritati motus reſponderet, adeoque rurſus de motu & aere mentio ingerenda foret: qua Halenſis Interpres ſcite, & eleganter LIB. II. *de Motu* in hæc verba prodit: *Motum ſub aere ſereno & temperato celebrare oportet, qualis duabus horis poſt ſolis ortum, & ante ejus occaſum obſervatur; aer vero calidus, & nimis frigidus ſalubri corporis exercitationi neutiquam accommodari debet.* Ex quo utique verborum tenore palam eſt: motus exercitia, *ambulationes, vectiones, equitationes* & *itinera* &c. ſereno aere horis matutinis & veſpertinis (horis quibusvis calidioribus & ſiccioribus, frigidioribus & humidioribus excluſis) inſtituenda fore, quo ſalus tua in tuto collocetur, tuique corporis bona ſarta tecta conſerventur.

§. IX.

De quiete optimo ſanitatis præſidio.

Fert commune adagium: *Poſt laborem quies*, ſeu laſſato, viribusque proſtrato corpore quietem ad recreandas vires captandam fore; recte igitur a motus materia ad argumentum de quiete calamus reflectitur, quo ſequens notio quietis coram deſcribetur:

QVIES *eſt voluntarii motus ceſſatio ad humani corporis virium conſervationem & inſtaurationem, aliosque uſus, & utilitates neceſſaria, & deſtinata.*

En ergo quietis commoda, & utilitates, quas notio quietis exprimit, quas & amplius enarrare lubet. Quiete namque *fluida, ſanguis, ſerum, lympha, ſpiritus* &c. in immodicos motus concitati, & efferveſcentes rurſus ſedantur, & attemperantur; *ſolida*, nervi & fibrillæ motu tenſæ nimis, & exſiccatæ emolliuntur, & relaxantur, calor corporis immodicus ad ſuam temperiem reducitur, animalis, & vitalis ſpiritus deperditus redintegratur, præſens conſervatur, hinc vires corporis nimio motus exercitio diſſipatæ reparantur, *ſolida* & *fluida* ad priſtinam tem-

periem revocantur, partium omnium motus & actiones in ſuum ordinem redeunt, identidem excretiones naturales ſuo ordine ſuccedunt, ſpeciatim corporis nutritioni conſulitur, atque œconomiæ animalis rebus & proventibus egregie providetur.

Quam ob rem nullo labore liquet: requiem ſalutarem & accommodatam eſſe, *cohlericis* in primis, *gracilibus*, *tenuibus* & *imbecillibus*, laſſato corpori, viribusque per nimia motuum exercitia proſtratis, immodicis excretionibus, exceſſivæ nempe *alvi*, *urinæ*, & *ſudoris* ſolutioni, *vomitibus* item, *diarrchœæ*, *dyſenteriæ*, *lienteriæ*, nec non nimiis ſanguinis profuſionibus, *ſputo ſanguinis*, *hæmophtiſi*, *hæmorrhagiæ narium*, *fluxui immodico venarum hæmorrhoidalium* &c. quæ ſingula ſymptomata quies moderatur, prohibet, ſuosque intra limites continet, id, quod evincit experientia, ac quotidianæ obſervationes climicæ aperte teſtantur.

Denique & id ſubjungere, e re fuerit, humani corporis nutritionem absque quietis adminiculo nequaquam ſuccedere, & peragi poſſe: ſiquidem ut chylus, ſeu ſuccus nutritius humanii corporis partibus aſſimiletur, & in ſubſtantiam aliti tranſeat, mora quadam, & intercapedine, qua partibus nutriendis agglutinari, & in ſubſtantiam converti poſſit chylus, opus eſt, quum, chyli appoſitionem, & aſſimilationem, nutriendis partibus in motu conſtitutis, nullo modo poſſe ſuccedere, captu minime obſcurum eſſe queat, adeoque ad nutritionis ſucceſſum requiri quietem, ſat ſuo rationum pondere evictum fuiſſe, opinamur.

Verum tamen, ut promiſſa commoda quies præſtet, moderata ſit, ſuosque gradus ſervet, oportet; nimia namque & exceſſiva quiete humani corporis bona, & beatæ valetudinis commoda dolendum in modum proteri, & conculcari, ocyus palam fiet.

§. X.

§. X.

De immodica quiete, sessione, & statione, earumque insalubritate.

Quemadmodum quietis modus & moderatio humani corporis rei publicæ protinus opportuna est, sanitatemque sartam tectam servat: ita quies nimia animalis œconomiam arrodere, ejus opes & facultates sternere, verendasque insidias parare solet.

Atque adeo nimia quiete omnes humani corporis partes quum *solidæ*, tum *fluidæ* labem subeunt: illæ quidem, dum viscerum, & corporis partium internarum, nervi, fibrillæ, & membranæ &c. languent, flaccescunt, & quasi marcescunt, ad motus inhabiles fiunt, suum tonum, roburque amittentes. Istæ: quum *sanguis*, *serum*, *lympha* & *spiritus* ceu immobiles subsistunt, condensantur, & sua fluiditate exuuntur, languescit harum partium motus & circuitus, hinc omnes humani corporis actiones minui, & naturales excretiones deprimi, atque adeo sordes & cruditates corpori noxias, inutiles, morborumque genitrices generari & cumulari, in visceribus subsistere, & putrescere, subsistentes infarctus in primis, & obstructiones producere, quibus salutem ruere in deterius, morborumque agmina humani corporis pulsare fores, nuspiam in dubium, aut controversiam trahi potest.

Atque assertum hoc vero congruere, ac immoderatam quietem humani corporis saluti has intentare diras, testis omnium maximus HOFFMANNVS asserit, cujus CAP. X. *Num. 9. de Quiete* verba sunt, quæ sequuntur: *Vt motus perspirationi favet, & sanguinis cursum accelerat, eumque tenuem, & fluidum reddit: ita diuturna quies sanguini crassitiem inducendo, viscerum obstructiones, sanguinis impuritatem, humorumque stagnationes progenerat, & hac ratione ad graves, & pertinaces morbos disponit.* Reliqua.

Per classes ergo, & sua genera id genus mala, & ærumnas enumeremus: atque adeo in primis quietis immoderatione *succus ventriculi gastricus* inspissatur, fibræ, nervique, & membranæ stomachi flaccescunt, hinc ventriculi languet motus peristalticus, ciborum concoctio deficit, ingesti cibi minus digeruntur, unde chylus crudus, & impurus enascitur, crudorum humorum *acido-viscidorum, & viscido-acidorum, nec non biliosorum, acrium & putridorum* colluvies partim in primis viis stagnat, & congeritur, partim ad massam sanguineam defertur, quæ non modo in visceribus infimi ventris, *mesenterio* nempe, *hepate*, & *liene* infarctus, & obstructiones caussat, verum etiam succos vitales *sanguinem*, *serum*, & *lympham* &c. sua labe contaminat, atque sanguinis diathesim balsamicam, *crudam*, *acido-viscidam*, *acrem & putridam* reddit, ac porro universos corporis succos, & humores, spiritus quoque vitales & animales corrumpit, omnemque animalis œconomiam conterit, & evertit; hinc non solum morbos & ægritudines ventriculi, intestinorum, & abdominis viscerum, nominatim *cardialgias*, *ructus*, *singultus*, *vomitus*, *dolores colicos*, *& tormina ventris*, *abdominis inflationes*, *alvi constipationes*, *malum hypochondriacum*, *& hystericum*, *tumores*, *infarctus*, *& obstructiones mesenterii*, *hepatis*, *lienis*, *febres intermittentes*, *cachexias*, *icteros*, *hydropes*, *tympanitides* &c. sed malorum quoque agmina ex corrupto & vitiato sanguine oriunda cutis scilicet defœdationes *scabies humidas*, *& siccas*, *artuum ulcera*, *elephantiases & lepras*, *omnis generis febres*, *dolorificas defluxiones*, *rhevmatismos*, *arthritides*, *malum ischiadicum*, *& podagricum*, *calculum*, *cephalalgias*, *& sensuum læsiones*, *vertiginem*, *melancholiam*, *apoplexiam*, *paralysim*, *tusses*, *phtyses*, *tabes*, *scorbutum*, &c. prodire in medium, viventibus in dies videre oculis licet.

Atque tot esse caussam malorum, otium, nimiam quietem, & vitam sedentariam, præter alios FONSECA *Lib. de tuend. Sanit. pag. 37.* diserte pronunciavit, in hæc profusus verba:

ba: *Ex nimio otio suffocatis apoplexia, podagra, colica, calculus renum nascitur, præsertim si cum crapula, ac libidine ipsi indulgetur.*

Paulo minus a FONSECA Clarissimus recedit WEINHARDIVS, dum QVÆST. XXXV. *fol. 254. & 256. in suo Thesaur. Sanit.* hæc commemorat: „ His respondet quotidiana experien-„ tia, quæ docet, otiosorum corpora esse languentia, tar-„ da, infirma, obesa, mollia, crassa, ponderosa, pallida, „ pigra, somnolenta, torpida, & quasi mortua viva, & viva „ sepulta. Quies enim nimia non tantum impedit spirituascen-„ tiam, & volatilisationem sanguinis, verum etiam insensibilem „ transpirationem sufflaminat, obstructiones parit, & ad putre-„ dinalem dispositionem totum corpus disponit, sicque tacite „ valetudinem corrumpit. „ Reliqua.

Venientibus modo nobis ad quietis genera, *sessionem*, & *stationem*, quæ ex harum immoderatione in humanum corpus mala redundent, atque incommoda, ocyus nobis indagandum erit.

Atque adeo cum primis *sessione* corpus incurvatur, tanquam angulus humana machina efformatur, *ventriculus, intestina, mesenterium, hepar, lien* angulari corporis situ comprimuntur, id genus viscerum compressione simul vasa sanguifera, præsertim *ramificationes venæ portæ* his insertæ visceribus coangustantur, vasorum tonus & motus coarctatur, liber in vasis sanguinis & humorum cursus & circuitus intercluditur, hinc sanguis stagnat, excretiones, & actiones corporis interpellantur; unde violata ciborum concoctio, *flatus, ructus, humorum stagnationes, viscerum infarctus,* & quæ supra de nimia quiete recensuimus, centena mala, præsertim infimi ventris ærumnæ, & calamitates suos natales ducunt.

At vero deterioris adhuc conditionis, & ad majora mala præ *sessione diuturna corporis statio* nata esse videtur: erecto namque corpore, ejusque situ rectilineo sanguis & humores (gravibus ex natura sua deorsum tendentibus) prompto, celereque

pede ad inferiora deſcendunt, ſed absque corporis, membrorumque niſu, & motu eo difficilius aſcendunt, atque æqualiter tenſis pedum muſculis, neceſſario motu, ex incumbente toto corpore, deſtitutis, tardius fluida ſuperiora repetunt, hinc ordo circulationis humorum turbatur, & inæqualis redditur, inde actiones corporis, & excretiones minuuntur & depravantur, atque adeo non modo mala, & ſymptomata, quæ a nimia ſeſſione, & vita ſedentaria pendent, producuntur, verum majora adhuc & deteriora morborum agmina in lucem prodeunt, quæ immodicæ ſtationi in acceptis referenda erunt.

En rurſus laudandum WEINHARDIVM! qui QVÆST. XXXIV. *fol. 237. ſui Theſaur. Sanit.* his terminis cauſſæ noſtræ patrocinatur: „ Reſpondeo ſtationem hanc militum togatorum in „ caſtris muſarum excubantium magis nocere, quam vitam ſe„ dentariam, quum ſtando magis fatigetur corpus, quam ſe„ dendo. Vnde ſic duplici peccatur nomine, dum ſpiritus & „ in ſublimi ſphæra coguntur præſtare ſervitia, & in ima baſi „ totum levare corpus citra illos portitores mox ſublapſurum, „ qui etiam quandoque ita debilitantur, ut non raro inſigni„ ter intumeſcant. Præterea ſeſſio longior ut plurimum damna„ tur ob defectum motus debiti, qui ſtando æque non ex„ ercetur. „

Equidem nos latet minime: haud multa adeo ante annorum luſtra ortam fuiſſe, & cum primis Eruditis ſtudiorum, & ſcriptionis tempore evaſiſſe familiarem ſtandi conſuetudinem, ratis: ut ipſi ex ipſorum ore traditum habemus, quod ſalubrior longe ſtatio, quam ſeſſio eſſe cenſeretur. At, quam fides fefellerit ſtationis judices, ex allatis contra ſtationem rationum momentis judicetur.

Atque adeo ad vos modo Litterati Cœtus, & Eruditi Ordines, quibus oppido familiares nimia *ſeſſio*, *ſtatio*, & *quies* ſunt, converto, ac per ſalutem veſtram Venerabili Canitie digniſſimam vos hortor, ne *immodicæ quieti*, ut plerumque ſoletis, *ſeſſioni*,

&

& *ſtationi*, a quibus tot ærumnæ, tot ægritudinum graviſſimarum turbæ & catervæ ſcaturiunt, poſthac immergamini; verum ut cum moderamine potius quieſcatis, vobis Author ſum, dum veſtrum ſubit animum, illibatæ valetudinis dies vivere, unaque conſequi neſtoreas ætates.

SECTIO XI.
De Vigiliis & ſomno.

§. I.

Abſoluto *motus*, & *quietis* argumento ordinis ratio recto ordine, nos ad *vigilias*, & *ſomnum* manuducit, quas non minus mente volvere, earumque ſalubritatem, & inſalubritatem ad judicii ſtateram appendere, noſtrarum eſſe partium exiſtimavimus.

Quid igitur vigiliæ ſint, vigiliarum notione innoteſcat, quæ ſequente modo ſonat:

VIGILIÆ *ſunt exercitia continua, quum externorum, tum internorum ſenſuum, a libero ſpirituum animalium motu & in nervos influxu exorta, ad humani corporis actiones præcipue animales neceſſaria, & ordinata.*

Nunquid modo ex vigiliarum notione palam colligitur? vigiliis non modo in ſumma partes *ſolidas*, & *fluidas*, verum etiam & perſpicue ſpiritus animales, ac ſenſibus in - & externis deſtinatos humores ad motus concitari, nec non reliqua humani corporis viſcera, *pulmones* nempe, *ventriculum*, *inteſtina* &c. connexione & conſenſione partium ſimul commoveri, & agitari; unde horum viſcerum *fluida* ſanguis, & humores concitantur, horum curſus, itus, & reditus adaugentur; *ſolida*, nervi, fibræ, membranæ &c. quo ad robur ſuum, tonumque adjuvantur, & firmantur; quibus ita conſtitutis naturales excretio-

tiones satisfaciunt, omnes actiones corporis, in primis animales suo ordine succedunt; atque adeo sanitatis spes & opes servatum iri integras, minime obscurum esse potest.

At vero hæc de vigiliarum moderatione intelligi velim, si enim vigiliæ modi & moderaminis limites egressæ fuerint, non solum nihil sperandum est commodi, quod in corpus humanum redundaret, verum potius humani corporis valetudinem læsum & arrosum iri, tuis ocyus dabitur videndum oculis.

§. II.

De immodicis vigiliis, earumque insalubritate.

Quæ supra modum extenduntur, ac longiori temporis intervallo, quam ut par est, protrahuntur vigiliæ, merito *immodicæ* nuncupari consueverunt.

Atque adeo ea excedentium vigiliarum indoles, eaque proprietas est, ut in primis humani corporis partes fluidas, *sanguinem*, *serum*, *bilem*, *lympham*, & *spiritus* in nimios motus concitent, horumque fluidorum fluxus & refluxus, itus, reditus, & circuitus intendant, ac sanguinis motus *intestinos* & *progressivos* versus corporis partes exteriores urgeant, spiritus animales & vitales, adeoque vires absumant, hinc *humidum radicale*, & *calidum naturale* dissipari, *solida* exsiccari, naturæ vires extenuari, everti naturales excretiones, actionesque præcipue animales violari, nullo labore liquet. Speciatim vero, nominatimque caput, & ventriculum vigiliæ petunt, ac in fluidum nerveum, & animales spiritus desæviunt, eorum motus, & in nervos influxus plus æquo intendunt, hinc nimio motu spiritus in capite dissipantur, eorum influxus in organa sensoria, & ventriculi fibrillas nerveas deficit, & hebetatur, actiones in primis animales, sensus interni & externi, nec non naturales digestio & chylificatio, languent, & violantur, quibus cerebri & stomachi

ægri-

ægritudines ſuccedere, adeoque bona corporis, & valetudinis immodicis vigiliis diſſipatum iri, res ipſa loqui videtur.

Jam rurſus Doctor audiendus eſt Magdeburgicus, qui de vigiliis immodicis, quæ ſequuntur, in res noſtras ſcripta reliquit, dum his verbis ait: *A nimiis vigiliis concoctio perturbatur, corpus macie contabeſcit, facies fœdo colore diſcoloratur, oculi recedunt, & concavi fiunt, ipſeque vultus auſterum, & triſtem habitum induit.*

HOFFMANNO Medicinæ Parens HIPPOCRATES adſtipulatur, qui *Lib. de Diæt. in acut.* hoc modo diſſerit: *Vigilia nimia poſt cibos noxia, quum cibum colliqueſcere*, id eſt: *digerere non ſinat.* Ac itidem eodem Libro: *Vehemens vigilia potus, cibosque tum crudos, tum incoctiores reddit.*

Age jam! qui de veritate aſſerti dubitas, & vel duas duntaxat, tresve noctes vigilias age, & ecce! quantum non jam te ab illo mutatum ſentias, ab his namque vigiliis oculi turgebunt, ſtillabunt, & prominebunt, fœdo, luridoque colore induetur facies, actiones cum primis *animales* & *naturales* hebeſcent, & retundentur, ſenſuum omnium deprimetur vigor, dejicietur appetitus, plene, planeque vires proſternentur, porro univerſum corpus hebes, ſegne, deſes, laſſum, decoloratum, fractumque viribus, & ad actiones ſubeundas ſolitas inidoneum, enerve, ac prorſus indiſpoſitum ſe ſe in conſpectum dabit, ut certe viſa hac inexſpectata rerum facie hæreres attonitus, quam unius, alteriusve noctis vigiliæ produxerunt. Quum itaque hoſtiles vigiliæ tanto cum impetu in humanam civitatem irruant, omnesque ejus partes *ſolidas* & *fluidas*, in primis vero principes *caput* & *ventriculum* dire adeo laceſſant, adeoque ſpirituum & virium, nec noc concoctionis domicilium (a quibus humani corporis conſervatio potiſſimum dependet) incurſent, hinc totum corpus, omnesque ejus partes ſauciari, morbos præcipue capitis & ſtomachi, nec non ſanguinis, & humorum, ſcilicet *cephalæam*, & *cephalalgiam, ſenſuum auditus, viſus, læſiones, catarrhos, defluxiones, vertigines, aurium ſibilum & tinnitum, phantaſiæ,*

& memoriæ imminutiones, *deliria*, *melancholiam*, *apoplexiam*, nec non diſſipatis *humido radicali*, & *calore naturali* morbos frigidos, nempe *inappetentiam*, *cardialgiam*, *inflationes ventriculi & inteſtinorum*, *alvi conſtipationes*, *malum hypochondriacum*, *abdominis tumores*, *icteros*, *hydropes*, atque morbos ſanguinis, *varii generis febres*, *ſcabies*, *rhevmatismos*, *arthritides*, *tuſſes*, *tabes*, *phtyſes* &c. progenerari, adeoque humanæ civitatis, vitæ & valetudinis opes & proſperitates inimicis immodicis vigiliis peſſumdari, & obliguriri, notum & exploratum eſt, id, quod mille caſibus liquidiſſime conſtat.

Atque adeo reſipiſcant modo, diſcantque Eruditi Proceres (quibus non in medias modo, ſed quandoque pene integras noctes litterarum ſtudiis, & lucubrationibus immergi ſolemne eſt) cautius, & moderatius vigilare, ſuumque ſomno & vigiliis ſtatuere tempus & ordinem, quibus valere, & ſeneſcere in votis fuerit.

Duplicis namque generis tela id genus vigiles in corpus ſuum vibrant, quando & immodicis ſtudiis, & immodicis vigiliis ſalutis ſuæ opes & facultates abſorbent, quæ ſtudiorum, vigiliarumque moderamine omnino ſartæ tectæ ſervarentur.

§. III.

De ſomno, ejusque commodis, & damnis, nec non ſufficientis ſomni ſignis & indiciis.

Quum mutuo ſe ſe ordine excipiant ſomnus, & vigiliæ, via recta a *vigiliis* ad *ſomnum* properamus, rati, planeque perſuaſi: quod SOMNVS *ſit ſenſuum præcipue externorum*, *tum etiam internorum naturalis ceſſatio*, *a ſpirituum animalium motu & influxu amodo diminuto*, *& cohibito oriunda*, *ad humani corporis ſanitatem tuendam*, *& conſervandam neceſſaria & ordinata.*

Qua de cauſſa hæc ſomni notio nobis argumento eſt: quod placide & leniter ſomni tempore fiant omnia, ſpiritus animales:

les, eorumque motus, & in ſenſuum externorum organa influxus ferias agant, ad ſenſuum vero internorum inſtrumenta, nervos, & fibrillas nerveas tardius influant, unde ſenſus externi plene, planeque quieſcunt, interni imminuuntur, fluidum nerveum, & ſpiritus, a quibus corporis vires, & actiones pendent, colliguntur, & ſuaviter operantur; partes ſolidæ nervi, & fibræ per vigilias tenſæ, & exſiccatæ molleſcunt, humectantur, & relaxantur, corpori vires, roburque ſuum conciliatur; hinc calor naturalis, & naturale ſubtilius humidum, ſeu partes ſpirituoſæ, & ſubtiliores humidæ vigiliis deperditæ reparantur, magis verſus partes interiores agunt, actionibusque vitalibus & naturalibus ſuam operam impendere conſueverunt. Atque adeo humoribus & ſpiritibus ſomni tempore magis inteſtina verſus motis calor ventriculi adaugetur, *ſuccus gaſtricus* exaltatur, ſpiritus promptius in ventriculi nervos influunt, *motus ventriculi, & inteſtinorum periſtalticus* concitatur, unde concoctionem ciborum promoveri, laudabilem chylum, & ſuccum nutritium elaborari, neceſſaria rerum conſequutione in comperto habetur. Atque quum calor naturalis in his partibus magis aggregetur, ac motus periſtalticus gradus ſumat, alvinam excretionem (cujus ſucceſſus naturali inteſtinorum calori & motui unice debetur) ad vota ſimul ſuccedere, omnibus & ſingulis, qui Medicinæ Prudentiæ nomen dedere, inviolata fide pro vero conſtat.

Inde eſt, quod iis, qui plus æquo cœnarunt, & cœnæ ſumptione exceſſerunt, longior ſomnus prudenter commendetur, id, cujus teſtis validiſſimus erit facundiſſimus Medicinæ CICERO CORNELIVS CELSVS, qui LIB. III. *Cap. 1.* ita refert: *Qui bene concoxit, mane tuto ſurget; qui parum, quieſcere debet, & ſi mane ſurgendi neceſſitas fuerit, mane redormire; qui non concoxit, ex toto requieſcere, ac neque labori ſe, neque excitationi, neque negotio credere.*

At vero non ſolum ciborum concoctioni, & naturali alvinæ excretioni naturalem ſomnum ſuppetias ferre, verum principi quoque excretioni, *inſenſibili nempe perſpirationi, & ſudori*, auxiliatrices præbere manus, e veſtigio apertius coram demonſtretur. Siquidem ſuavis ſomni tempore fluida, *ſanguis, ſerum*, & *lympha* placido ſanguinis curſu ad corporis ambitum, cutisque excretoria (cujus glandulæ ſubcutaneæ, pori, & meatus ex æquali corporis, lectique calore hiant) pervia, & aperta ſunt, unde parata omnia, quibus ſanguinis excrementa *ſalino-ſulphurea, halituoſa*, qua data porta avolent, atque *inſenſibilis* ſuccedat *perſpiratio*, quæ beatæ valetudinis commodis, & utilitatibus validiſſime patrocinatur.

Steterat igitur noſtra ſententia SANCTORIVS, quando SECT. IV. *aphoriſ. 1. & 2.* de ſomno naturali his conceptis effatur vocibus: *Somnus placidus adeo fovet perſpirationem, ut ſeptem horis quinquaginta unciæ cocti perſpirabilis in robuſto homine exhalent.*

Atque adeo patet jam ratio, cur iis, quibus ex morbo, & indiſpoſitione corporis ſudor proliciendus eſt, matutinis in primis horis præſidia *ſudorifera*, & *diaphoretica*, quorum cenſum præter alia infuſiones theiformes ſubeunt, cum levamine & euphoria porrigantur, quia nempe hoc tempore corpus tum ad *inſenſibilem*, tum *ſenſibilem perſpirationem*, ſeu *ſudorem* (cutis poris apertis & patentibus) magis eſt diſpoſitum, quibus materia noxia excernenda, qua data porta ruit, ac e corporis limitibus exterminatur.

Porro addam modo, quæ WEINHARDIVS QVÆST. XXXIII. *fol. 221.* in ſuo Theſauro Sanitatis Somno naturali tribuit elogia, in hæc effuſus verba: *Somnus igitur vires collapſas reſtituit, ſpirituum deprædationem compeſcit, concoctiones concentrato calore promovet.*

His mox GALENVS ſubjungit, dum ita ait: *Somnus concoquit, vigiliæ digerunt, unde cruditatibus ſuperveniens has prompte ſolvit, digeſtionem facilitat, præterea internas corporis partes ſuaviter humectat.*

Atque

Atque adeo HIPPOCRATES EPIDEM. VI. de somno placido hoc tenore refert: *Somnus visceribus veluti cibus est, animi quoque ægritudines oblivione delet, iram placat, animumque tranquilliorem, & seseniorem reddit, evacuationes immodicas per quemcunque locum factas cohibet, dolores placat, & mitigat, lassitudines tollit.* Reliqua.

Denique finiam modo moderati somni argumentum, idque claudam Sapientissimi HOFFMANNI terminis, quibus LIB. II. *Cap. 10. de Quiete* & *Somno* sequente modo hortari amat: „ Si „ somnus deperditum nutrientem succum, partesque spirituo- „ sas absumptas restaurat, in proclivi est judicare, quare lon- „ giori somno opus habeant, qui corpus vehementiori motu „ & labore, & animum assiduis, & profundis cogitationibus fa- „ tigarunt, quam, qui otium tam corporis, quam animi per „ diem coluerunt. Iis præcipue somnus egregie succurrit, qui „ diuturna cogitatione, & fixis meditationibus animi, & cor- „ poris robur limarunt, ne animi & corporis vires aliquod ex- „ inde capiant detrimentum. „ Id, quod nocturni studiorum Custodes altius memori mente teneant, qui dies in noctes, & noctes in dies summo suæ cum salutis dispendio commutare consueverunt.

His modo salubris & sufficientis somni signa subdere, nec erit oleum & operam perdere; atque hæc esse: absoluto somno *corporis agilitatem, & levitatem, mentem alacrem*, ejusque *ad actiones suas obeundas quamdam promptitudinem, nullamque in ulteriorem somnum propensionem,* concordi Medicorum calculo stabilitur.

§. IV.

De somno inquieto, & immodico, ejusque damnis & incommodis.

IIs somnus *inquietus* esse censetur, qui interruptus, & turbulentis insomniis plenus est, anxiumque animum, ac corpus convulsum, & imbecille reddit; atque neque vires reficit,

 sed

ſed ſupprimit, neque excretionibus ſuccurrit, verum eas potius turbat, & prohibet, de quo & SANCTORIVS SECT. II. *aphoriſ.* 5. ait: *Qui nec vires reficit, nec perſpirationem juvat, ſed impedit.*

Quemadmodum igitur ſomnus quietus a naturali *ſolidorum*, & *fluidorum* præcipue ſpirituum placido, & æquali motu, cui & ceteræ corporis actiones reſpondent, pendet, & ortum ducit: ita inquietudo ſomni a dictorum *ſolidorum* & *fluidorum* aucto, depravato, & inæquali motu, ac circulo derivanda eſt; unde ſomni quieti tempore placide & tranquille omnia peraguntur, & valetudinis facultatibus conſulitur; e diverſo, ſomni turbatione & inquietudine omnes motus & actiones interturbantur, corporis vires proſternuntur, ſomnum ſequuntur laſſitudines, atque adeo easdem valetudinis facultates arroſum & violatum iri, minime in dubium vocari poteſt.

Vt igitur de ſomno placido, & tranquillo ſolliciti ſimus, noſtra ſalus expoſcit, quem ſicuti cœna frugalior, relaxans & humectans, eo quod fibras & nervos emolliat, ac temperatum per cerebrum, ſanguinis, & ſpirituum circuitum reddat, conciliat: ita cœnæ exceſſus, cibos cum primis *acres, aromaticos* & *calefacientes*, atque id genus potus, ac quævis *acria* & *calefacientia*, quæ ſanguinem, & ſpiritus accendunt, in ebullitionem agunt, ac in efferos motus concitant, ſomni tranquillitatem turbare, & inquietos ſomnos adducere, omnino neceſſe eſt. Atque adeo dum dormire placide, & corpus tranquillo ſomno recreare in votis eſt, parcius cœnandum, cibisque humectantibus & relaxantibus utendum fore, ſana ratione præditis palam erit.

Verum non ſola modo inquietudo, ſed ſomni quoque exceſſus, & major prolongatio valetudinis rebus & proſperitatibus oppido noxia, & pernicioſa, ſuis momentis ponderanda venit.

Siquidem ſomno immodico *fluidum nerveum*, & *ſpiritus animales* torpent, eorum influxus in organa ſenſuum, & ſenſationis

nis nervos diminuitur, cerebrum, cerebrique nervi cum primis petuntur, & obtunduntur, musculorum fibræ flaccescunt, & suo motui tonico redduntur impares; his ita stantibus, *fluida, sanguis, serum* & *lympha* motu deficiunt, horum cursus, itus & reditus hebescunt; *solida*, partium internarum præcipue capitis & cerebri fibrillæ nerveæ flaccescunt, atque horum robur & motus tonicus languent, unde actiones præsertim *animales*, & *vitales*, nec non excretiones naturales labem subeunt, & imminuuntur, his imminutis noxiæ sordes & cruditates morborum genitrices in corpore colliguntur, porro corpus ad quasvis suas functiones hebes, grave, torpidum, & indispositum redditur, animus quo ad functiones animales subeundas torpet, marcescit, & contunditur; quas tristes dispositiones tristiores effectus, nempe humani corporis afflictiones & calamitates excipiunt, & quidem in primis capitis & cerebri ægritudines, læsiones nempe *visus* & *auditus*, *aurium tinnitus*, *memoriæ diminutio*, *vertigo*, *defluxiones*, *catarrhi*, *apoplexia*, *tusses*, *asthma*, *& difficilis anhelitus*, *cum lassitudine totius*, *appetitus prostratus*, *cardialgia*, *inflationes ventriculi & intestinorum*, *malum hypochondriacum*, *alvi segnities*, *abdominis tumores*, *icterus*, *cahexia*, *hydrops* &c. quæ mala a somno nimio scaturiunt, horumque origo malorum non raro immodico sopori in acceptis referenda erit.

Ecce WEINHARDIVM, qui de immodico somno QVÆST. XXXIII. *fol. 222. in Sanit. Thesaur.* hæc habet: „ Somnus immo-
„ dicus non parum nocet, tum cerebrum nimium humectando
„ & relaxando, tum sanguini intemperiem crassiorem conci-
„ liando, tum spiritus obscurando, eos crassiores & torpidio-
„ res reddendo, mentique & memoriæ quasi segnitiem, & stu-
„ porem inferendo, tum calorem, crudis humoribus cumula-
„ tis, & superfluis cohibitis, evacuationibusque suppressis ob-
„ tundendo, & quasi ignem, qui nullo modo ventilatur, suffo-
„ cando; tum plus æquo suspendendo functiones gratiæ & glo-
„ riæ meritorias. „ Namque referente PLATONE LIB. VII.

de

de Legib. Nemo, quum dormit, ullius est pretii, nihil magis, quam qui non vivit. Ex quo igitur tenore liquet: somno immodico ad prius dictas morbosas dispositiones, dictasque ærumnas & ægritudines parari corpus, quæ vitæ exitium parant, communem vitæ interitum maturantes.

Enarrarem modo mala, & incommoda, quæ ex somni defectu ortum trahunt; sed quoniam defectus somni, & vigiliæ, de quibus supra dictum fuit, idem sunt, vigiliarum damna hic repetere, pristinamque crambem recoquere, supervacaneum fore, visum fuit.

Atque adeo frigidiore & humidiore corporis constitutione præditi, *melancholici*, & *phlegmatici*, *hypochondriaci*, & *senes*, quorum sanguis & humores aliunde spissiores sunt, præ aliis ab immodico somno, qui *fluida* inspissat, & relaxat *solida*, sibi temperent, si majora mala evadere, suæque salutis fortunas servare integras, vitæque opes & prosperitates sartas, tectas custodire cupiant.

§. V.

De somni tempore, dormiendi loco, modo, & ordine.

Scite, & prudenter Poeta sanxit, quando paucis modulabatur: *Omnia tempus habent.* Atque adeo nunc vigiliis, modo somno suum statuendum esse tempus, in promptu est concludere, nec dubitationis subit aleam.

Quam ob rem tempus a natura somno destinatum, vel ex eo nocturnum opportunum esse existimetur, quod in primis sol lucem suam, & radios, qui vigiliis favent, densa caligine noctis condat, & subtrahat, nec non altum silentium sileant diurni fragores & strepitus; unde mens quieta redditur, animus tranquillitate suffunditur; quibus accedit aer nocturnus frigidus & humidus, qui corpus ambiens, corporis nervos & fibras, per diem, diurnosque motus & exercitia tensas & exsic-

ficcatas humectat & relaxat, ſanguinem ſub diu celerius agitatum non nihil ſedat, ejus incitatos motus, & circuitus placat, & attemperat; ac porro alias natura diurnis horis, & exercitiis fatigata, fractaque viribus, quietem & ſomnum (quibus recreetur, & inſtaurentur vires perditæ) appetit, tandem rebus ita comparatis ſomnus obrepit, quo corpus reficitur, & corpori robur, viresque conciliantur.

Id vero hic cum primis dormituros monere juverit, ne illico poſt cœnam corpus quieti mandent, idque ocyus in lecto pellibus conſtrato collocent; ſed una adhuc, aliave hora vigilandum, amicoque utendum eſt colloquio, atque juxta illud: *Poſt menſam ſtabis, aut paſſus mille meabis*, quum domi, tum aura amœna foris lento pede obambulare expedit, quo moderati motus exercitio concoctioni conſulitur, levis quædam laſſitudo, quæ ad ſomnum invitat, adducitur, corpus demum amodo iners, laſſumque ad quieſcendum componitur, atque adeo ad capeſſendum ſomnum inſtituetur.

Poſito jam ante oculos ſomni tempore, locum, ſeu conclave ſomno deſtinatum expendemus, cujus utique ſanitatis gratia rationem habere præſtat. Atque adeo ut id genus ſomni cubiculum cum primis in ſublimi collocetur, nec non amplum & perſpirabile, cui facile purioris aeris aditus patet, nec nimis calidum, & ſiccum, nec nimis frigidum & humidum, ſed temperatum ſit, oportet; ſiquidem ejusmodi conclave quieti, & ſalubri ſomno omnino opportunum eſſe, vel ex eo colligitur, quod aere puriore, & ſalubriore inſtructum ſit, cujus particulæ ſubtiliores æthereæ & ſpirituoſæ ſomni horis inſpirationis ope corpori, ejusque *fluidis* & *ſolidis*, *ſanguini* nempe, *ſero* & *lymphæ* &c. communicantur, communicatæ corpori, humores reſolvunt, & attenuant, fibras & nervos blande ſtimulant, nec non fluido nerveo, ſeu ſpiritibus *vitalibus* & *animalibus* partes ſubtiliores aereo - æthereas ceu materiam ſuppeditant; ex quibus utique, cubile in ſublimi collocatum, ac puriore & tenuiore

instructum aere, somni salubritati valide favere, plene planeque colligitur.

Demum modo decumbendi *modum, corporisque situm* & *ordinem* nobis cogitantibus æquitas, salusque exigere videntur, ut decubitus nimis *sublimis*, nimisque *declivis*, tanquam uterque noxius, & minus salutaris merito reprobetur: ille quidem, quia majora mala, ac credi posset (de quibus paulo post dicetur) progenerat. Iste vero, quoniam capite plus æquo declivi & demisso ex naturali venarum situ sanguinis ex capite per venas jugulares reditus tardatur, & reprimitur, hinc in cerebro sanguis cumulatur; cumulatus stases & congestiones concipit; ex quibus *somnum graviorem cum insomniis, capitis gravedinem, totius corporis torporem, & indispositionem, ingenii stupiditatem, defluxiones aurium & oculorum, sensuumque læsiones, ophtalmias, vertigines* &c. natales ducere, ex ipsa sanguinis circuli ratione videtur consequi.

§. VI.

Quo in latere, aut an in dorso dormiendum sit?

Liberum tibi sit, & optio detur, quo in latere dextero, vel sinistro quiescere, somnoque locum dare malis; utroque enim decubitus modo, & ordine valetudinis tuæ rebus & utilitatibus nihil derogabitur; eligendus tibi erit decubitus, quis quis sit, modo desideratæ quieti faciat satis, & salubri somno, a quo lassum corpus reficitur, vires instaurantur perditæ, faveat, tuæque saluti consulatur.

Verum tamen propius ad nostrum continget scopum, edisserere, quod Magnus HALÆ MAGDEBVRGICÆ MEDICINÆ INTERPRES existimat, qui num. XXXIV. *de Somno*, quæ sequuntur, refert: *Optimus in somno decubitus fit in lateribus, capite paulo elatiore, & corporis trunco inflexo, cruribusque aliquantum contractis.* Eo quod hæc decubitus ratio præ aliis somni legibus, salubriori sopori congruere, somnique salubritati prorsus favere

vere videatur. Attamen propriæ aliquid dandum eſſe conſuetudini, & naturali commoditati, rurſum, ut ſupra, aſſeveramus.

Sed quam culpa vacat utriusque lateris decubitus, tam reus, nocensque eſt ſopor in dorſo, & ſupino capite peragi ſolitus, quippe qui non raro valetudinis beatitati inſidias parat, nec non ærumnas & calamitates humano corpori machinatur. Enim vero hujusmodi corporis decubitu ſanguis e capite ad vitæ fontem refluus velociore curſu repetit vitalia, vaſa dorſo inſtrata anguſtantur, muſculi thoracem elevantes comprimuntur, canaliculi ſanguiferi coanguſtantur; unde ſanguinis gyrus & circuitus in præcordiis impeditur, cruor ſtagnat, & congeritur, congeſtus, ſtagnansque *difficilem anhelitum, nec non ſuffocationis metum* minatur, atque cum primis *incubum*, ſeu *aſthma nocturnum* (non vulgo modo, plebique, ſed altioris etiam momenti hominibus *effectum maleficum* creditum, quem in vernacula das Drucken der Druth, Hexen-Geſpenſt, Nacht-Mandl nuncupare ſolent) a ſanguinis in pulmonibus ſtaſi & congeſtione oriundum, aliaque mala, & vitæ miſerias progenerat, ad quas *vitam ſedentariam viventes*, *melancholici*, *hypochondriaci*, *Litterati*, *pingues*, *ſenes*, quorum ſanguis & humores aliunde ſpiſſitudinis labe contaminantur, inclinant; quibus igitur ad effugiendas has imaginarias præſtigias, aliaque corporis, & valetudinis incommoda dorſi, & ſupinus capitis decubitus penitus interdicatur.

§. VII.

Quid de ſomno diurno tenendum, & quot horis noctu dormiendum ſit?

Finiſſem modo argumentum de ſomno, niſi adhuc ſomni diurni momenta ponderanda forent, quibus apertius eluceſcet: plerumque nihil commodi, nihil præſidii, id genus ſomnum prope labenti, cadentique humani corporis valetu-

dini ac œconomiæ animalis, ejusque rationibus & rebus familiaribus allaturum eſſe; quin potius, hujus ſomni deliciis bona corporis circumcidi, & non raro gravius ſauciari, palam ſit, id, quod non uno modo triſti exemplo corroboratur.

Siquidem ſomno meridiano *ſolida* flacceſcunt, ſuumque robur perdunt, *fluida*, & in primis ſpiritus animales torpeſcunt, *ſanguis*, *ſerum* & *lympha* minus moventur, hinc inſpiſſantur, præcipue vero cerebrum, & organa ſenſuum, nec non ventriculi nervoſæ & muſculoſæ tunicæ ex defectu influentium ſpirituum animalium hebeſcunt, ac robur ſuum, & tonum amittunt; atque adeo ex harum partium principum *cerebri* & *ventriculi* labe, ſanguinis per eas circulus imminuitur, hinc humorum ſtaſes & congeſtiones enaſcuntur, ex quibus morbi in primis cerebri & ventriculi, *torpor nempe & gravedo capitis*, *defluxiones*, *& catarrhi*, *aurium & oculorum ægritudines*, *tinnitus aurium*, *& aphtalmiæ*, *diminuta viſio*, *vertigo* &c. In ventriculo *inappetentia*, *læſa ciborum concoctio*, *ructus*, *ſingultus*, *cardialgia*, *ventris inflationes*, *tormina*, *alvi ſegnities*, *malum hypochondriacum* &c. immo univerſi corporis torpor & languor, ac manifeſtæ ad ſolita obeunda munia indiſpoſitiones prodeunt, id, quod non una modo experientia teſte palam commonſtratur.

Provide igitur & prudenter WEINHARDIVS Archiducalis Vniverſitatis Oenipontanæ in Medicis Interpres maximus QVÆST. XXXIII. *fol. 226 ſui. Theſaur. Sanit.* quæ ſequuntur, de ſomno meridiano enunciaverat: „ Summopere nocivus eſt hic „ ſomnus, tum quia teſte experientia ventriculi concoctionem, „ & appetentiam deſtruit, ſpiritus nimia humiditate obruit, „ caput gravat, idque multo, craſſoque vapore replet, nervos, muſculos, & ligamenta relaxat, ac torpedinem inducit, calorem nativum hebetiorem, viſcera graviora, partes „ omnes ad motum pigriores, habitumque corporis univerſum deteriorem facit, ut SCHOLA SALERNA vere dicat:

Febris, pigrities, capitis dolor, atque catarrhus,
Hæc tibi proveniunt ex ſomno meridiano.

„ Tum

„ Tum quia, qui somnus laborem non excipit, sed ex largiore
„ cibo, potusque effumatione suboritur, intempestivus est,
„ & naturæ ordinem pervertit, adeoque salubris esse non po-
„ test. Somni enim proprietas, effectus & ordo a natura ita
„ constituta sunt, ut tempore nocturno, quo lux cum sole
„ recessit, & tenebræ, quas ipsa natura horret, succedunt,
„ corpus sponte sua quodammodo coarctetur, & contrahatur,
„ & sic spiritus, a laboribus diurnis exhaustus, & fatigatus,
„ naturali propensione ad quietem, & sui restaurationem in-
„ clinet. Tum quia per somnum diurnum fit motus naturæ
„ omnino contrarius. Hæc enim per lucidos solis radios mea-
„ tus corporis aperientes & dilatantes, humoresque, ac spiri-
„ tus moventes, & rarefacientes a centro ad circumferentiam
„ evocatur, & ad opera diurna invitatur, cum tamen motus
„ contrarius fiat in somno, hinc etiam patet, non modo diur-
„ num, sed etiam nocturnum in multam scilicet lucem pro-
„ tractum naturæ contrarium, ac inimicum esse, tum quia in
„ somno pomeridiano præsertim prandio viciniori, dum calor
„ concentratus fortius in chylum agit, quam per vigilias,
„ partem illius quasi adurit, hinc ructus nidorosi, ac copio-
„ sissimæ evaporationes, quemadmodum in viridi lignorum
„ strue multa igne succensa suscitantur; pars vero supernatans,
„ & fluctuans stomachi tunicas crudis humoribus imbutas rela-
„ xans bradipepsiam cum suis asseclis, ac reliqua symptomata
„ supra dicta caussat. „

His addit Medicinæ Parens HIPPOCRATES LIB. II. *de Vict. rat.* hæc in terminis: *Noctu dormiendum, dum interdiu vigilandum est, contra vero malum.*

At vero sicut regulam nullam sine exceptione, & quæ non aliquam sui patiatur limitationem, reperire est, ita suis sub circumstantiis, & certis limitationibus somnum meridianum posse, immo indulgeri non raro debere, ex concordi Medicorum calculo palam est, & liquidissime constat.

 Qua-

Quapropter cum primis in locis & regionibus calidioribus, quibus vires corporis diurno ſolis æſtu, & nimio ſudore perduntur, & diſſipantur, ſomnus diurnus, qui humectat, & vires recreat, non ſolum nihil damni & incommodi œconomiæ fortunis adducit, verum potius levamini, & ſolamini fore exiſtimatur. Rurſus, qui noctu parum dormiunt, noctesque inſomnes agunt, quos & natura diurnis laboribus, ſtudiis, & lucubrationibus delaſſatos ad ſomnum invitat, atque ad captandam quietem vi quadam adigit, & impellit, his utique integrum fore, naturæ, quietis, ſomnique avidæ obtemperare, quo corpus laſſum reficiatur, & vires vigiliis proſtratæ reparentur, ne temere quidem nobis perſuadetur.

Quotieſcunque igitur, & in ſumma, corpus ſiccatum nimis, & viribus fractum fuerit, tum ut corpus humectetur, tum ut vires corporis redintegrentur, unius horæ quies indulgetur; ſomno tamen abſoluto, dimidiæ horæ ſpatio obambulare, nec vanus irritusque conatus fuerit, id, quod ſtudiorum Alumnis, illico ad ſtudiorum pulpitum poſt ſomnum properantibus, memori mente tenendum erit.

Quam ob rem rurſus laudatus WEINHARDIVS *loc. citat.* hoc modo diſſerit: *Erit autem quandoque ſomnus meridianus majoris commodi, & minoris detrimenti gratia neceſſarius tum in iis, qui nocte prægreſſa non dormiverunt; tum in gracilibus hecticis, diuturno morbo emaciatis, itinere, laboribus antemeridianis, vel balneis defatigatis, vel medicina purgante debilitatis.*

In eandem ſententiam a CORNELIO CELSO itum fuit, in hæc effuſo verba: *In calidiſſimis, & longiſſimis æſtatis diebus, ubi noctes breves, ac ſæpius inquietæ, ubi ob vehementiorem ſpirituum, ac caloris diſſolutionem, corporisque diſſlationem continuam frequentior caloris concentratio, ac ſpirituum reſtauratio requiritur; hinc calidiores plerumque terræ plagas inhabitantes, ut Itali, per æſtatis decurſum meridiari conſueverunt, maximum exinde percipientes ſolatium.* Reliqua.

Quod

Quod jam ad dormiendi tempus, ſomnique horas attinet, tot ad nocturnum ſomnum horæ requiruntur, quot natura ad præcedentis cœnæ concoctionem, viriumque ſub diu perditarum inſtaurationem horas exigit; quoniam itaque hæc concoctio ex generali Medicinæ Patrum decreto ſeptem ſaltem horarum ſpatio plerumque abſolvitur, viresque per id ſomni tempus ſatis penſantur, ſeptem ad noctis ſomnum horas ſufficere, & nobis, & cum primis SALERNIS DOCTORIBVS hoc modo accinentibus.

Septem horis dormiſſe ſat eſt juvenique, ſenique.

perſuaſiſſimum eſt. Verum tamen non ad litteram, & in ſumma hæc regula ſervari poteſt, ſed pro diverſa ratione *ætatis*, *anni temporis*, *temperamenti*, *naturæ*, *vitæ generis*, & *conſuetudinis* &c. omnino differt, ſiquidem aliud concoctionis, ſomnique tempus *infantium*, aliud *juvenum*, *virorum*, *ſenum*, *melancholicorum*, *phlegmaticorum*, aliud rurſus *ſanguineorum* & *cholericorum*, aliud denique *laborantium*, aliud *otio vacantium* eſſe, quod natura, viresque tuæ determinabunt, nemini ulli ambiguum, obſcurumque eſſe poteſt.

SECTIO XII.

De Excernendis & Retinendis.

§. I.

SEX RES INTER NON NATVRALES, excernenda & retinenda, niſi locum primum, certe nulli ſecundum ſibi merito vendicare videntur: ſiquidem nihil tam conſtantes, validasque tuendæ valetudini ſuppetias ferre, nihilque aperte adeo, & inſpectantibus omnibus, vitæ longævitati favere, quam proſperum *excernendorum* & *retinendorum* ſucceſſum, non modo Medicinæ Primores, verum etiam in arte Medica advenæ & hoſpites odorati ſunt,

id,

id, quod omnibus in confessis est, ut adeo universa valetudinis tuendæ fundamenta salubriori huic *excretorum* & *retentorum* successui superstruenda fore, nec vana quidem conjectura animus præsagiat, neque id in vanum auguremur.

Nostrum igitur intererit disserere, quid *excernendi*, quid *retinendi* nomine intelligatur.

Res ergo *excernendæ*, quum *solidæ*, tum *liquidæ* in humano corpore productæ, non tam utiles & salutares, quam noxiæ, & insalubres sunt, hinc humani corporis rebus & facultatibus potius officiunt, adeoque merito per congrua loca excretoria e corporis latebris & recessibus exterminandæ erunt. Proinde has res in duo genera Scholis Medicis partiri lubet, in res nempe *utiles*, & *inutiles*.

PRIORES sunt *chylus*, *lac*, *succus nutritius*, *sanguis*, *semen*, *liquidum nerveum*, *spiritus vitales* & *animales* &c. atque hæc omnia eum in finem destinata, ut corpus servarent sanum, & incolume, ac pro re nata pararent vias ad nestoreas ætates.

POSTERIORES sunt, quæ nihil commodi, aut emolumenti humani corporis rebus & prosperitatibus conferunt, verum diutius retentæ in corpore œconomiæ res familiares sternunt, & conterunt, nec non morbis & ægritudinibus materiam & fomitem suggerunt, cujus generis sunt sordes *alvinæ*, per inferiora excernendæ, feces item & vapores halituosi, *tenues*, *acres*, *serosi*, visibiliter, vel invisibiliter, *sensibilis*, vel *insensibilis* perspirationis ope per cutis poros & meatus proscribendi e corpore. Partes denique excrementitiæ serosæ, crassiores, particulis *solidis*, *acidis*, *austeris*, *terreis*, *salinis*, & *unctuosis* permixtæ, quæ excretionis urinæ beneficio e humani corporis recessibus exturbari consueverunt. Atque hæ dictæ excretiones primariæ, principes & generales sunt, tum quia perpetuæ, tum quia per eas universum corpus humanum, ejusque partes *solidæ*, & *fluidæ* a noxiis fecibus, & sordibus repurgantur.

Has

Has modo generales evacuationes aliæ excretiones, ſecundariæ, & particulares ſequuntur, quibus nempe hæc vel illa pars corporis purgatur; ſic ſcilicet *phlegma* tuſſi & ſcreatu e pectore, *mucus* narium per nares, *ſordes* oculorum, aurium & dentium per oculos, aures & dentes, *cruor hæmorrhoidalis* per hæmorrhoidales venas e corpore amandantur. Sunt præterea alia producta præternaturalia, toto genere, totaque ſubſtantia a corporis noſtri partibus & *ſolidis*, & *fluidis* diſtincta, *vermes* nempe, *aſcarides*, *lumbrici*, *flatus*, *calculi* &c. quæ hæc omnia hucusque recenſita ita comparata ſunt, ut non modo humani corporis valetudini nulli ſubſidio ſint, verum potius ejus res & ſpes non raro gravius offendant, ſternantque, atque corpus in graviſſimos morbos, & ægritudines conjiciant: hinc, quibus modis fieri poteſt, e ſede ſua exturbanda, ſuoque e domicilio pellenda, & proſcribenda erunt.

Quam ob rem, qua ſint origine nata hæc excernenda corpora, quidque damni humano corpori, ejusque valetudini inferant, quibus præſidiis, malis inde enatis medendum, & ſuccurrendum ſit, generatim æque, ac perſpicue inveſtigatum imus.

§. II.

De læſa excretione alvina, ejus cauſſis, & incommodis, præſidiisque, quibus curanda venit.

Si alvus biduo, triduo, & amplius ſegnis ſit, ſuumque munus negligat, hæc alvi ſegnities, hæc via invia, qua excrementa e ventre elabi prohibentur, *læſa alvina excretio*, *ſeu alvi obſtipatio* ſemper, & ubique nuncupatur.

Quemadmodum igitur læſa hæc excretio, & alvi obſtipatio a diverſis cauſſis, nempe vel ab aere calidiore, & exſiccante, vel frigidiore, & humectante, cibis item nimiis, & qui ſunt difficilis concoctionis, ac pravæ qualitatis, *acidis* ſcilicet, *acri-*

bus, & *aromaticis*, *dulcibus*, & *fermentantibus*, *flatulentis*, *leguminosis*, *tenacibus*, & naturali digeſtioni reſiſtentibus; nec non immodica quiete, vita ſedentaria, exceſſivis ſtudiis, & lucubrationibus, ſomno nimio, & meridiano, mœrore, triſtitia, ira, terrore, aliisque noxiis animi paſſionibus (quibus ventriculi ſuccus gaſtricus vel exſiccatur, aut inſpiſſatur, aliave labe afficitur, motui ſtomachi periſtaltico ponuntur limites, ventriculi atonia aſciſcitur, hinc ejus coquendi facultates gravius violantur, naturalis ciborum concoctio peſſumdatur) ortum ducit: ita cruditates primarum viarum, *acido-viſcidas*, & *flatulentas*, nec non *ſalino-acres*, & *putridas*, quæ alvi obſtipationi, morbisque materiam ſuggerunt, prodire in medium, explorata res eſt. Enim vero in ventriculo & inteſtinorum canale productæ & cumulatæ hæ feces, ſordesque, ſi diutius retineantur in corpore, nec ſtato tempore & ordine excernantur, chylum, & ſuccum nutritium vitiant & coinquinant, chyli vitiati partes in inteſtinis partim ſtagnant, & congeruntur, hinc alvi obſtipationi, & infimi ventris morbis materiam ſuppeditant, partim vero a tunica inteſtinorum glanduloſa reſorbentur, ac ſanguini & humoribus per vias communes communicantur, ſuique labe vitalem purpuram contaminant, unde in primis morbos ventriculi, & inteſtinorum, nempe *flatus*, *ructus*, *ſingultus*, *cardialgiam*, *vomitus*, *dolores cholicos*, *& inflationes ventris*, *infarctus*, *obſtructiones*, *alvi languorem*, *malum hypochondriacum*, *aſthma*, *appetitum proſtratum*, &c. nec non ægritudines ſanguineas, *febres*, *catarrhos*, *tuſſes*, *ſenſuum diminutiones*, *dolores capitis*, *defluxiones*, *vertigines*, *cutis defœdationes* &c. generari per ſingulos dies experiri licet.

Atque adeo cauſſam tot malorum, & ſymptomatum, *alvi nempe ſegnitiem & obſtipationem*, a qua dicta mala, & ærumnæ dependent, e medio tollere præſtat, qua ablata id genus effectus peſſimi tollentur, prior redibit ſalus & refloreſcet.

Quam

Quam ob rem solvetur alvus, suumque repetet officium, dum suis præsidiis, obstructionis alvinæ caussis, à quibus pendet malum, sumus ituri obviam, maloque allaturi opem.

Qua de caussa, si alvi obstipatio ab aere *calido*, & *sicco*, *cibo & potu calefacientibus*, *spirituosis*, *aromaticis*, *acribus*, & exsiccantibus, quæ & *calidum innatum* dissipant, & *radicale humidum* absumunt, exorta fuerit, proderit in primis *aeris calidioris in frigidiorem mutatio*, *juscula item tenuia hordeacea*, & *avenacea cum brodio carnis*, & *butyro recente cocta*, *brodia rursus cancrina*, *infusiones*, & *potiones passularum*, *prunorum*, *potus tamarindorum*, *item pulvis lapidum cancrorum & eleosacchari citri*, **Citronen Zucker** (*si utriusque æquales sumantur partes*) *cujus aliquot cuspides cultri cum aqua probe misceantur*, & *bene agitata bibantur*, quæ potus ordinarii more in usum vocanda erunt. Potus vero *tamarindorum* protinus salutaris, hoc modo potest confici: sumantur nimirum *tamarindorum enucleatorum*, **Tamarinden ohne Kernen**, unciæ tres, de *saccharo fino*, vel *citri eleosaccharo*, & *cremore tartari*, *utriusque uncia dimidia*, *vel drachmæ sex*, omnia misceantur, de mistis cochlear unum **ein Eß-Löfl voll**, coquatur in mensura aquæ fontanæ ad unam, vel duas ebullitiones, tunc vero removeantur ab igne, frigefiant, frigefacta colentur per pannum, colatura detur pro usu & potu ordinario.

Dum vero alvi segnities ab aere frigido pendet, hunc mutare in calidum, corpusque vestitu calido probe munire præstat. Si vero malum a quiete, vita sedentaria, studiis, lucubrationibus, somno nimio, aut vigiliis, adversis animi pathematis descenderit, hæc singula moderari, & in salubriorem ordinem, ac temperationem reducere, omnino necesse erit. Si ab alimentorum, viriumque inopia clausa alvus pullulet, victus humectans, diluens, & analepticus, *brodia nempe ex carne vitulina*, *vel gallina*, *cancris contusis*, *ac vitulinis pedibus cocta*, *nec non gelatinæ ex his dictis paratæ*, *ac in brodiis carnium ferventibus solutæ* & *sumptæ*, *ova item sorbilia*, *cremores hordei*, & *avenæ*, *nec non*

chocolatæ ſorbitiones cum lacte recente dulci paratæ obſtipationis malo medelam ferent.

Poſtquam vero nimia ingeſta, aut alimenta cruda, *acido-viſcida & flatulenta*, difficulter coquibilia, alvi portas clauſerint, clauſa reſerabitur abſtinentia, & frugalitate, victu item diluente, incidente, & abſtergente, moderato nempe uſu *unius vel alterius caliculi ſorbitionis caffee, nec non calidis carnium brodiis, quibus radices cichorii ſylveſtris & graminis (de qualibet radice pugillum unum pro doſi ſumendo, & coquendo) usque ad aliquam brodii amaritiem incoquantur, quod brodium cichoraceum ad tempus in dies mane & veſpere pro re nata ſumi poteſt. His accedat motus corporis vel vectione, vel equitatione aura ſerena inſtitutus, frugalior menſa, amicà converſatio, nec non moderati affectus animi.*

Si denique ob exceſſus menſæ præcedentes, aliasque cauſſas orta ventriculi atonia & enervatio alvi ſolutionem prohibuerint, præſidia ſtomachica medelæ erunt, id, quod præſtabunt *brodia carnium cichoracea, vina generoſa religioſe delibata, tinctura rhabarbari aquoſa, mane, & veſpere ſemper ad cochlear unum ſumpta; ipſa rhabarbari electi radix in taleolos ſciſſa, & maſticata jejuno ſtomacho, vel liquor viſceralis Diſpenſatorii Viennenſis in aqua, aut carnium brodio ventriculo a cibis vacuo ad guttas XXXX. & amplius ſumptus*, quorum antidotorum comes ſit motus corporis, quæ præſidia & antidota alvi vias aperient, alvumque clauſam ſolutum ibunt.

At ſi hucusque recenſita præſidia non ſufficiunt, priorque urgeat alvi ſegnities, tunc ſuppoſitoria ex *ſapone*, vel *melle*, aut *ſevo cum modico ſale* cocta, & parata, vel clyſteres domeſticos, ex *brodiis carnium*, vel *tenui cremore hordei, aut aqua calida, tribus, quatuorve mellis, totidemque olei olivarum, & duobus ſacchari cochlearibus, cum uno, aut duobus vitellis ovorum, & uno pugillo ſalis communis* paratos alvi ſolvendæ gratia applicandos, & pro re nata iterandos eſſe, e re fore merito exiſtimetur.

§. III.

§. III.

De læſione excretionis urinæ, & inſenſibilis perſpirationis, earum damnis, & remediis, quibus curentur.

In quo ratio excretionis urinæ quærenda ſit, non ſolum ſupra percepimus, verum id etiam ex horaria lotii emiſſione nemini ulli ambiguum eſſe poteſt. Plurimum vero refert, ut hæc excretio debito ſuccedat *ordine*, *tempore*, & *quantitate*, quæ ſi in primis modum exceſſerit, *diabetis* nomine venit, nec non diutius continuata, *tabem* & *atrophiam* poſt ſe ſolet trahere; dum contra, ſi ſolito minus urinæ excernitur, & lotii fluxus minuitur, aut ſupprimitur, a minuta hac excretione *dyſuria*, *ſtranguria*, *cachexia*, *hydrops*, *tympanites* &c. natales ducunt.

Siquidem eum in finem urinæ miſſio a natura inſtituta eſt, ut humani corporis partes inutiles, & excrementitiæ, & cum primis nutritioni, & conſervationi œconomiæ animalis inidoneæ, *viſcidæ* nempe, *ſeroſæ*, *acido-acres*, *bilioſæ unctuoſæ*, *ſalinæ terreæ*, a maſſa ſanguinea ſegregentur, in renibus ſecretæ per ureteres ad veſicam urinariam deferantur, atque adeo per vias communes e corpore amandentur, ut corporis partes *ſolidæ* & *fluidæ*, præcipue *ſanguis*, *ſerum* & *lympha* &c. a ſordibus inutilibus & excrementitiis liberentur, totum mundetur corpus, & a noxiis repurgetur fecibus, qua ſaluberrima id genus excretione ſanitatis rebus & utilitatibus apprime conſulitur, vitæque integritati validiſſime providetur.

Quam ob rem dum huic excretioni remora ponitur, urinæ fluxus minuitur, aut omnino ſupprimitur, priores ſordes *acido-acres*, & *putridæ viſcidæ* &c. in corpore colliguntur, ſtagnant, & congeruntur, quibus congeſtis & cumulatis, *ſolida* & *fluida*, *viſcera*, *ſanguis*, *ſerum*, & *lympha* labem ſubeunt, & defœdantur,

 adeo-

adeoque in primis renum & veſicæ, nec non abdominis ægritudines: ſpeciatim *urinæ ardorem, iſchuriam, ſtranguriam, calculum*; *dolores colicos, cardialgiam, aſthma, & difficile reſpirium, ventris tormina, alvi obſtipationem, hepatis, lienis, & meſenterii inflationes, obſtructiones, & tumores, ſcirrhoſas concretiones, œdema pedum, cachexiam, icterum, hydropes*, aliasque malorum fibras, & ærumnas prodire in medium, & ſuccreſcere (quæ mirum dictu! in bona corporis furunt, & deſæviunt, ſanitatis ſacra conculcant, vitæque necem & interitum minantur) caſus lugubres, & fata triſtia abunde commonſtrarunt.

En igitur mala, & malorum agmina! quæ ex impeditæ, aut ſuppreſſæ excretionis urinariæ ſcaturigine promanant, quæ non avelles, nec pelles, niſi excretione urinæ ſalva ſtante & libera; hinc impedita ocyus revocanda, in ſtatu vero naturali conſtituta, ſarta tecta omnibus modis conſervanda erit.

Toti igitur in eo ſimus, ut læſa hæc excretio opportunis præſidiis, quæ ſuis reſpondeant cauſſis, a quibus prohibita lotii excretio pendet, quam primum licuerit, redintegretur.

Atque adeo ſi cum primis diminutæ excretionis urinæ, inclementia aeris cauſſa exſtiterit, eo modo, quo læſa excretio alvina ſolebat, id genus labes aeris debet corrigi. Dum vero ab alvo clauſa urinæ impedimentum ortum ducit, alvus occluſa (ut ſupra de alvi languore dictum) ſuis præſidiis ſolvenda venit. Quodſi vero humorum *viſcidorum & acidorum, acrium, flatuumque colluvies*, nec non *arenulæ*, & *calculi* urinæ vias intercludant, tunc prava hæc humorum corruptorum congeries ſolvenda, & digerenda, calculi ſpaſmi leniendi, & relaxandi, atque ſi licuerit, e corpore proſcribendi ſunt, quo modo urinæ viæ intercluſæ patebunt, eruntque perviæ, redibit urinæ fluxus, & reparabitur.

Quam ob rem ad pravam in primis humorum putridorum ſolvendam congeriem, ſpasmosque relaxandos antidoto erunt clyſteres domeſtici, ex tenui carnis brodio, aut *cremore hordei*,

cum

cum melle & saccharo, oleo amygdalarum dulcium, vel olivarum, vitellis ovorum, & tantillo nitri parati, qui pro re nata repetendi erunt. Vel porrigatur sequens lenis laxans infusio ex *mannæ electæ calabrinæ duabus unciis, & cremoris tartari duabus, vel tribus drachmis in brodio carnis macro ad lenem carbonum ignem solutis, & per pannum colatis* parata, quæ mane jejuno ventriculo ingeratur, ejus vero effectus, & operatio, bibendo brodia carnium macra, & minus salita, adjuventur. Vel dari potest, præsertim, ubi humorum digestione opus est, potus theiformis ex *herba veronicæ, & floribus acaciæ* mane & vespere potus, aut omni trihorio in *brodio carnis macro, duo, tria, vel quatuor cochlearia olei amygdalarum dulcium recens sine igne expressi* sumantur, quibus renum dolores, & spasmi leniuntur, & relaxantur, optatus urinæ successus promovetur.

Porro si hæc interna non sufficiunt præsidia, iis simul externa remedia adjungenda erunt; unde usus balnei dulcis domestici ex *sacculo, hordei granis repleto, & aqua vel sola, vel cum lacte mixta,* simul coctis, parati, & tepide (nequaquam vero calide) trihorio, vel quadrihorio ante, vel post mensam (prius sumpto jusculo) usurpati, cui, quamdiu corporis vires facile ferunt, supra renes usque insideatur, & corpus, vase balnei panno, alioque velo clauso, balneetur, ac post balneum pannis calidis siccetur, lectoque committatur, egregium (simul in usum vocatis internis præsidiis) commodabit opem & operam. Verum mox ante, & post usum balnei, certioris consequendi effectus gratia, *regionem renum & spinæ dorsi unguento de althea,* cum *oleo lumbricorum terrestrium,* vel *liliorum alborum* & *oleo camillæ* calide ad carbonum ignem inungere, operæ fore pretium, existimetur. At vero, si horum omnium vanus, irritusque conatus fuerit, tunc Medici implorare opem, & operam, forte omne feret punctum, omnemque absolvet paginam, hinc nihil cunctando, ut sua præsentissima opitulatione adsit, omnino curandum erit. Si vero sanguis copiosior & spissior ex neglecta, & omis-

omiſſa venæ ſectione, vel ſuppreſſione, & emanſione hæmorrhagiæ narium, aut fluentium hæmorrhoidum congeſtus, cumulatusque, naturali urinæ excretioni poſuerit limites, venæ ſectio in pede, aut venarum hæmorrhoidalium per ſanguiſugas apertio (junctis ſimul *carnium brodiis macris, cum oleo amygdalarum dulcium recenter ſine igne expreſſo* mixtis) urinæ vias pandet, liberamque lotii excretionem revocabit.

Dum denique impedita *inſenſibilis perſpiratio*, aut frigore *turbata ſudoris excretio* urinæ fluxum prohibuerint, ſumpta *calida carnium brodia, aut infuſiones thee communis, vel herbæ veronicæ*, in lecto provocando ſudorem, urinæ fluxum reddent, votisque tuis, & deſideriis morem gerent.

§. IV.

De læſione inſenſibilis perſpirationis, ejus damnis, & præſidiis, quibus corrigantur.

Profecto tertia modo generalis excretio *Perſpiratio nempe inſenſibilis, aut ſenſibilis, ſeu ſudor*, minime ſicco pede tranſeunda erit. Hæc namque princeps evacuatio a frigore, aut alio quovis modo violata, *effluviis ſuis minimis, halituoſo-ſeroſis acribus & ſalinis* in corpore retentis & cumulatis, *fluida* quæque & *ſolida* commaculat, *ſanguinem, ſerum* & *lympham* labe *acido-acri ſulphurea* imbuit, quæ lege circulationis humorum, in partium internarum fibras & nervos impingens has partes rodit, ſpasmodice contrahit, & vellicat; hinc motus, & actiones naturales turbantur, pullulant ægritudines præſertim *ſanguinis, ſeri, lymphæ, & nervoſi generis*, nominatim *omnis generis febres acutæ & intermittentes, dolores colici, diarrhææ, tormina ventris, defluxiones oculorum, & aurium, catarrhi, coryzæ, tuſſes, rheumatismi, anginæ, pleuritides, arthritides, podagra, artuum, viſcerumque ſpasmi & convulſiones, ſcabies humida & ſicca, aliæque cutis defœdationes* &c. id, quod quo-

quotidiani caſus Medici, & obſervationes clinicæ aperte loquuntur.

En! quam jam valide HOFFMANNVS Medicinæ peritorum exemplar certe perfectiſſimum noſtro dicendi argumento patrocinetur, dum NVM. XVII. *fol. 388. de Excret.* conceptis verbis ſcriptum reliquit, ita dicens: *Tranſpiratio maxime omnium impuras, & excrementitias ſordes e corpore evehit, ſerum tenue halituoſum ſalino-ſulphureum per cutaneos poros elidendo. Hoc enim intra corpus retentum, facile putridas humoribus inducit corruptiones, & febres mali moris accendit, vel etiam ſeri ſalſi graves decubitus, rhevmatismos, diarrhœas, catarrhales febres, cutisque exulcerationes excitat.* Reliqua.

Id unum ergo ſpectemus, in eo ponamus induſtriam, ut princeps hæc excretio non modo rite ſuccedat, verum etiam quovis modo impedita, revocetur, in ſuum redigenda ordinem.

Qua de cauſſa quum in primis aer frigidus, aerisque viciſſitudines, nec non ingeſta *acida, viſcida, flatulenta*, & quæ minus concoctioni auſcultant, ac adverſa animi pathemata, alvique excretio nimia perſpirationem ſaluberrimam prohibeant, has cauſſas tollere præſtat, unde aer frigidus mutetur in calidum & ſiccum, purum & ſerenum, victus ſit tenuis, humectans & facile ſolubilis, non nihil aromaticus; ſuam item præſtabunt opem, optatoque auxilio erunt infuſiones theiformes *thee ordinarii*, vel *herbæ veronicæ*, in lecto ſumptæ, lenem deſuper exſpectando ſudorem. Rurſus proſunt *balnea domeſtica tepidiuſcule applicata*, item *moderata corporis exercitia*, *frictiones corporis*, & ex animi paſſionibus, quæ humores expandunt, & ſpiritus, ac ſanguinem in lenes motus & ebullitiones agunt, *ſpes* nempe, & *moderatum gaudium*, &c. quibus præpeditam, aut ſuppreſſam *perſpirationem inſenſibilem* revocandam fore, æquo & jure opinamur.

Si e diverſo modum, limitesque egreſſa fuerit perſpiratio, quo facto *humidum radicale* diſſipatur, corpus exſiccatur, na-

turæ vires convelluntur, actiones corporis interturbantur, hinc morbis materia ſuggeritur, contrariis utique præſidiis & antidotis, quibus nimia prohibetur *perſpiratio inſenſibilis*, & *ſudor* attemperatur, corpus humectatur, vires convulſæ reparantur, humidum radicale inſtauratur, ſuccurrendum erit, hinc conveniunt *aer temperatus paulo frigidior, victus, potusque contemperantes & nutrientes, cremores nempe hordei, & avenæ, juſcula acido citri ſaturata, gelatinæ item domeſticæ in brodiis carnium ferventibus ſolutæ & comeſtæ, ova ſorbilia* &c. *quies corporis & ſomnus longior;* reliquas vero excretiones alvi & urinæ ſervare liberas, nec non adverſa animi pathemata moderari præſtat. Ex quibus utique pronum eſt colligere, plurimum intereſſe, ut hæ principes generales excretiones optatæ valetudinis tuendæ gratia ſartæ tectæ conſerventur, neque modum excedant, aut ſupprimantur, dum optata ſalus floreat, tuumque corpus ſanum & incolume in neſtoreas ætates perſeverare cupias.

Porro his modo excretionibus generalibus aliæ evacuationes particulares ſubjunguntur, quæ, quum non minus, ſuo ſaltem modo, ſanitatis rebus & utilitatibus velificentur, minime negligendæ, verum potius diminutæ, aut ſuppreſſæ adjuvandæ ſunt, quarum ſucceſſu bona corporis tuebimur, integra ſtabit ſalus & ſanitas.

Atque adeo hæ evacuationes ſunt in primis excretio *muci* per nares, *phlegmatis* per pectus, *ſordium* per oculos, aures, dentes, fonticulos, ulcera pedum &c. quæ dictæ ſordes, particulares corporis partes occupantes, ſi diutius retineantur in corpore, neque debito ordine, tempore, & quantitate excernantur, enaſci *defluxiones & dolores capitis, aphtalmias, vertigines, oculorum, & aurium labes, ſibilum, tinnitum, ſurditatem, cœcitatem, coryzam, læſum odoratum, dentium dolores & maculas, aſthmata, tuſſes* &c. experientia teſte ratum, exploratumque habetur. Proprio tamen marte, tuaque induſtria has excretiones curabis, modo non pigeat, ſuo tempore aures, oculos, nares,

den-

dentes, os, pectus, & fonticulos ſuis fecibus, ſuisque repurgare ſordibus.

Abſolvam modo hanc de excretionibus tum generalibus, tum particularibus materiam, eamque terminis claudam, quibus in primis *Litteratos, valetudinarios, arthriticos, chyragricos, iſchiadicos, & podagricos*, aliosque cruciati ordinis Heroes toto pectore monere juverit, ut has excretiones, præſertim *inſenſibilem perſpirationem* ſartas tectas ſervare, adeoque corpus ab omni frigore prohibere, omni modo conentur, quo fiet, ut a diriſſimis malorum ſuorum, ac tormentorum paroxiſmis & periodis rarius, & mitius pungantur, humanius, & benignius excipiantur, atque puncti in præſens, & divexati manſuetius tractentur, citius aliis, frigoris, & diætæ regiminis incuriis, redituri in gratiam.

Atque hæc de excretionibus generalibus & particularibus dicta ſufficiant, quarum debitus ordo & ſucceſſus ſalutis ſuæ amantibus omnibus modis commendentur.

§. V.

De humani corporis excretionibus accidentalibus, earum ſalubritate, & inſalubritate.

E Benigna illa parens Natura noſtra, ceu provida & ſui conſervatrix, & morborum mediatrix, ſemper & ubique ſollicitiſſima eſt, omnemque intendit nervum, ut omne id, quod noxium, quodque vel ulla ratione humani corporis valetudini nocere, ejusque ſpes & proſperitates oppugnare, & violare poteſt, a ſe repellat, & avertat, quo naturæ molimine, quibus & naturæ conatibus ſalus noſtra ſalva ſtaret, perennaret vitæ integritas, ut adeo, ſi in poteſtate naturæ foret, ejusque robur, viresque ſufficerent, neque ſtatutum eſſet, homini mori, certe immortalis humana creatura creaturarum perfectiſſima efficeretur.

 Quam

Quam ob rem non modo excretionibus generalibus, quotidianis, & ordinariis, verum etiam particularibus, extraordinariis & accidentalibus, quas absque certo ordine, & tempore, ſed in certis duntaxat anni intervallis, & periodis natura inſtituit, tanquam validiſſimis utitur præſidiis, quibus omne impurum in corpore, omneque noxium, perniciosum, & excrementitium e corporis limitibus proſcriberetur, hinc ſarta tecta ſtaret ſanitas, vitæque longævitas conciliaretur.

Atque adeo cum primis in viris (prætereundo hic in ſexu ſequiore menſtruum fluxum catameniorum) præſertim *Litteratis, hypochondriacis, & vitam ſedentariam viventibus, plethoricis, iisque, qui plus ingerunt, quam natura ad corporis nutritionem, & ſanitatis conſervationem exigeret*, non raro fluunt venæ hæmorrhoidales; in pueris & juvenibus ſupervacaneus in venis cruor nonnunquam narium ſtillicidio ſolvitur, & evacuatur; & certe utraque hæc ſanguinis profuſio tum in viris, tum in pueris (modo intra limites contineatur, modumque non excedat) ſuccedit cum naturæ levamine, quoniam hoc modo corpus a redundante liberatur cruoris onere, qui ſi in corpore ſuperſtes, & inutilis manſiſſet, abiiſſet in putredinem, morbis materiam, & fomitem ſubminiſtraſſet, feſtinaſſetque offenſum corpus ſanum, & incolume, quod a redundante & retento in venis ſanguine non ſemel modo gravius vulneratum fuiſſe, explorata res eſt.

Quapropter ejusmodi ſalutares ſanguinis effuſiones nequaquam turbandas, ſed debito diætæ regimine (cum primis durante hac excretione corpus arcendo a nimio frigore, nimioque calore, nec non declinando exceſſus menſæ, epulas nimias, & quæ pravæ ſunt qualitatis, difficilisque ſolutionis, atque fugiendo adverſa animi pathemata, iram, triſtitiam, mœrorem) conſervandas fore, naturæ lumine facile edocemur. Siquidem dum minuuntur, aut plane ſupprimuntur, modumve excedunt, corporis *ſolida* & *fluida* labe contaminari, ſanguinem in venis cumulari, & ſtagnare, motum ſanguinis circulatorium minui & de-

depravari, turbari actiones & excretiones corporis ordinarias, adeoque morbos pulsare fores, facili quisque animo, sibi præsagire potest. Atque adeo, quam primum diminutus aut suppressus fuerit hic fluxus hæmorrhoidum, aut hæmorrhagia narium prohiberetur, ocyus fluxum hæmorrhoidalem venæ sectione in pede, aut sanguisugarum applicatione ad venas hæmorrhoidales, prohibitum vero narium stillicidium, sanguinis missione in cubito, aut pro re nata in pede revocare, cruoremque redundantem diminuere præstat, quo mala, & sanitatis pericula avertentur, vitæque integritas in suo vigore conservabitur.

Prodit jam in scenam alia naturæ excretio, qua non raro cruditates, sordesque *putridæ, acido-viscidæ, seroso-biliosæ, & acres* in ventriculo & intestinorum canale a præmisso *victus, iræ, aut frigoris* &c. excessu ortæ, & cumulatæ, vel sursum per *vomitum*, aut deorsum sub specie *diarrhææ* per ani orificium solius naturæ molimine in bonum corporis, & valetudinis excernuntur, quæ sordes noxiæ, & excrementitiæ si in corpore retentæ fuissent, *solida* & *fluida* coinquinassent, suggessissent morbis, & ægrotationibus materiam & fomitem; adeoque id genus excretionem saluberrimam per *vomitum*, aut *diarrhæam* succedere solitam cum bonis naturæ rebus procedere, valideque sanitatis, vitæque rationibus & utilitatibus patrocinari, eloquentissimus Medicinæ Orator CELSVS testis est, qui de hoc excretionis genere LIB. III. *Cap. 4.* in terminis ait: *Vna die fluere alvum, quin pluribus, sæpe pro valetudine est, modo absit febris, & septima die conquiescat.*

Religioso itaque diætæ regimine, fugiendo *quosvis mensæ excessus, ac edulia noxia, & potulenta perniciosa, nec non frigus, nimiumque calorem, ac adversos affectus animi, iram, mœrorem* &c. intra suos limites hæc excretio continetur, prohibeturque, ne modum excedat, aut in febres, aliosque morbos degeneret: qua ratione beatæ valetudini consulitur, salus in tuto collocatur.

SANCTORIVS naturæ Scrutator accuratiſſimus obſervavit: nonnunquam redundans, noxiumque ſerum, & humidum per urinæ vias tolli, & proſcribi e corpore, dum PART. I. *Aphorſ. 65. & 66.* ita pronunciavit: *Corpora ſana moderatiſſimo victu utentia ſingulis menſibus fiunt ponderoſiora, ita, ut ad duas libras pondus creſcat, redeunt autem ad conſuetum tempus circa finem menſis ad inſtar mulierum, facta criſi per urinam paulo copioſiorem, & turbidiorem præcedente capitis gravitate, vel corporis laſſitudine, quæ paulo copioſiori urina ſeparata protinus ſedantur.*

Atque huc rurſus referendæ ſunt aliæ naturæ evacuationes, quæ cum primis veris & autumni tempore ſub *catarrhi*, *coryzæ*, & *tuſſis* ſpecie non raro ad vota fluunt, quum id genus excretionibus corpus, ſpeciatim *caput*, & *pectus* ab humorum *acrium*, *ſalſorum*, & *viſcidorum* colluvie, haud ſterili morborum genitrice, repurgentur, nec non humanum corpus a verendis morbis, & ægritudinibus vindicetur.

Porro in numerum ejusmodi excretionum ſalubrium accidentalium ſudores illi, quos nonnunquam noctu natura fundit, afferuntur, quibus fuſis natura levatur, humanum corpus a morbis imminentibus, præcipue *arthritide*, *chyragra*, *podagra*, *malo iſchiadico*, *defluxionibus aurium*, *oculorum*, *& artuum* &c. præſervatur, mitius attentatur, & citius abſolvitur, atque adeo ſanitatis rebus & facultatibus providetur.

Sunt præterea excreta accidentalia ſaluberrima *cruſta lactea infantum*, *ſcabies humida*, *& ſicca*, *manuum*, *pedumque ulcera*, aliæque cutis defœdationes, eo, quod corpus ab humoribus *noxiis*, *putridis*, *viſcidis*, *ſalſis* & *acribus* (qui niſi a partibus internis vitalibus & principibus ad corporis habitum naturæ viribus detruſi fuiſſent, corpus in graviora pericula, morbosque conjeciſſent, & gravius vulneraſſent) immune reddere, idque a graviori periculo, & ægritudine expedire moliantur. Minime igitur hæc excreta ſalubria inunctione impedienda, aut extrinſecis, verum potius intrinſecis præſidiis curanda veniunt:

enim

enim vero externa curatione humores hi noxii & excrementitii ab ambitu ad centrum, ſeu partes internas principes urgentur, & repelluntur, morbo interno graviori paratur, & ſuggeritur materia, adeoque ſanitatis rationibus & utilitatibus peſſime conſuleretur.

Verum tamen id in ſumma de his excretionibus accidentalibus monere juverit, ut, quamdiu corpus occupant, accuratiore diætæ regimine (ne ullo modo turbentur, & rebus bene geſtis ponantur limites) opus ſit, vitando omnes menſæ exceſſus, nimium frigus, nimiumque calorem, iram, triſtitiam &c. horumque potius debita moderatio ſervanda eſt, qua id genus excretiones accidentales felice concludentur exitu.

SECTIO XIII.

De animi pathematibus, eorum ſalubritate, & inſalubritate.

§. I.

Quando modo coronidem ſecundo diſſertationis noſtræ capiti imponimus, animi pathemata, quæ SEX RES INTER NON NATVRALES agmen denique claudunt, ſe ſe nobis offerunt, quorum tanta vis, tantaque poteſtas eſt in humani corporis res & facultates, ut vel ejus ſanitatem ſervari illibatam, & integerrimam, vel non ſemel mirum dictu! anxiari ſalutem, & cruentari, potiſſimum ab animi pathematis pendere videatur.

In quo igitur conſiſtant hæc *animi pathemata*, & quo pacto vires ſuas, & facultates in corpus humanum exerant, cum primis indagandum erit. Vnde ſubit animum:

ANIMI PATHEMATA *certos eſſe motus, certasque affectiones animæ cum apprehenſione boni, vel mali præſentis, præteriti, vel futuri,*

turi, quibus res apprehenſas & cognitas vel amplectimur, & anhelamus, vel fugimus, & averſamur, cum ſubſequente ſolidorum & fluidorum motione, alteratione.

Quoniam itaque anima tanquam pars princeps hominis intime connexa eſt cum corpore, eique miro juncta fœdere & conſenſione, atque motus corporis varios, impreſſiones, & affectiones ſubit, & percipit: corpus, corporisque partes *ſolidas* & *fluidas*, præcipue ſpiritus movendi, & alterandi facultate & potentia animam inſtructam eſſe, neminem fore, ſperamus, tanta mentis caligine involutum, qui in plena hac veritatis meridie caliget, idque aſſertum inficietur.

Siquidem non modo intimæ unionis animæ cum corpore, verum etiam inſignis agendi facultatis & potentiæ in corpus ſuum, & corporis partes ipſæ teſtes ſunt, & nobile argumentum ponunt paſſiones, & affectiones animæ, qua affecta e veſtigio affici corpus, & corporis partes quum *ſolidas*, tum *fluidas*, horariis exemplis, & quotidianis obſervationibus corroboratur. Enim vero poteris, modo velis, tuis videre oculis, manibusque palpare, ad vehementiorem animi affectum, *iram nempe, ſubitaneum terrorem, vel gaudium* &c. illico mutari *pulſum*, & *reſpirium*, mutatasque exhibere facies, id, quod offenſæ affectæque animæ in acceptis referendum erit. Aut nunquid homo præceps in terrorem actus, vel iræ incenſus facibus propediem pejus habere queritur, cordis dolores & anguſtias lamentatur, ejus univerſum corpus non raro frigore viget, aut calore & æſtu inceditur? immo vel in ſola facie ira moti, & frementis, aut perterriti, & timentis vehementiores animi affectus legendi ſunt, quum ſubito terrore perculſi pallere faciem, gravius bile commoti vultum ſuffundi rubedine, ignes vomere oculos, horaria experientia teſte comprobetur. Id, quod amplius confirmant hiſtoriæ Medicæ, quibus gravius perterritos, etiam valentes & ſaniſſimos inopinato, & velut momento corruiſſe citius, egiſſeque animam, liquidiſſime patet.

Du-

Duplicis vero generis distinguuntur animi pathemata, in *salubria* nempe, & *insalubria*.

Inter *illa* reputantur *moderatum gaudium*, *spes*, *lætitia*, *amor*, *honor*, *gloria*, modo intra limites contineantur, nec non *animi tranquillitas*.

Inter *istas* referuntur *mœror*, *tristitia*, *curæ*, *sollicitudines*, *metus*, *terror*, *ira*, *odium*, *iracundia*, *invidia*, *& desperatio*.

Atque adeo propius ad nostrum contingit scopum in id genus animi pathemata, eorum salubritatem, & insalubritatem generatim æque, ac perspicue inquirere. Vnde sit

§. II.

De animi pathematibus salubribus, in primis de mentis tranquillitate.

E Si notio *animi tranquillitatis* te lateat, dabo eam in terminis:

ANIMI TRANQVILLITAS *ea est animi pathematum moderatio, qua animus a pravis desideriis, pravisque aversionibus liber, atque immunis degit.*

Quippe animo hoc modo comparato, spiritus quum animales, tum vitales placide, & naturali suo ordine moventur, ita moti debite in nervos, & nervosas fibrillas influunt, hinc partium solidarum tonum, & robur fulciunt; partes solidæ ita firmatæ humores *saguinem*, *serum* & *lympham* in motus impellunt, eorum circuitum, itum, & reditum adjuvant, ut naturali motu, & ordine eant, & redeant; rebus ita gestis, humani corporis actiones vigent, excretionibus naturalibus succurritur, humani corporis vires conservantur, adeoque integra stabit salus, & sanitas, atque provectior ætas conciliabitur.

Sunt vero, *gaudium*, *spes*, *amor*, *lætitia*, *honor*, *gloria*, modo modum non excedant, & cum primis *magnanima virtus*, pa-

tientia nempe in adversis, & vera in superos spes; in persecutione, & ærumnis sui præsentia, & moderatio, ac mens nullo mota turbine, atque in fatis, rebusque quibusvis afflictis serena, sibi præsens, & confisa in adjutorium ALTISSIMI, a quibus non modo animi tranquillitas suos mutuatur natales, verum etiam id genus meritoriæ passiones, & excelsæ virtutis argumenta, eundem cum mentis tranquillitate censum subeunt, eodem modo corpus, & corporis *solida* & *fluida*, quo tranquillitas solet, afficiunt, atque adeo pares corpori humano usus præstant & commoda, sanitatis res & spes protegunt, vitæque diuturnitati egregie velificantur.

Tametsi vero decursu dissertationis meæ Halæ Magdeburgicæ MEDICINÆ PROFESSORIS repetitas laudes annunciaverim: verumtamen venustior ejus est eruditio, quam ut non rursus mereatur repeti.

En igitur HOFFMANNVM: qui NVM. XI. *fol. 319.* de animæ conditione, & salubribus passionibus non minus scite, ac religiose his testatur verbis: *Patet exinde vere, pietatis, ac virtutis culturam, studiumque veritatis omnibus, ac singulis, qui his adminiculis utuntur, sanam, ac longiorem vitam promittere.*

Quibus mox PLVTARCHVS Author sane gravissimus subjungit: *Plures corpore alioquin infirmo & vacillante Philosophiæ præceptis, seu morum laudabilium, virtutisque studio, & exercitio, vitam sibi fecere protractiorem.*

Ex quibus itaque clarum utique & perspicuum conficitur: quantum tuendæ valetudini faveant salubriora animi pathemata, quam humani corporis œconomiam inviolatam servent, atque longitudini dierum validissime patrocinentur.

§. III.

§. III.

De animi pathematibus inſalubribus.

Quemadmodum ſalubria animi pathemata humano corpori optatiſſimo præſidio ſunt: ita inſalubres mentis paſſiones œconomiæ animalis minus ſerviunt, quin potius ejus rebus & facultatibus validas inſidias ſtruunt, diras intentant, nec non acerbam necem, & interitum minari conſueverunt.

Atque adeo ex his cum primis *ira*, & *iracundia* in lucem prodeunt, quæ paſſiones ſatis familiares deſcribuntur: *Quod ſint motus, & affectiones animæ, quibus malum, ceu noxium, & deteſtabile apprehenſum, vi, viribusque removere conamur.*

Quam ob rem hoc animi pathemate cum primis ſpiritus inæquali motu moventur, paulo modo figuntur, mox rurſus expanduntur, ſanguis, & humores, præcipue bilis celerrimo curſu per vaſa feruntur, eorum itus, & circuitus turbantur, & depravantur, excretionibus, & actionibus tum *vitalibus*, tum *naturalibus* ponuntur limites; unde *corpus incaleſcit, oritur ſitis, & non raro oris amarities, quibus quandoque ſuccedunt vomitus, cardialgiæ, tormina ventris, diarrhœæ, cephalalgiæ, convulſiones, animi deliquia, febres* &c. atque adeo *ira*, & *iracundia* ſanitatem ruere, humani corporis œconomiam non raro offendi gravius, & vulnerari, morbos gigni, & ſanitatem peſſumdari, experientia teſte exploratum habetur.

Sanguinei igitur, & cholerici, ad iram proni, qui & ſenſibilioris complexionis ſunt, ac in vegetæ ætatis vere floreſcunt, tanquam ad incommoda bilis jam diſpoſiti ſibi ab iracundia attemperent, dum corpus ſuum ſanum & incolume ſervare concupiſcunt. At vero dum iræ jam victas manus dederis, teque ab ea offenſum ſenſeris, nequaquam ſpes ſalutis in fortiter commoventibus, & calefacientibus, ſive *ſudoriferis*, ſive *vehementioribus purgationibus, & vomitionibus, aliisque validioribus præ-*

ſidiis reponenda eſt, verum potius ea antidota, quæ bilem præcipitant, & blande refrigerant, exhibenda ſunt, quibus mala bilis avertes, tuæque valetudinis rebus & utilitatibus conſultum ibis. Atque adeo a calidis & ſpirituoſis cum primis potionibus, *vino generoſo, liquoribus, quos roſoli nuncupant, & ipſo vini ſpiritu, nec non thee, chocolatæ, & caffee ſorbitionibus* (quæ liquida amplius bilem incendunt, & humores inflammant) aliisque calidioribus ſive alimentis, ſive medicamentis prorſus abſtinendum eſt, quibus malum creſceret, & augeretur.

E diverſo vero optato præſidio erunt pharmaca præcipitantia, & leniter refrigerantia, *pulvis nempe præcipitans Viennenſis*, cujus duæ partes, cum una parte *eleoſacchari citri* miſceantur, & redigantur in unum pulverem, de quo ſumantur quatuor, quinque vel ſex cultri cuſpides, 6. Meſſer-Spitz voll, probe cum affuſæ aquæ fontanæ menſura dimidia agitentur, de qua aqua pulveriſata potus ordinarii more (ſed quoties bibitur, toties agitatio repetatur) bibendum erit. Vel porrigatur pro potu ordinario *infuſum tamarindorum*, quod ex *tamarindis enucleatis, cremore tartari, & eleoſacchari citri* (eo, quo ſupra jam modo, percepimus) parari ſolet. Vel ſoli *lapides cancrorum præparatorum cum ſaccharo, aut eleoſaccharo citri*, eo modo, quo ſuperior *pulvis præcipitans* ſolebat, uſurpari poſſunt. Aut porro applicare clyſma domeſticum humectans & refrigerans ex *cremore hordei*, aut *brodio carnis cum oleo olivarum, melle, ſaccharo, & vitellis ovorum*, paratum, præſertim ſi alvus ſimul occludatur, ſuo haud carere effectu, nobis perſuadetur.

Iraſcimini igitur, & nolite peccare, porro iram ponite, manſuetudine, & tranquilla mentis ſerenitate induamini, quo fiet, ut corpore & anima integerrime valeatis.

Quæ hucusque de *ira*, & *iracundia* enarravimus, hæc ipſa de vehementioribus animi affectionibus, *intenſo alicujus rei deſiderio, effuſis gaudiis, immoderato amore, & immodica voluptate*, dum ſuos egrediuntur limites, & plus æquo intenduntur, intelligen-

da ſunt: quippe modum excedentes eadem damna, eadem incommoda, ac ira, & iracundia, pareſque ærumnas humani corporis rebus & proſperitatibus accerſunt, dum corpus miris modis laceſſunt, ſuisque viribus ſpoliatum eunt, ſpeciatim cordis & ventriculi robur, vireſque lacerant, ſomnum turbant, & digeſtionem depravant, immo nonnunquam repentinam mortem vel nemine cogitante id genus vehementiores paſſiones adduxiſſe, hiſtoriæ loquuntur: ſic MARCELLVS DONATVS LIB. III. *Cap. 3. pag. 28. in ſua hiſtor. medic. mirab.* refert: quod CHILO unus ex ſeptem Græciæ Sapientibus Lacedæmonum Philoſophus, quum filium ſuum in Olympo, Theſſaliam inter, & Macedoniam monte, lauris coronatum conſpiceret, lætuſque paterno oſculo exciperet, exceſſu amoris, & lætitiæ conciderit, egeritque animam.

Rurſus ex LIVIO Lib. XXII. Hiſtor. palam eſt: duas illas Romanas Matronas, quod ſuos adhuc filios, quos in prælio ab Hannibale cum Romanis geſto occubuiſſe ſibi perſuadebant, finita clade, vivos inter & triumphantes conſpexerant, ſupra modum lætantes exſpiraſſe, ipſaſque animas exhalaſſe.

Moderari igitur, ſuoſque intra limites continere expedit hæc ſalubria pathemata, ſecus enim, excedentia, & verſa in inſalubria, gravius certe nonnunquam valetudinis fortunas verberabunt, neque nimiis ſuffuſus gaudiis impune evadet.

§. IV.

De terrore, metu, curis, ſollicitudine, mœrore, & triſtitia.

Nihil commodi & emolumenti, nihilque proſperitatis hæc dicta pathemata humani corporis œconomiæ addunt, & afferunt, immo potius beatæ valetudinis rebus & opibus non raro exitio fore, propediem ex notione eorum elucescet.

Atque adeo TERROR, METVS, CVRA, SOLLICITVDO, TRISTITIA &c. *affectiones animæ ſunt, a periculo imminentis, aut præſentis mali, ceu noxii & deteſtabilis apprehenſi, oriundæ.*

In his ergo mentis affectionibus ſpiritus, & *animales*, & *vitales* quaſi figuntur, eorum motus, & in nervos influxus languent, & hebetantur, unde *ſolidorum* tonus, & robur infirmatur, *liquida*, ſeu humores, *ſanguis* nempe, & *ſerum* a corporis ambitu verſus cor & vitalia repelluntur & inſpiſſantur, hinc motus, & circulus *ſolidorum*, & *fluidorum*, *ſanguinis*, *ſeri*, *lymphæ*, *ſpirituum* hebeſcunt, & ſufflaminantur, excretiones, & actiones corporis prohibentur; concuſſis itaque *ſolidis*, & *fluidis*, eorum motibus, circulis, & actionibus a *metu* & *terrore* in primis natales ducere *virium*, *& appetitus proſtrationem*, *corporis*, *animique languorem*, *cordis anxietates*, *aſthma*, *alvi obſtipationem*, *corporis tremorem*, *faciei pallorem*, *cordis palpitationem*, *melancholiam*, *convulſiones*, immo longiore triſtitia, curis, ſollicitudine vires corporis proſus abſumi, & deficere, hinc corpus extenuari, & gracileſcere, atque agi præceps in conclamatas ægritudines: *atrophiam* nempe, *tabem*, *phtyſim*, *febres lentas & hecticas*, *delirium melancholicum*, *cachexias*, *hydropes* &c. experientia teſte, explorata res eſt. Porro cur id, quod notum omnibus, conticeſcam? repentino nempe terrore plures repentina nece extinctos fuiſſe, atque hoc modo perterritos ocyus fatis ceſſiſſe, non uno modo lugubri caſu conſtat.

In fuga igitur horum pathematum ſalus, in quorum laqueos ſi forte irretiris, magnanima virtus, vera in DEVM fides, & Superos ſpes, vim impetumque eorum, quo minus te feriant, retundent, atque optatæ valetudinis ſpes & opes protegentur, ſalusque perennabit.

Quam ob rem, quoniam hæc dicta pathemata ſpiritus figunt, ſanguinem ab habitu corporis ad centrum urgent, & repellunt, eumque inſpiſſant, rurſum ſanguinem & ſuccos vitales reſolvendos, reddendos fluxiles, ac a centro ad exteriores corporis partes revo-

revocandos, & ſpiritus in motus concitandos fore, nuſpiam dubitari poteſt. Vnde commendanda ſunt antidota, animi & corporis quies, mentis tranquillitas, aer calidus, cibi, potusque frugalitas, brodia carnium, vel vini generoſi tantillum; item pulveris *abſorbentis* WEDELII, vel *bezoardici animalis*, ſeu *viperarum Italicarum* cum *lapidibus cancrorum præparatis*, vel *bezoardici albi* Diſpenſatorii Viennenſis &c. duo cultri cuſpides in *aqua ceraſorum nigrorum, & cardui benedicti, vel florum ſambucci* ſumpti, aut in infuſione thee herbarum *meliſſæ, veronicæ, ſalviæ,* & *florum borraginis, bugloſſæ, ſambucci cum corticibus citri* ingeſti; deſuper bibendo hujus *thee* calide, unam, alteramque ſcutellulam, ac eo bibito in lecto exſpectando udorem, lenemque ſudorem, terrori medebuntur, atque commodam locabunt opem, & operam. At vero in terrore *opiata, purgantia, vomitoria* remedia (ut infruniti barbiraſores, ſtentores, naſutulæ medicaſtræ vetulæ, aliæque hominum feces ſolent) quæ ſanguinis, & humorum circulum a centro ad corporis habitum impediunt, quin eum potius ab ambitu ad centrum alliciunt, in uſum vocare, eſt ignem igni addere, malumque adaugere, id, quod terrore perculſos candide monere juverit.

Nobis jam, abſolutis ſecundo noſtræ Diſſertationis Capite, animique pathematis, aliud non ſupereſt, quam candido, Benevolo Lectori precari animo, ut ab adverſis animi paſſionibus, omnique malo animæ & corporis liber, & immunis degat, ac integerrima fruatur valetudine, vitæque ſuæ longævitate, in quem finem hic præſidia ad manus damus, & offerimus, quibus votorum metam, terminumque conſequatur.

CA-

CAPVT III.

SECTIO I.

§. I.

De Prophylaxi Medica.

PROPHYLAXIS MEDICA *illa Medicinæ Prudentiæ pars est; quæ modum docet, quo Corpus humanum jam jam ad morbum dispositum, a morbi dispositione expediatur, hinc ab imminente morbo arceatur, & præservetur.*

Præsidiis igitur opus est, quibus morbosa dispositio tollatur, ac morbus imminens, pulsansque fores prohiberi, rescindique queat.

Atque hæc præsidia sunt, PVRGATIO CORPORIS, VENÆ SECTIO, SCARRIFICATIO, SANGVISVGARVM APPLICATIO, INVSTIO FONTICVLORVM, APPLICATIO VESICATORIORVM, VSVS ACIDVLARVM, & BALNEORVM, TABACI FVMATIO, & ERRHINATIO &c. quæ vel ex eo in Scholis Medicis RES NON NECESSARIÆ nuncupantur: quod, tametsi neque ad humani corporis compositionem, neque ad ejus conservationem per se, & simpliciter necessariæ sint, iis tamen, præsente ad morbum dispositione, nequaquam Medici carere possint, ad quam tollendam e medio, morbumque prohibendum ex natura sua destinantur. De his igitur rebus omnibus & singulis generatim, speciatimque agere, firmo stat talo, firmoque proposito.

§. II.

§. II.

De humani corporis purgatione.

PVRGATIO *humani corporis materiæ noxiæ, inutilis, excrementitiæ, & morbificæ, in ſolidis, & fluidis, eorumque tubulis & latebris, ſpeciatim in primis plerumque viis, ſanguinis, & humorum maſſa latentis & reſtagnantis, vel naturæ motibus, vel artis conatibus, per congrua corporis excretoria loca expulſio, & eductio eſt: qua corpus humanum ab ejusmodi noxia, excrementitia, & morbifica materia ſolvitur, & depuratur, atque a præſenti ægritudine præſervatur.*

Atque adeo variæ corporis viæ ſunt, per quas natura a ſordibus putridis, *acido-viſcidis, bilioſo-ſeroſis, & acribus*, tanquam diſpoſitione ad morbum: modo nempe per *ſuperiora*, ſeu *vomitum*, jam per *inferiora*, ſeu *alvum*, nunc per *urinæ vias*, nunc per *cutis poros*, ſeu *meatus* &c. ſe ſe expedire, adeoque diſpoſitionem morboſam removere, morbumque avertere molitur: quas vias preſſo pede gradi, atque id genus purgationes accuratius perſequi inſtituti ratio efflagitare videtur. Lubet jam a purgatione per *vomitum* exordium ducere. Vnde ſit

§. III.

De purgatione Emetica, ſeu vomitoria, ejus ſalubritate, & inſalubritate.

Magna, ſeu heroica inter præſidia purgationem *Emeticam*, ſeu *vomitoriam* per os ſeu vomitum ſuccedere ſolitam, in Scholis Medicis reputari, vel jam ab origine artis omnium Medicinæ Patrum & Optimatum calculo firmum & expeditum ſtetit. In quo igitur conſiſtat hæc purgatio, dicendum ſupereſt, unde ajo:

PVRGATIONEM CORPORIS EMETICAM, seu VOMITORIAM *eam esse: qua humorum vitiosorum, putridorum, noxiorum, & excrementitiorum acido-viscidorum, biliosorum, acrium, & nidorosorum colluvies e ventriculo, ejusque vicinis partibus, intestino duodeno, hepate, splene, & mesenterio per os & superiora evacuatur, ventriculus, & ejus vicinæ partes sua labe eluuntur, dispositio morbi tollitur, & morbus prohibetur.*

Atque duplici modo hæc scena luditur, vel enim concitatur vomitus solius naturæ molimine & conatibus, vel dati medicamenti viribus & facultatibus, quæ vero pharmaci facultas in motus peristaltici inversione consistit: dum nempe motus ventriculi, qui naturali ordine & lege ab œsophago, seu superiore stomachi parte ad pylorum, seu inferiorem ejus partem, & intestina versus tendit, verso ordine ab intestinis, & pyloro sursum tendit, & regreditur, atque sordes noxiæ, & excrementitiæ per œsophagum, & oris cavum evacuantur.

At vero hæc inversio ventriculi, & motus peristaltici rursus duobus modis solet peragi: vel enim emetica remedia solum spiritus turbant, fibras, & ventriculi morbos emolliunt, relaxant, & dilatant, ut *aquæ tepidæ* præsente nausea, & plena appetitus aversione in copia sumptæ, item *oleum amygdalarum dulcium recens sine igne expressum, vel olivarum in aquis tepidis, vel carnium brodiis insalitis, & tepidis sumptum, vel mel cum oleo in brodiis, vel aquis tepidis largius ingestum* vomitum potius adjuvant, quam concitant; quod idem faciunt, quæ stomachi fibras irritant, & vellicant, validiora nempe purgantia per alvum, quibus non raro forte fortuito, præsertim materia ad vomitum disposita, concitatur vomitus.

Vel succedit inversio motus peristaltici, dum dato præsidio emetico spiritus in nervos influentes nimis turbantur, nervosæ fibrillæ stomachi plus æquo irritantur, crispantur, vellicantur, immo fluida, sanguis & humores agitantur, convelluntur, eorumque motus intenditur; atque id genus emetica præter

ter alia sunt radix *ipecacuanhæ* ex Arabia felice allata, item *tartarus emeticus ex cremore tartari*, & *croco metallorum* paratus, quorum radix Arabica in suo operandi modo securissima (plerumque omisso *tartareo emetico*) nobis familiaris esse solet.

Dosis radicis est a granis decem, ad grana viginti, triginta, & amplius. Tartarus emeticus datur a grano dimidio, ad grana duo, tria, quatuor. Exempla addimus: sic in homine non adeo forti, validoque hoc vomitorium conducet: sumuntur nempe *radicis ipecacuanhæ grana* XXIV. ad XXX. *tartari vitriolati*, & *cremoris tartari*, *utriusque grana* XV. ad XX. & amplius, ex quibus unus fiat pulvis, mane, vel pro re nata quovis tempore, in aqua tepida, vel macro carnis brodio sumendus. Effectus dati vomitorii sumptione carnis brodiorum insalitorum, & tepidiusculorum, ita, ut quoties operatur pharmacum, tale sumatur brodium, adjuvetur.

In forti vero, valido, & quadrato athleta sequens exhiberi poterit emeticum: sumuntur nempe *tartari emetici granum unum, vel duo, tartari vitriolati, & salis tartari utriusque grana* XX., XXIV. & amplius, in unum congerantur pulverem, qui eo, quo prior solebat, modo sumendus erit.

§. IV.

Quo tempore, & in quibus circumstantiis præsidium vomitorium exhibendum sit?

E Quemadmodum remedium emeticum rite, & lege artis exhibitum summo humani corporis œconomiæ fructui & commodo plerumque esse solet: ita perperam adhibitum, & sine necessitate a levi tonsore oblatum hoc pharmacum nocet, nihilque commodi affert.

Quotiescunque igitur aderunt *nausea*, *cibique fastidium*, *propensio ad vomitum*, *ructus*, *ventriculi*, *capitisque dolor*, *anxietas*, *oris amarities*, *vertigo*, *sitis* &c. toties dictas sordes putridas *aci-*

do-viscidas, *biliosas nidorosas* (quæ morbis materiam suggerunt) ventriculum, & intestina occupare, adeoque præsidio vomitorio tollendas, & e corpore proscribendas fore: nemini ulli obscurum esse potest.

Atque adeo locum habent vomitoria, præsertim conjunctis simul signis, *nausea*, *cibi fastidio*, *vertigine* &c. cum primis *in appetitu prostrato*, *cibi fastidio*, *dolore ventriculi*, *in principio febrium acutarum & intermittentium*, *maxime in tertianis*, *vertigine*, *cephalalgia*, *ex vitio ventriculi nata*, *siti*, *oris amaritie*, *in tussi stomachali*, *asthmate stomachico*, *& difficili spiritu &c.* semper tamen & ubique subjecti purgandi vires animo volvendæ sunt, quum fortius agens in summa validiores naturæ vires exigere videatur.

Firmo igitur talo stat, provide, & summa circumspectione præsidia emetica administranda esse, adeoque cum primis in *omni inflammationis*, *doloris*, *& convulsionis genere*, *in pleuritide*, *angina*; *ophtalmia*, *peripnevmonia*, *phrenesi*, *in inflammatione ventriculi*, *& intestinorum*, *in dolore spasmodico-convulsivo hypochondriaco*, *& hysterico*, *in ventris doloribus colicis & convulsivis*, *in nimiis sanguinis profusionibus*, *hæmophtysi*, *sputo cruento*, *nimio*, *& immodico mensium*, *& hæmorrhoidum fluxu*, *immo in sanguineis*, *& plethoricis*, *malisque a sanguinis copia oriundis*, *vomitoria remedia* (nisi prius dempta plethora, seu sanguinis redundantia ablata) vetantur, quoniam per eorum vehementiores motus mala dicta potius gradus sumerent, crescerent, & augerentur.

Sunt præterea in ipso subjecto purgando expendendæ *nimia subjecti sensibilitas & infirmitas*, *vomendique naturalis aversio*, *nimia corporis obesitas*, *colli brevitas*, *angustia*, *strumæ*, *thoracis malæ conformationes*, *herniæ*, *procidentiæ ani*, *& uteri*, *ætas infantilis*, *& senilis prostrata viribus*, *ipsusque defectus virium*, *ipsa denique graviditas*, aut vomitus penitus interdicendus, aut si propensio, & dispositio ad vomendum adest, præsidia mitiora ex *aqua tepida*, *brodio carnis*, *& oleo amygdalarum dulcium* &c. adhibenda erunt.

§. V.

§. V.

De purgatione corporis per alvum, seu de purgatione alvina.

Sicuti per os & vomitum, ita etiam per inteſtina, & alvum humorum putrida colluvies, ſeu ſordes *acido-viſcidæ biliosæ* in primis viis, ventriculo, meſenterio, & inteſtinis latitantes, quæ ad morbos diſponunt, morbisque materiam ſuggerunt, e corpore purgari, morbusque averti ſolet. Vnde nobis videtur:

PVRGATIONEM ALVINAM *humorum noxiorum, vitioſorum, & præternaturalium, vel in toto corpore, vel primis duntaxat viis, & inteſtinorum canale exorbitantium per alvum, vel ſolius naturæ, vel medicamenti ope e corpore eliminationem eſſe, qua morboſa diſpoſitio tollitur, corpus depuratur, & a morbo præſervatur.*

Mox duplicis generis purgationem alvinam Scholæ Medicæ diſtinguunt, quarum una *lenitiva*, altera *catharctica* purgatio nuncupatur.

PRIOR eſt, qua feces, ſordesque alvinæ, humores noxii, & excrementitii e primis viis, & inteſtinis potius, quam e toto corpore, leniter, & placide evacuantur.

POSTERIOR vero, ſeu *catharctica* eſt, qua humorum noxiorum, & putridorum colluvies, non ſolum e primis viis, ſed partibus quoque vicinis, immo e tota ſanguinis, & humorum maſſa per alvum eliminatur. Lubet jam hujus purgantis operandi modum propius inſpicere, qui in eo videtur conſiſtere, quod in primis purgantia *lenitiva* (aliis etiam *euprotica*, *laxantia*, *minorativa*, & *benedicta* nuncupata) ſuo quodam principio ſalino leniter ſtimulante, placideque fibrillas nerveas ventriculi, & inteſtinorum vellicante, omniaque in motus concitante agant; atque hoc miti agendi, operandique principio inſtructa ſunt, quæ ſequuntur, laxantia: nempe *manna electa*,

calabrina, *caſſia*, *radices poly podii quercini*, & *rhabarbari electi*, *paſſulæ*, *tamarindi*, *ſal Sedlizenſe*, *Egranum*, *magneſia nitri*, *digeſtiva*, *tartarus vitriolatus*, *cremor tartari*, *ſal tartari*, &c. quæ omnia, quum ſine notabili fibrarum inteſtinalium, motusque periſtaltici commotione & irritatione, ſuo innocente mitique principio tum in *ſolida*, tum in *fluida* agant, *mitia*, *lenitiva*, *laxantia*, & *benedicta* purgantia æquo & jure nuncupantur.

§. VI.

Quando, & in quibus circumſtantiis corpus purgante lenitivo præſidio purgandum ſit?

Huic quæſtioni ocyus ituri obviam regerimus, toties alvum lenitivo remedio ſolvendam fore, quoties notio adeſt, ventriculum, inteſtina tenuia, & craſſa, hepar, lienem, & meſenterium quadam labe contaminari, ſeu materia peccante excrementitia, *bilioſa*, *acido-viſcida*, *flatulenta*, & *putrida* obſideri, econtra notio deeſt, quæ nos in cognitionem adhibendi remedii vomitorii duceret: atque adeo lenitiva laxantia ſpeciatim conveniunt in *appetitus dejectione*, *in ſingultibus*, & *ructibus*, *in alvi obſtipatione*, *poſt morbos exantlatos prohibendæ recidivæ gratia*, *inter initia diarrhœæ*, & *dyſenteriæ*, *in colicis doloribus*, & *ventris torminibus*, *in febribus intermittentibus*, *in cardialgia*, *cachexia*, *malo hypochondriaco*, *ictero*, *hydrope*, *aſthmate*, *tabe*, *phtyſi*, aliisque innumeris ægritudinibus, quibus auxiliatrices præbent manus, mirumque in modum velificantur.

E re igitur fuerit, *laxantium lenitivorum* in Eruditi Lectoris obſequium (cui non ſemper Æſculapius ad manus eſt) hic quædam exempla addere, quibus ſanitatis ſuæ rebus conſultum eat.

Quam ob rem ſumi poſſunt *Aquæ angelicæ Diſpenſat. Vienn. unciæ quatuor*, *quinque*, *vel ſex*, *plus minus*. Dentur ad uſum.

Sgtr. Engliſches Laxier-Waſſer, morgen früh nüchter lablecht warm wohl-aufgerührter auszutrincken.

Vel

VEL

Sumantur *decocti pectoralis dispensatorii Viennensis unciæ quatuor,* in iis dissolvantur lento carbonum igne *mannæ electæ calabrinæ unciæ una, & media, salis Sedlizensis drachmæ duæ,* solutioni adde *syrupi rosarum solutivi unciam mediam, tartari vitriolati scrupulum unum, seu grana XX.* aquæ zedoariæ anisatæ drachmas duas. Mixta dentur ad usum.

Sgtr. Brust=Laxier=Tränckl, morgen früh nüchter lablecht warm wohl=aufgerührter zu nehmen.

VEL

Accipiantur *aquæ laxativæ Viennensis unciæ quatuor,* iis adde *electuarii de tamarindis unciam mediam, pulveris Cornachini scrupulum unum,* vel *unum & medium, aquæ totius citri drachmas duas, tres, ad quatuor, spiritus nitri dulcis guttas decem.* Misce, & exhibe pro usu.

Sgtr. Gall=Laxier=Tränckl, wie die vorige zu nehmen.

VEL

Sumantur *sanguinis cichorei cum rhabarbaro unciæ quatuor, vel quinque,* in iis solvantur lento carbonum igne *mannæ electæ drachmæ decem, vel duodecim, salis Sedlizensis amari uncia media, vel drachmæ sex;* solutioni adde *aquæ cinnamomi buglossatæ unciam mediam.* Mixta dentur ad usum.

Sgtr. Schleim= und Gall ausführendes Laxier=Tränckl, wie das vorige zu gebrauchen.

VEL

Sumantur *salis Sedlizensis amari uncia una & media, vel unciæ duæ,* calore fornacis per noctem, vel carbonum igne in aquæ fontanæ unciis sex solvantur. Colentur per pannum & dentur ad usum.

Sgtr. Laxier=Bitter=Wasser früh nüchter zu nehmen.

VEL

Sumantur *quatuor, vel quinque scrupuli, aut drachmæ duæ salis Sedlizensis, pulveris rhabarbari electi grana XXX. vel XXXX.* Mixta dentur ad usum.

Sgtr.

Sgtr. Vermischtes Laxier-Saltz, morgen früh nüchter in einer Schallen dünn magern Fleisch-Brüh wohl-aufgerührter zu nehmen. Porro, ut aliunde liquet, horum & similium laxantium præsidiorum effectus, ut vomitivorum remediorum, sumptione brodiorum carnis macrorum insalitorum, & tepidiusculorum secundetur.

Atque adeo modo ad purgantia *cathartica* (quorum operandi modus in principio quodam salino, acri & caustico, quo non modo ventriculi, & intestinorum tunicas, sed totius quoque corporis membranas nerveas intensius longe, & impetuosius, quam lenitiva laxantia, adoriuntur, vellicant, & irritant, ac spasmodice contrahunt, & convellunt, consistit) nobis redeundum est: unde non raro *cardialgias, singultus, vomitus, animi deliquia, ventris tormina, lethales diarrhœas, convulsiones, ventriculi & intestinorum inflammationes, demum gangrænam, & sphacelum* violenta hæc cathartica, improvide plerumque a Mulo-Medicis, & leviculis chyrurgis administrata, presso pede sequi, fata plurima, & innumeri casus lugubres apertius testatum volunt. Inde est: rarius, & non nisi in quibusdam casibus violenta hæc & drastica, ac deleteria præsidia præscribi solere, id, quod Medicinæ Philiatris memori mente tenendum erit. Sed jam coram sistam drastica hæc pharmaca, quæ tam immaniter in corpus furunt, idque non jam semel, mirum dictu! violarunt; atque horum censum subeunt *radices ialappæ, mechocannæ albæ, & nigræ, hellebori nigri, iridis nostratis, bryoniæ, esulæ. Herba soldanellæ, gratiolæ, pomum colocynthidis, semen cataputiæ, grana tilli, turbith vegetabile, cortex medius sambucci, gummi guttæ, elaterium, & scamonium, cum compositis, trochiscis alhandali, extracto colocynthidis, resina ialappæ, magisterio scamonii paganis tonsoribus inprimis familiaribus*, &c. quibus non raro, non modo materiam peccantem e corpore, verum etiam animam expurgatam fuisse, quotidiani casus tragici plus, quam satis docuere.

§. VII.

§. VII.

Quando, & in quibus circumstantiis corpus præsidio cathartico purgandum sit?

Validiora hæc cathartica præsidia, cum primis in naturis robustioribus, & complexionibus validioribus, quæ difficilioris solutionis sunt, ac in quibus primæ viæ, ventriculus, & intestinorum congeries sordibus *acido-viscidis, tenacibus, flatibus, & humoribus biliosis putridis* turgent, hinc in abdominis *inflationibus, tumoribus, infarctibus, ictero, cachexia, hydrope* (verum non ex viscerum, glandularumque schirrhositate, sed subitanea potius humorum *acido-viscidorum stagnatione, viscerumque atonia, seu imbecillitate* pendentibus) & in quibus de virium adhuc robore constat, nec non aliis affectibus frigidis, *paralysi* nempe, *vertigine, lethargo, tussi, & asthmate seroso, catarrhis suffocativis, apoplexia*, aliisque corporis ægritudinibus, quarum tollendis caussis *lenitivæ*, & *minorativæ* purgationes minus sufficiunt, posse indulgeri, quin necessaria his stantibus cathartica præsidia fore, nuspiam dubitari cœptum fuit. Horum jam exempla dabimus.

Sic sumantur *magisterii ialappæ pineis bene subactæ grana XII. Mercurii dulcis rite præparati grana VIII. gummi guttæ grana IV. tartari vitriolati grana VI. conservæ rosarum*, quantum satis ad electuarium. Misceantur, dentur ad usum.

Sgtr. Purgier-Latwergen früh nüchter auf einmal zu nehmen.

VEL

Sumantur *resinæ jalappæ pineis subactæ grana XII. tartari vitriolati, arcani duplicati, utriusque grana X.* Misceantur, & fiat pulvis, qui detur ad usum.

Sgtr. Purgier-Pulfer, morgen früh nüchter, in was beliebig zu nehmen.

VEL

Accipiatur *ſpiritus vini, vel ſpiritus corticis aurantiorum drachma una, & media,* in iis diſſolve lento carbonum igne *reſinæ ialappæ, pulveris ſyrii, utriusque grana VII.* adde *iulapii roſarum drachmam unam.* Detur ad uſum. Sgtr. Purgier=Geiſt.

VEL

Sumantur *magiſterii ialappæ grana X. vel XII. Mercurii dulcis rite præparati grana VIII. gummi guttæ grana IV. trobiſci alhandali grana II. elixiris aperitivi* CLAVDERII, *quantum ſatis ad formandas pillulas.* Fiant pillulæ duo grana ponderantes. Dentur ad uſum. Sgtr. Purgier=Pillulen auf einmal zu nehmen.

Atque adeo eo diætæ regimine, quale ſupra de *remediis laxantibus lenitivis* ordinatum fuit, & hic uti præſtabit, nempe effectus *purgantis cathartici* ſumptione carnis brodiorum macrorum, minus ſalitorum, & tepidiuſculorum adjuvetur, nec non corpus ab omni frigore prohibeatur, prandium, cœnaque facilis ſint concoctionis, parcaque manu offerantur, declinando ipſo purgationis die, quo frugaliter in ſumptæ medicinæ gratiam utique vivendum foret, epulas, ſympoſia, & helluationes, quas peſſimis cum purgantium & medicantium, ſanitatis rebus, uſu receptas fuiſſe, & in hodiernum usque momentum ubique gentium in uſu eſſe, comperta utique, ſimul ac dolenda res eſt: ipſo namque purgationis die, quo corpus a materia peccante & noxia depletur, & depuratur, nova lautiore menſa, & ſympoſiis, materia peccans colligitur, & in corpore cumulatur, quæ ad morbos parat, corpusque priſtina labe, & immunditie contaminare ſolet. At vero e re modo fuerit, hic circumſtantias ſubjungere, quibus *cathartico & validiore purgante medicamento* uti, prorſus prohibetur.

Atque adeo in *naturis imbecillibus, ætate infantili, & ſenili, in reconvaleſcentibus, debilibus, & quorum debilior eſt ſtomachus, in cholericis ad iram pronis, & complexionibus ſenſibilioribus; poſt iram & iracundiam nunquam hæc validiora purgantia periculo vacant, enim vero in*

hæc

hoc casu, certo certius mox cardialgias, vomitus, tormina ventris, dolores colicos, immo non raro *animi deliquia, convulsiones, & gangrænas lethales adducere, hinc eo ipso in proclivibus ad dolores colicos, calculosos, hæmorrhoidales spasmodico-convulsivos; in alvi pertinaci obstipatione ab intestinorum exsiccatione pendente, in gravidis, herniosis, in omnis generis febribus acutis, quibus calor dominatur* &c. hæc drastica præsidia angue pejus fugienda esse, clara res est, quum non raro his violentis remediis, non peccantem modo materiam, sed & ipsam purgari e corpore animam, innumeri casus tragici aperte loquantur.

Quam ob rem, si tantum refert, tantaque cautione opus est, ut delectus *purgantis præsidii* habeatur, corpusque non cum damno suo, & sanitatis rebus pessimis, verum potius cum commodo, & valetudinis rebus bene gestis purgetur, merito admirationem subit, non plebem modo, & obscuro genere natos, verum personas quoque distinctas, & clariore sanguine ortas tanta mentis ægrotatione laborare: ut pretiosissimæ salutis suæ opes & prosperitates vel etiam barbirasori obvio, & balneatori pagano (qui vix barbam radere, aut scarificare, vel clysterem applicare, emplastrum alutæ inducere, aut vetulas in balneo lavare novit, multo minus naturæ indolem, caussæque morbificæ rationem cognoscit) aut quibusvis medicatricibus vetulis, & obstetricibus, aliisque theatralibus artis Medicæ stentoribus, destillatoribus, & excoriatoribus, Poeta namque teste:

Se fingunt Medicos, quivis idiota profanus,
Judæus, Monachus, Ludio, Rasor, Anus.
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix, & Arator.

Concredere, atque non raro *medicamentum purgans* ab id genus latini jusculi coquis, Mulo-Medicis, & saluberrimæ artis sycophantis (ad quos ars medendi, ut lyra ad asinum quadrat) pharmacum evacuans efflagitare haud vereantur, quas tamen eousque non semel purgatas fuisse, novimus, ut vel

ocyus abire ad plures, vel in morbos chronicos ruere, aut miseram saltem, & valetudinariam vitam vivere coactæ sint, id, quod fatis tristibus, & quotidianis tragicis casibus sat, superque confirmatum habetur. Atque adeo, quibus corpus suum purgare, imponit necessitas, modo resipiscant velim, & aliorum saltem periculo sapere discant, hinc præsidio purgante usuri artis peritos, quibus standum est, consulant, dum beatæ valetudinis suæ sortes & opes sartas tectas custodire cupiunt.

Porro modo referendæ essent purgationes corporis *diapnoicæ*, seu *sudoriferæ*, quæ morbosam dispositionem ope *transpirationis insensibilis*, aut *sudoris* tollerent, nec non *diureticæ*, quæ corpus per urinæ vias purgarent, & dispositionem ad morbum rescinderent, sed quia de id genus argumento suo loco, quo de *excretionibus humani corporis principibus & generalibus* dictum fuit, fusius tractavimus, ne pristina crambe recoquatur, eo Lector benevolus remittendus erit.

§. VIII.

An corpus humanum etiam sanum, & incolume, bis saltem in anno, veris nempe, & autumni tempore præservationis gratia purgandum sit?

Corpus sanum & incolume veris & autumni tempore præservationis gratia non purgandum fore, testimonio Divino asseritur, dum ÆTERNA VERITAS his verbis ait: *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus.* MATTH. CAP. IX. *Vers. 12.* quod ipsum affirmat OVIDIVS *3. de Pont.* dum canit:

Firma valent per se, nullumque Machaona quærunt,
Ad Medicam dubius confugit æger opem.

Verum id nobis videtur: non semper, & ubique purgatione *vernali* & *autumnali* opus esse, probe tamen circumstantias *naturæ*, *temperamenti*, *sexus*, *ætatis*, *vitæ status* & *consuetudi-*

nis

nis &c. expendendas fore, quibus expenſis eveniet: an purgandum ſit, aut purgatio omitti poſſit, atque adeo hoc quæſtionis momentum conſiderandum ſumemus, & circumſtantias ſuo pondere examinabimus.

Vnde cum primis eos, quorum corpus nulla labe contaminatum eſſe reperitur, *fluida* & *ſolida*, præſertim *ventriculus* & *inteſtina*, *ſanguis* & *humores* a quibusvis ſordibus immunes extant, qui & SVMMI NVMINIS beneficio, & valentium parentum præſidio forti, validaque corporis conſtitutione donantur, nec non debitum diætæ regimen (in primis quosvis victus exceſſus declinantes, adverſa animi pathemata fugientes, & moderato utentes corporis exercitio) omni ſtudio proſequuntur, eos inquam, & ſimiles, annuis purgationibus ſuperſedere poſſe, explorata res eſt, quum experientia, & quotidianis exemplis liquido conſtet: centenos, & millenos, præſertim de plebe, & ruſtica gente profectos, in multa annorum luſtra ſanos floruiſſe, & incolumes, quin vel ſemel per vitam, ſe purgari paſſi ſint, qui & nunquam venam ſibi tundi permiſerunt.

E contrario, quorum corpus quadam labe contaminatur, *ſolida* & *fluida*, in primis ventriculus, & abdominis viſcera, nec non *ſanguis*, *ſerum* & *lympha* ſordibus putridis & noxiis inficiuntur, atque nativa naturæ imbecillitas tanquam a parentibus heres in eorum corpus redundavit, qui & vitam minus diætetici regiminis legibus accommodatam inſtituunt, nec non cibo & potu, ira, mœrore, curis, vita ſedentaria, litterarum ſtudiis, & lucubrationibus &c. excedunt, ac porro Litterati vitam ſedentariam viventes, & hypochondriaci debitos diætetici inſtituti limites plerumque tranſilientes, qui ſenſim ſine ſenſu quosdam vitioſos & noxios humores, ſordesque præpoſtera ſua vivendi conſuetudine in corpore colligunt, id genus nempe perverſos diætæ alumnos ſemel vel bis in anno *lenitivo quodam purgante remedio* (quo collectæ ſordes tollantur e corpore) purgandos fore, pronum eſt colligere, id, quod naturæ lumine

constare videtur. At vero ne quid nimis, sed supersedendo crebrioribus & repetitis corporis purgationibus, quibus nonnulli adeo, sed pessime assueti sunt, ut, si vel flatus in ventre locum mutet, vel ejus sonus, & crepitus aures pulset, illico ad purgantem medelam ceu ultimam in naufragio tabulam properent, corpus purgent, ut flatus domentur, inquilini corporis hostes, qui in præsentiarum minantur interitum, subjugentur, qua demum parta victoria renascerentur, rursus redituri in gratiam. Sed quam perperam id genus stupidi purgatores suæ valetudinis rebus & utilitatibus consulant, vel ex eo liquidum conficitur: quoniam his repetitis evacuationibus ventriculus, & intestina ceu concoctionis viscera conteruntur, & enervantur, *humidum radicale*, & *calidum naturale*, ac spiritus dissipantur, hinc corporis vires prodiguntur, cruditates morborum genitrices in debili ventriculo cuduntur, & colliguntur, *solida*, & *fluida* inspissantur, & exsiccantur, eorum motus & actiones deficiunt, & naturales excretiones pessumdantur; atque adeo susque, deque verti omnia, ac humani corporis valetudinem vacillare, ejus vires & facultates gravius vulnerari, & e vestigio morbos subsequi, nec non miseræ demum, & valetudinariæ vitæ parari vias, extra omnem dubitationis aleam, irrefragabili experientia teste, positum esse videtur.

SECTIO II.

De purgatione corporis per venæ-sectionem.

§. I.

De venæ-sectione, ejus origine, & salubritate.

Tametsi venæ-sectio magna inter, & generosa remedia, quibus vel præsens sanitas conservatur, vel amissa salus reparatur, a Medicinæ Patribus plerumque reputetur: sunt tamen nonnulli, licet hodierno ævo oppido rari, & Medici-

dicinam profeſſi, & in arte Medica peregrini, quibus ſaluberrimum hoc præſidium vileſcit & reprobatur, iisque parvi faciendum eſſe, videtur.

Quam ob rem utriusque partis, tum venæ-ſectionis Patronorum, tum & ejus adverſariorum, rationum momenta poſituri ob oculos indagemus, approbationem, an reprobationem ſanguinis miſſio mereatur: prius tamen hujus præſidii notionem coram ſiſtere, e re omnino fuerit, quo clarius & apertius, quæ vero congruant, eluceſcet. Atque adeo

VENÆ-SECTIO GRÆCIS PHLEBOTOMIA *dicta, operatio chyrurgica eſt, qua ſanguis redundans, & ſupervacaneus, vel quadam labe contaminatus e venis arte apertis, tum ad ſanitatem præſentem conſervandam, tum ad amiſſam reſtituendam, educitur, & e corpore evacuatur, qua evacuatione aut morbi diſpoſitio tollitur, aut morbus præſens reſecatur.*

Ex quibus utique colligitur, ſanguinis miſſioni locum fore, dum cruor redundat in corpore, aut labe, & prava qualitate contaminatur.

Vnde, ut ab ovo ordiamur, ortum ſuum, & originem a brutis hoc generoſum præſidium duxiſſe fertur; Poeta enim canit:

Vngaricus docuit ſonipes incidere venas.
Prima ſibi applicuit clyſma paluſtris avis.
Dum canis ægrotat, purgandi nos docet artem,
Novit & antidotum cervus, & urſa ſuum.
Quis rationales Medicos putet eſſe Magiſtros,
A brutis artem, qui didicere ſuam.

De equis namque Hungaricis referunt, eos mordendo ſibimet ipſis venas aperire, quin immo equis quoque Germaniæ certis anni temporibus arte & inſtrumento venam tundi, & cum optatis equorum valetudinis rebus mitti ſanguinem, inter omnes conſtat.

Sed

Sed missis his brutorum testimoniis ocyus ex Majoribus nostris CHRYSIPPVS CNIDIVS, THESSALVS, ERASISTRATVS, ex Recentioribus HELMONTIVS, PARACELSVS, PORTIVS, GEHEMMA, PONTEKVE, qui hic ultimo positus plus æquo de venæ-sectione solicitus exclamat: *O homicidæ! omittite tandem sanguinis effusiones, ne homines imprudenti vestra curatione interimantur*, sunt, qui nunquam sanguini mittendo subscribunt, immo venæ-sectionem, cujus usum jam per tria annorum millia ex HIPPOCRATIS monimentis floruisse, constat, e foro Medico relegatam cupiunt, suis persuasi rationibus: quibus hi antiloqui non nihil gravius in Divinum hoc præsidium invehuntur; atque adeo eorum rationes, quam validæ, fortesque sint, auscultemus.

Quam ob rem in primis de sanguine adeo præclare disserunt, eique tot speciosissimis titulis splendorem addunt, ut teste Celeberrimo Ingolstadiensium Medicinæ Professore TREYLINGIO *Vitæ thesaurum, oleum & balsamum, animæ materialis residentiam, spirituum vital-animalium unicum pabulum, flammulæ vitalis elychnium, vitæ humanæ primam & ultimam materiam, in cujus incremento juventus, actionum vigor, & vita integra, in decremento senectus, actionum languor, & mors consistat*, cruorem nuncupare nuspiam dubitaverint, adeoque tantum vitæ thesaurum conservandum potius, quam prodigendum fore, hinc venæ-sectionem non inutilem modo, & perniciosissimam verum & dirissimam vitæ & sanitatis tyrannidem esse, judicarunt.

At vero iis regeritur: quod si sanguis humani corporis tantis sit dignus elogiis, atque tam præclare de vita & sanitate hominis semper, & ubique vitalis purpura mereatur, neque supervacaneus sit, neque redundet in venis, neque præpostero motu, aut labe, & prava qualitate contaminetur, ac porro perpetuo tum quo ad *quantitatem*, tum *motum*, & *qualitatem*, plena *solidorum in fluida*, & *fluidorum in solida* consensione naturæ legibus respondeat, utique tunc hunc vitæ thesaurum, omni modo in venis

&

& arteriis servandum, & minime venæ-sectionis ope minuendum, perdendum, & effundendum fore, nobis persuassimum sit. Quis vero nescit? sanguinem vel ex naturali corporis dispositione, vel ex perverso diætæ regimine accrescere, & *quantitate* excedere, vel *motu*, & prava *qualitate* vitiari, atque adeo in vasis stagnare, & putrescere, hinc circulationem sufflaminari, stases & congestiones gigni, unde *inflammationes, anginas, pleuritides, cephalalgias, sanguinis profusiones, hæmorrhagias symptomaticas, difficilem anhelitum, spasmodicos dolores partium, omnis generis febres, rhevmatismos, apoplexias* &c. prodire in medium, quæ mala & ægritudines vel solo tempestivo venæ-sectionis præsidio (nullo alio adhibito remedio) non semel aut sublatas, aut saltem mitigatas fuisse, non solum quotidianis observationibus constat, verum etiam id uno ore, una consensione cordati Medici, & Medicinæ Archistrategi hucusque constanter pronunciarunt.

Sunt præterea alii, quorum animis ea insedit sententia, ut, nunquam dari veram plethoram, seu sanguinem quantitate peccantem absque labe, aut prava simul juncta qualitate, & vel ideo minus esse utilem minusque necessariam venæ-sectionem existiment, quod humores *quantitate, motu*, simul & *qualitate* excedentes aliis corrigentibus præsidiis, *evacuantibus* scilicet, *diaphoreticis*, aut *diureticis* emendari possint, ut merito venæ-sectione supersedendum esse arbitrentur. At his & similibus in responsis datur: quod, licet sanguinis & humorum vitia, nimia scilicet cruoris *spissitudo, tenuitas*, aut *acredo*, aliaque labes, *alterantibus* & *evacuantibus* remediis possint corrigi, ac ad statum naturalem reduci, cruoris tamen redundantiam, omissa venæ-sectione tolli, tutiusque, & magis præsentaneum, minuendi sanguinem, venæ-apertione præsidium dari, rursus inficimur. Enim vero phlebotomiæ adminiculo sanguis secundum omnes sui partes eodem quasi temporis intervallo placide movetur, sine præternaturali fermentatione, & perturbatione (quæ pharmacis *alterantibus*, & *evacuantibus*, dum vasa sanguine turgent,

isque in venis ſtagnat, ſolemnes ſunt) in temperatos concitatur motus, itus, & reditus, atque adeo ſic paratur remediorum alterantium agendi viribus & facultatibus, eorumque operatio, ablato ſanguinis onere, facilitatur, & porro, ut cum GALENO loquar: *Natura, parte ſanguinis detracta, ſuperfluum facilius gubernat*, ſeu diminuta cruoris redundantis copia, *alterantia præſidia* pravam ſanguinis qualitatem promptius corrigunt, ſecernunt, & e corpore proſcribunt, id, quod quotidianis exemplis, & horariis obſervationibus clinicis ſtabilitur.

Ajunt rurſus alii: optimam, naturam ſui conſervatricem, morborumque medicatricem eſſe, atque in ſui levamen, ſuique corporis commodum, ſanguinis, antequam in molem accreſcat, & plus æquo augeatur, excretionem propriis motibus, ſuisque conatibus moliri, & non raro per *hæmophtyſin*, *mictum cruentum*, *hæmorrhagias narium*, *fluxum hæmorrhoidum*, & *catameniorum* &c. ſui cruoris copiam ponere, & diminuere, quibus tum ſanguinis redundantia, tum ejus prava qualitas tollitur, & evacuatur e corpore, adeoque venæ-ſectione minus opus eſſe, vero magis congruere videri.

Verum naturam ſagaciſſimam rerum ſuarum eſſe conſervatricem, & ſollicitam Martham, omnesque vires, omnesque conatus, tum ad ſanguinis ſibi moleſti removendam copiam, tum ad avertendam cruoris labem & maculam, impendere non inficior; at ea, quæ intendit, non ſemper ad vota fluere, atque inſtitutas naturæ evacuationes aut inſufficientes, aut excedentes non raro evadere, limitesque ſuos tranſilire, & per vias præpoſteras ſuccedere, hinc naturæ ſuccurrendum, eique artis adminiculo, nempe *venæ-ſectione* ad minuendam ſanguinis redundantiam auxiliatrices manus præbendas fore, ſana ratio dictitat, experientia dicta confirmat, ergo ſuo tempore phlebotomiæ locum dare, oportere, a prudentum nemine in dubium vocari poteſt.

Non

Non jam hic adducam experientiam rerum optimam magiſtram, qua innumerabiles, de quorum vita, & ſalute actum jam, & conclamatum eſſe videbatur, ægrotantes vel ſolius venæſectionis ope, non raro e mortis faucibus ereptos, & ſalvatos fuiſſe, horariis exemplis confirmatur.

Atque huic noſtræ ſententiæ ſuum calculum addunt Medici, & Medicinæ Optimates (ſi puſillum gregem excipias) ad unum omnes, quibus ſanguinis miſſio ſumme utilis, & ſalutaris, immo neceſſaria prorſus eſſe videtur.

§. II.

De differentia venæ-ſectionis.

Naturam noſtram, modo pravo diætæ regimine, aut improba contracta conſuetudine non corrumpatur, in omnibus, ordinis amantiſſimam eſſe, hinc & venæ-ſectionis præſidium ſuo tempore, loco & ordine celebrare oportere, rationis lumine in aures, oculoſque illuceſcere videtur. Inde eſt: differre venæ-ſectionem, atque in primis dividi in *evacuatoriam*, & *ventilatoriam*, priſcis jam ævis in Scholis Medicis more receptum fuit.

PRIOR eſt: per quam plethora, ſeu ſanguinis redundantia tollitur & minuitur, qua ablata & minuta, ad morbum diſpoſitio (quæ ſanguinis plenitudo eſt) reſcinditur, aut præſens morbus levatur, vel averruncatur.

Sanguineis plerumque, & junioribus, qui ſupervacaneum ſanguinem in venis alunt, hæc venæ-ſectio utilis, opportuna, & neceſſaria eſt, quoniam hic plus ſanguinis, quam in *venæ-ſectione ventilatoria* detrahendum venit.

POSTERIOR, ſeu VENTILATORIA eſt: qua ſanguinis labes, & prava qualitas, ſeu ſanguinis nimia tenuitas, vel denſitas,

ſitas, & acrimonia corrigitur, motus circulatorius promovetur, morboſa diſpoſitio, & morbus avelluntur.

Senioribus, & minus ſanguineis hæc phlebotomia commoda eſt, in quibus plerumque minus cruoris, quam in *venæ-ſectione evacuatoria*, auferendum erit.

Ex quo ipſo conſectarium eſt, rurſus venæ-ſectionem in *prophylacticam*, ſeu *præſervatoriam*, & in *curatoriam* dividi. Atque hæc in ſtatu hominis morboſo, & præternaturali, ſeu morbo præſente, illa in morbi diſpoſitione, nimia ſcilicet ſanguinis quantitate, vel qualitate, motu, tenuitate, vel ſpiſſitudine &c. celebrari ſolet.

Rurſum ſanguinis miſſio in *derivatoriam*, & *revulſoriam* diſtinguitur.

ILLA eſt: quando ſanguis in vena parti affectæ propinquiore mittitur; ſic, dum in pleuritide, in qua pulmonum pleura afficitur, vena in cubito aperitur, ſanguinis hæc diminutio, venæſectionis *derivatoriæ* nomine venit.

ISTA, ſeu REVVLSORIA eſt: quando vena in loco a parte affecta remotiore inciditur; ſic dum in cephalalgia, ſeu dolore capitis vena pedis cephalica die Haubt-Ader aperitur, & ſanguis emittitur, hæc venæ-ſectio, eo, quod vena pedis, utpote partis a capite remotioris aperta fuit, *revulſoria* nuncupatur.

§. III.

De Plethora.

PLETHORA eſt abundantia, ſeu plenitudo ſanguinis in vaſis ſuis circulantis, ſeu eſt major cruoris copia, quam natura requirit, & corpus exigit, ad actiones ſuas perficiendas; unde plethora quid ſupervacaneum, humani corporis rebus & utilitatibus inutile, & inidoneum merito videatur.

Atque plerumque vel ex diſpoſitione hereditaria, ſeu a parentibus ſanguineis in liberos derivatur, vel a ſplendido, & lau-

tiore

tiore diætæ regimine, victu facilis concoctionis, & nutriente, ac porro prosperis diebus, & omnibus ad vota fluentibus, quibus sanguis augetur, contrahitur, suosque natales ducit.

Atque adeo hæc plethora, quod corpus humanum ad morbos disponit, motum sanguinis circulatorium (ablata *movens* inter & *mobile*, seu *sanguinem* & *vasa sanguifera* proportione) impedit, & inæqualem reddit, hinc *solidorum* & *fluidorum* motus & actiones sternit, tanquam ad morbos dispositio tollatur, & redundans cruor minatur, id, quod solo venæ-sectionis præsidio licet consequi. Sed ignota forsan tibi plethora erit, unde ejus notionem per sua signa hic producere, e re fore nobis visum fuit.

Quam ob rem *plethoræ*, seu *redundantiæ sanguinis* notæ & characteres sunt, in primis *temperamentum sanguineum*, *cibus euchymus & eupeptus*, *potus cerevisiæ hordeaceæ*, *vina dulcia & spirituosa*, *quæ alimenta copiosum & laudabilem chylum*; *ceu sanguinis materiam suppeditant*; *habitus corporis externus plerumque coloratior*, *vasorum sanguiferorum turgescentia*, *& inflatio*, *lassitudo spontanea*; *& oculorum obnubilatio*, *capitis quædam gravedo*, *difficilior respiratio*, *artuum tensiva sensatio*, *solitæ venæ-sectionis omissio*, *præcordiorum angustiæ*, *saporis dulcis in ore perceptio*, *insolita totius corporis lassitudo*, *somni graves*, *& somni inquietudines cum insomniis.* Reliqua.

Atque adeo si hæc & similia signa adsint, plethoram, seu abundantiam sanguinis significant, quæ tanquam morbi dispositio, & materia phlebotomiæ ope tollenda est, ut morbus imminens prohibeatur, ac humanum corpus a metuenda ægritudine præservetur.

Verum non in sola modo sanguinis redundantia, sed in ejusdem quoque labe, & prava qualitate, *spissitudine* nempe & *nimia tenuitate*, quæ sanguinis motui circulatorio limites ponunt, hinc ad morbos faciunt, ad cruorem ventilandum, sanguinem spissiorem, aut tenuiorem corrigendum, hinc motum ejus circulatorium restituendum, phlebotomia saltem *ventilatoria*, sive *derivatoria*, sive

revulſoria, non utilis modo, verum etiam, quod pravam ſanguinis qualitatem, tanquam morbi diſpoſitionem, demat, neceſſaria omnino eſſe videtur.

Vnde in primis convenit in morbis a ſanguinis ſpiſſitudine, congeſtione, & in vaſis ſuis ſtagnatione oriundis, nominatim in inflammationibus, *angina*, *pleuritide*, *peripnevmonia*, *phreniti-de*, *hepatitide*, *inflammatione ventriculi & inteſtinorum* &c. nec non in *fracturis oſſium*, *luxationibus*, *contuſionibus*, *ictu*, *caſu ab alto*, *vulneribus*, *& doloribus partium atrocioribus*, in quibus inflammationes imminent, timendæque ſunt, præſertim dum vires adhuc conſtant, non raro venæ-ſectio præſentiſſima opitulatione adeſt, atque commodam præſtat opem & operam.

At vero *revulſoria venæ inciſio* in omnibus ſanguinis nimiis profuſionibus, *enormi nempe narium*, *uteri*, *& vulnerum hæmorrhagia*, *in hæmophtyſi*, *ſanguinis ſputo*, *mictu cruento*, *nimio hæmorrhoidum fluxu* omni modo commendanda erit. Atque etiam præſervative tum *derivatoria*, tum *revulſoria* locum habet poſt ſolitas naturales ſanguinis evacuationes retentas, aut diminutas, & ſuppreſſas, ſcilicet in *diminuto aut ſuppreſſo fluxu menſium*, *hæmorrhoidum*, *hæmorrhagiæ narium*, nec non in *catarrhis*, *defluxionibus*, *rhevmatiſmis*, *cephalalgia*, *cephalæa*, *mania*, *melancholia*, *apoplexia*, *epilepſia*, *palpitatione*, *aſthmate*, *quæ a ſanguinis ſaltem ſpiſſitudine*, *congeſtione*, *& ſtagnatione pendent*, item in *febribus & benignis*, *& malignis* (in quibus de viribus conſtat, & calor febrilis malignitati præſtat) ad initia morbi, aliisque morbis, qui a vitalis purpuræ copia, aut labe, & prava qualitate originem trahunt, ſaluberrimo præſidio eſt, dum vitiatam ſanguinis labem, ceu morbi diſpoſitionem, tollit, aut morbum præſentem minuit, idque cum optatis ægri rebus, optimoque cum levamine morbi.

In ſumma vero venæ-ſectionem celebraturis virium ratio probe animo volvenda eſt, quæ niſi ab humorum copia duntaxat opprimantur, ſed re ipſa per morbos præcedentes gravio-

res

res fractæ, resolutæ & dissipatæ fuerint, ut in *nimiis sanguinis, & aliorum humorum profusionibus, in morborum diuturnitate, & vehementia, in dolorum enormitate & atrocia*, nec non in *inedia, vigiliis immodicis, nimiis laboribus & mentis lucubrationibus* accidit, omittenda his stantibus erit sanguinis missio, qua vires resolutæ, & perditæ in morbi augmentum, & naturæ damnum amplius prodigerentur.

Verum non nullos reperire est, in primis seniores, & venerabili canitie insignes, qui sui intuitu senii fundere sanguinem, religioni utique non raro sibi ducunt, & de venæ-sectione audientes mox timent, ac terrore pene pannico percelluntur, ut adeo Æsculapius, ubi sanguinis missio necessaria est, difficillima opera ab iis mittendi sanguinis consensum impetret, ratis: a veneranda canitie, & provectiore annorum serie æternum phlebotomiam prohiberi. Sed scrupulum hunc ex eorum animis facile evellunt, istaque religione senes exuunt, in primis CORNELIVS CELSVS, qui LIB. II. *Cap. 10.* de venæ sectione ait: *In mittendo sanguine non tam annos Medicus, quam vires ægrotantis æstimare debet.*

Atque CELSI sententiæ mox subscribunt Auctores gravissimi AVERRHOES, HORATIVS, AVGENIVS, FERNELIVS, VALERIOLA, RIVERIVS, WALÆVS, SYLVIVS, AMATVS, & ZACVTVS LVSITANVS, cum mille aliis saluberrimæ artis Optimatibus: qui ad unum omnes in eo consentiunt: & pueris & puellis a quinto saltem ætatis anno (si sufficiens ratio, & necessitas, sicut in *validioribus, & sanguineis complexionibus, variolis, pleuritide, angina, epilepsia, aliisque inflammatoriis, & suffocativis symptomatibus* detentis, urgeant) venam tundi curare, integrum fore, quam venæ-sectionem non raro optatos, prosperosque præstitisse effectus, frequente experientia stabilitur.

Pari propemodum passu senes cum pueris ambulant, atque adeo sicut his, ita & iis tum in *morbis & curationis caussa*, tum

in

in *dispositione ad morbos, & præservationis gratia*, sexagenariis etiam & septuagenariis, modo habitu corporis valido, turgentibus venis, & pulsu forti magnoque instructi sint, cum optimis sani, ægrique rebus venam sectam fuisse, innumeris exemplis liquissime constat. Vt adeo non habeat venerabile senium, quod vel redundantis, vel spissioris, aut tenuioris, & acrioris sanguinis profusionem vereatur, modo sufficiens ratio pro secanda vena militet, quam Medicus tibi præsagiet, artisque periti divinabunt.

Quod jam ad dosin emittendi sanguinis attinet, pro diversa ratione *temperamenti, virium roboris, ætatis, morbi, sexus, victus rationis, loci, regionis, & consuetudinis*, & ipsa variat. Vnde phlebotomia *evacuatoria* in sanguineis & robustis ad uncias VII. ad IX. & X. in minus sanguineis, pituitosis, melancholicis, & non nihil debilioribus ad uncias V. & VII. se se extendit. Pro *ventilatoria* unciæ IV. V. vel VI. plus minus pro re nata sufficiunt, quæ dosis si non suffecerit, repetenda venæ-sectio erit, satius enim, tutiusque erit, dosin repetere, quam simul, & semel nimium cruoris prodigere, atque venæ-sectiones Neronis more instituere, quibus non vitiatus modo sanguis effunditur, verum vita quoque & sanitas prodiguntur. At vero judicium emissi sanguinis æquo rerum arbitro, tuo nempe Æsculapio committendum erit.

§. IV.

De requisitis prosperæ venæ-sectionis, ac vena-sectorum debito diætæ regimine.

Quemadmodum purgationis per alvum, ita & venæ-sectionis tempore, ut adhibitis remediis optatus effectus respondeat, accuratius diætæ regimen, nisi plus sanitatis destruere, quam exstruere cupias, observandum esse, uno Medicorum ore, unaque consensione approbatur. Atque adeo I. in venæ-sectione præservatoria gratus, serenusque eligatur dies,

dies, declinando ſimul Lunæ phaſes. Ante inciſionem phlebotomandus calido reficiatur juſculo, excitato ſit animo, qui ab adverſis animi pathematis liber, & immunis extet, ſecus enim ſanguinis motus tardabitur, & minus e venis cruor fluet. II. Dum alvus obſtipata eſt, & primæ viæ flatibus, & ſordibus putridis turgent, alvus clyſtere domeſtico ſolvenda, & dictæ viæ *lenitivo laxante remedio* eluendæ erunt. III. Quibus venæ exiliores, & minus conſpicuæ ſunt, ante ſectionem venæ obambulent, brachium, in quo ſecanda vena, fricetur panno aſpero, aut pondus geſtetur in brachio, quibus vena turgebit, propiusque in oculos cadet, ut facilius ſecari queat. Dum vero IV. venam pedis tundi curabis, pes ante venæ-ſectionem immittatur in aquam calidam, ut vena turgeat, faciliusque aperiri queat. V. In quibus metuendum eſt animi deliquium, iis in lecto collocatis vena aperiatur, imminente præſenteque deliquio, mox vena digitis comprimatur, aqua frigida repente facies aſpergatur, ſpirituoſis inungantur nares liquoribus, usque dum vena ſectus ad ſe redierit, quo facto remotis a vena digitis de novo cruor fluet. VI. Quo ad ſigna ſiderum, quæ bonum, proſperumque venæ-ſectionis diem tibi præſagiant, ne nimia te ſollicitudo teneat, præſertim in caſu neceſſitatis, qui nulla habita temporis ratione diminutionem ſanguinis urget; at in venæ-ſectione *præſervatoria*, declinando Lunæ phaſes gratum ſerenumque eligendo diem prorſus ſuffeciſſe videtur. VII. Aliquot poſt phlebotomiam diebus, cœlo inamœno, aere frigido, & humido regnantibus, domi commorandum, ac frugali menſæ (quosvis declinando cibi, potusque exceſſus) indulgendum eſt: nihil enim venæ-ſectionis diebus pejus, nihilque pernicioſius, epulis, helluationibus, & ingurgitationibus naturæ, valetudinisque rebus, & utilitatibus accidit, quibus non modo optato phlebotomiæ effectui limites ponuntur, verum etiam id genus exceſſibus gravius œconomia animalis percutitur, atque humani corporis opibus, & facultatibus non raro graviora

vulnera infliguntur, id, quod vena sectis memori æternum mente recolendum erit.

Sed diætæne regiminis cultores, aut gurgites, & helluones sunt, quibus hæc scribuntur, quibusque hæc paterna suggeruntur consilia? Priores facile votis nostris consentientes, ac prompte salubriori diætæ regimini parentes habebo; at abdomini natis, gurgitibus & helluonibus fabulam narro: qui pessimæ helluandi, & pergræcandi consuetudini aliquando irretiti, miserrimam, & constanter valetudinariam vivere vitam malunt, quam ut aures præberent salubrioribus diætetici regiminis legibus, ac illibatæ valetudinis suæ fortunis, & deliciis fruerentur. Atque hos & similes pessimos consuetudinarios (non hypochondriacos, quos miri cerebri homines facile mentem mutare, palam est) illa Medicorum flagella, illos Æsculapii sui tortores ego absque injuriæ nota appello, qui tantas diras Medico suo intentant, ejus non semel famam, opesque gravissime lacerant, acerbiusque nonnunquam in suos Æsculapios invehuntur: finem namque, validam nempe, florentemque valetudinem ex Medico suo extorquere conantur, media tamen (salubrius diætæ regimen) conculcant, & omnibus modis adversantur, immo si vel etiam ex morbis gravissimis, ipsisque mortis faucibus DEI gratia eos eripueris, ocyus, ac respirant, itur in antiquam sylvam, eousque hæc scena tragica luditur, donec tandem derepente in morbos insanabiles *phtysin* plerumque, *catarrhos suffocativos, hydropem, apoplexiam, gangrænam, mali moris febres* &c. recidant, atque corrupta penitus, susque, deque versa natura ejusmodi conclamata ægritudine pereant, ærumnosæ vitæ suæ, suique Æsculapii flagellationibus, & cruciatibus coronidem imponentes, quorum animæ ut in sancta pace requiescant, ex animo precamur. Nunquam igitur, cui salus sua cordi est, in perversam helluandi, græcandique consuetudinem consentiendum erit, in hujus enim retia, qui aliquando inciderit, vitæ, valetudinisque suæ maturum naufragium non evadet.

§. V.

§. V.

De purgatione corporis per ſcarificationem & cucurbitulas, ac applicationem hirudinum.

Plurimi ſunt, *pueri* nempe, *ſenes*, *tenelluli & nimis delicati, vel morbi diuturnitate viribus fracti*, *aut naturali idioſyncraſia phlebotomiam veriti*, *vel ex vena ſecta animo delinquentes*, *aut quorum venæ oppido exiguæ ſunt*, qui his ex cauſſis venæſectionem ferre nequeunt, hinc hujus loco ſcarificatio cum cucurbitulis, quæ phlebotomiæ ſectio vicaria audit, iis convenit, atque venæ-ſectionis præſidio ſubſtituenda venit. Notionem igitur hujus remedii ſiſtere expedit, qua dicimus:

SCARIFICATIONEM *eſſe operationem chyrurgicam, qua vaſa cutis capillaria, inſtrumenti appropriati, & cucurbitularum ope aperiuntur ad ſanguinem, ſeu potius ſerum impurum acre ſanguinis detrahendum, purgandumque e corpore.* Atque adeo hac operatione morbi diſpoſitio tollitur, morbus præſens minuitur, imminens probihetur.

Quam ob rem plerumque in affectibus externis, in *defluxionibus doloroſis acribus*, *oculorum*, *aurium*, *dentium*, *in rhevmatismis*, *doloribus ſpasmodico-arthriticis*, *iſchiadicis*, *podagricis*, *in gutta roſacea*, *aphthalmia*, *odontalgia*, *cephalalgia*, *tinnitu aurium*, *pernionibus*, *in febribus exanthematicis petechialibus*, *variolis*, *morbillis*, *ubi exanthemata*, *& efflorescentiæ interiora verſus regreſſæ ſunt*, *in venenis a morſu canis rabidi*, *aut alterius venenati animalis corpori communicatis*, *in variis cutis defœdationibus*, *gangræna*, *ſphacelo*, aliisque id genus ægrotationibus, quæ a *ſeri* & *lymphæ* vitio, putredine, & acredine deſcendunt, tum *curatorie* in ipſis morbis, & morborum paroxiſmis, tum *prophylactice*, & *præſervatorie*, Luna magis decreſcente, atque in die ſcarificationis ciborum concoctione ad finem vergente, ſcarificatio locum habet, & non raro in his & ejusmodi malis optato præſidio eſt.

Locus vero ſcarificationi & apponendis cucurbitulis idoneus in ſumma (declinando tamen ubique tendines) omnis carnoſus eſt, ſpeciatim vero hujus operationis opportuna loca ſunt *ſcapulæ*, *brachia*, *lumbi*, *nates*, *femora*, *ſuræ*, reliqua.

Quod ad doſin extrahendi ſanguinis & ſeri attinet, in doſi ſumma unciæ X. ad XII. in mediocri unciæ IV. V. ad VI. in doſi minima III. ad IV. cruoris emittuntur. Regimen vero diæteticum cum venæ - ſectionis diætæ regimine conſonare videtur.

At vero obviam modo habemus aliud venæ - ſectionis genus phlebotomiæ vicarium, nempe applicationem hirudinum, qua vel diſpoſitio morbi tollitur, vel morbus imminens prohibetur, aut præſens levatur, & profligatur.

HIRVDINES *vero animalcula vermiformia ſunt, in aquis degentia, figuræ oblongæ, ſi ieiuna, teretis, ac capitis exigui, caudæ tenuis, & ſubnigri coloris, acutiſſimis armata dentibus, quibus hominum, aliorumque animantium cutem rodunt, & vulnerant, ex eaque exſugunt ſanguinem, unde & ſanguiſugæ nuncupantur.*

Eligendæ vero ſunt hirudines ad hanc operationem, quæ magnitudine ſunt mediocres, ventris ſubrubri, dorſi ſubviridis, cum aureis veluti interſperſis ſtriis, aquarum limpidarum, attamen in fundo limoſarum incolæ. Reliquæ capitis craſſioris, aquas impuras incolentes, coloris ruffi, tanquam noxiæ & venenatæ reprobantur, nunquam vocandæ in uſus.

Loca corporis, quibus ſanguiſugæ applicantur, quævis venæ ſunt, plerumque tamen venis retro aures, ad naſum, & jugularibus, maxime vero peripheriæ anus, ibidemque conſpicuis venarum hæmorrhoidalium tumidis ramificationibus, *hæmorrhoides cæcæ* dictis, applicantur.

Quotieſcunque igitur venæ hæmorrhoidales turgent, tumentque, aut ante hac ſtatis temporibus cum optimis ægri rebus fluxerint, fluxus vero iſte, aut diminutus, aut omnino ſuppreſſus fuerit, ut adeo cruor in venis hæmorrhoidalibus,

earum-

earumque venæ portæ ramificationibus ſtagnet, & cumuletur, hinc corporis actiones & excretiones turbet, morbosque minetur, toties corporis purgationem per hirudinum applicationem, ut cruor ſtagnans & redundans, ceu morbi materia & diſpoſitio tollatur, in ſubſidium vocandam fore, dubium nemini, controverſumque eſſe poteſt.

Atque adeo in *malo hypochondriaco*, *in affectibus lienis*, *meſenterii*, *hepatis*, *uteri*, *in malo iſchiadico*, *arthritide*, *nephritide* derivatoria, in *mania*, *melancholia*, *apoplexia*, *vertigine*, *cephalæa*, *palpitatione cordis*, *aſthmate*, *tuſſi*, *cardialgia*, *catarrhis*, a ſanguine ob hæmorrhoides cœcas, aut ſuppreſſas ad pulmones & ſuperiora regurgitante, & uſitato hæmorrhoidalis cruoris fluxu, quacunque demum ex cauſſa, non amplius reſpondente, revulſoria hirudinum applicatio jure meritiſſimo, & optimo conſilio ſuadetur.

Speciatim vero ſanguiſugæ aliis etiam affectis partibus, in quibus venæ-ſectio, aut ſcarificatio locum habere non poteſt, non abs re, ſive *derivatorie*, ſive *revulſorie* affiguntur, ſic *manuum*, *pedumque digitis in affluxu radicato eryſipelaceo*, *herpete*, *impetigine*, *naribus in capitis doloribus*, *in ophthalmia*, *gutta roſacea*, *aliisque faciei puſtulis*, *in dentium*, *aurium*, & *capitis affectibus*, *præſertim vertigine*, & *metu apoplexiæ* pone aures applicatæ non raro ſalubri ſunt præſidio, deſideratamque ſpondent opem, & operam.

Tempus applicandi hirudines idem, eademque extrahendi ſanguinis doſis, ut in phlebotomia, obſervanda erit. Modus vero, & Encheireſis hanc operationem adminiſtrandi, chyrurgi utique & balneatoris foret, ſed tanti hi barbiraſores artis ſuæ periti heroes ſunt, ut vix eorum decimam partem de hac operatione audiviſſe, multo minus operationem calluiſſe, ipſi hi heroes non ſemel mihi confeſſi ſint, id, quod notum omnibus, ac ante oculos poſita res eſt. Atque adeo, qui artem callet, modumque ſanguiſugas applicandi novit, ad hoc munus deſtinetur.

Quod si forte fortuito in ano pendens hirudo in anum irrepserit, quæ dira symptomata produceret, ocyus retrahatur digitis, quo labore irrito, clystere aqua salsa parato hirudo foras evocetur.

Diætæ regimen in applicatione hirudinum idem, quod in venæ-sectione, & hic observare præstat. Atque hæc de corporis purgatione per venæ-sectionem, scarificationem, & applicationem hirudinum non tam *curatoria*, quam potius *præservatoria* dixisse sufficiat.

§. VI.

De purgatione corporis per fonticulos, & vesicatoria.

Æque fonticulum, ac venæ-sectionem generosa inter remedia numerandum fore, ex magnitudine morborum, quibus medetur, artis peritis in confessis est, nec non a Medicinæ Patribus pridem definitum fuit. Atque adeo notionem hujus præsidii dare, operæ esse pretium existimetur, hinc ajo:

FONTICVLVM, *barbara voce funtanellam dictum, ulcusculum artificiale esse, ferro, vel igne, eoque vel actuali, vel potentiali in cute excitatum, ad serum redundans, impurum & vitiosum successive educendum e corpore, quam utique eductionem ablatio morbosæ dispositionis sequitur, hinc morbus imminens rescinditur, aut præsens levatur, vel omnino annihilatur.*

Quod ad loca ponendorum fonticulorum attinet, fonticulus excitatur in locis, & interstitiis musculorum, & quidem in brachiis, quatuor circiter latis digitis supra flexuram cubiti, musculum bicipitem inter & deltoidem, in femoribus supra, & infra genua in suris; undique igitur musculi & tendines evitentur, in quem finem attendenda cutis mobilis, quæ exploranda, & elevanda hinc inde digitis, locoque movenda erit. Atque inter ipsos musculos si digitum adegeris, hicque membro hinc inde moto in fovea quiete sine subsultu remaneat, locum tutum

pro

pro fonticulo reperiſti, notandum atramento. Vnde locus notatus incidatur lanceola, formeturque foveola, in quam piſum, vel aliud corpus globoſum imponatur, quod emplaſtro *diachylo*, *aut diapalmæ* firmandum, digeſtivis, defenſivis, & faſciis, ut in vulneribus fieri ſolet, deligetur.

Vel cauterio potentiali, dum loco aperiendo emplaſtrum craſſius & denſius in medio perforatum, hinc cauterium ex *butyro antimonii*, *lapide infernali* loco perforato imponitur, applicatur, quod addito emplaſtro glutinante per 24. horas firmetur, tunc vero eſchera facta ſeparetur, vulnus vero, ut in priore operatione tractandum venit. Præplacet prior operatio, tanquam commodior, magisque compendiaria.

Vlcuſculi, ſeu fonticuli præſens fluxus ſedulo conſervandus, quod obtinetur, dum quotidie deligatio iteratur, ulceris ſanies linteolo mundo abſtergitur, piſum, aut mundatus globulus in foveam immittitur, qui labor, & deligandi modus in dies repetatur. Si vero fluxus minus reſpondeat, adeoque ſtimulo indigeat, globulus ex *hedera arborea*, vel *argento*, aut *radice gentianæ;* ſi ad conſolidationem ulcuſculum tendat, *piſum*, aut *globulus aqua forti parum madidus*, ad tempus, donec ſufficiens fluxus redeat, ſubſtituatur, caro vero luxurians ſepticis, *unguento* nempe *ægyptiaco*, vel *alumine uſto* ſeparanda venit.

Inflammatio ſi forſan quædam accederet, *emplaſtro camphorato*, eroſio in peripheria ab humoribus ſalſo-acribus inducta, inſperſo pulvere exſiccante, & temperante, e *lapide calamaniari*, *tutia*, & *ceruſſa* confecto, removetur.

Quoties igitur in notionem ſeri, tum quantitate, tum prava qualitate, putredine, & acredine peccantis, & cum primis in capite, & ſuperiore corporis regione congeſti, & ſtagnantis pervenitur, quod ſerum redundans, vitiatum & ſtagnans morbis præcipue chronicis materiam ſuppeditat, toties fonticulum unum vel duos (quum rarius juxta illud Germanorum adagium Ein Fontanell kein Fontanell, unus ſufficiat) quibus ſerum hoc ſta-

ſtagnans & putridum educatur e corpore, & ægritudines pertinaces a ſero latente prognatæ leventur, prohibeantur, vel omnino perſanentur, excitandos eſſe, res ipſa loquitur, immo luce clarius in oculos illuceſcit.

Atque adeo id genus fonticuli tanquam fontes ſalutis tum *curatorie*, tum *præſervatorie* habent locum, opportunumque ſunt præſidium in omnis generis radicatis acribus, & chronicis defluxionibus ad *oculos, aures, nares, palatum, dentes, pulmones, articulos, & muſculos externos*, hinc *admirandi nonnunquam uſus & utilitatis ſunt in pertinacibus ophtalmiis, epiphoris, aurium & oculorum vitiis, in incipiente ſurditate, cæcitate, vertigine, confirmata cephalœa, & cephalalgia, in lethargo, apoplexia, epilepſia, melancholia. In affectibus pectoris chronicis & periodicis, nempe raucedine, aſthmate humoroſo, ſeroſa, & ferina tuſſi, phtyſin minante*; item in *arthritide, malo iſchiadico, & podagrico, rhevmatismis, artuum mali moris ulceribus*, aliisque inveteratis & habitualibus affectibus a copioſo & impuro ſero pendentibus, diutius, & pertinacius inſiſtentibus, certisque recurrentibus periodis, quibus ſerum hoc putridum ceu morborum materiam ſub ſpecie fluidi ulceris aſſiduo ſubtrahunt; hinc ablata cauſſa dictis malis, ærumnisque valide medentur, quas vel minuunt, mitigant, aut omnino e medio tollunt. Atque adeo fonticulos generoſi & maximi præſidii ſubire vices, dum morbis maximis & Herculeis tantam ferunt opem & operam, nuſpiam in dubium vocari poteſt. Sed hoc ipſo, quod tam validum, potensque ſint remedium, ſua cautione & circumſpectione adhibendi veniunt. Vnde nimia ſeri acrimonia, ejusque viſciditas & tenacitas, immodica ſubjecti gracilitas, marcor & ſiccitas, aut poſt morbos exantlatos virium defectus & extenuatio, ætas nimis tenera, & decrepita circumſtantiæ ſunt, quibus fonticuli inuſtio vetatur, quæ & fonticuli conatus elidunt, & eludunt, adeoque his poſitis circumſtantiis nunquam ponatur fonticulus, aut poſitus, & excitatus rurſus conſolidetur.

Verum

Verum abſentibus his circumſtantiis, ne fons tam facile occludatur, ſed potius conſervetur, eſt, quod non abs re monendum eſſe duximus. Sed jam ad veſicatorium purgans, quod chyrurgica inter purgantia agmen claudit, convertimur; unde

VESICATORIVM *eſſe præſidium dicimus: quod acredine ſua cutis fibras valide criſpat, & ſtimulat, ejus texturam diſſolvit, ſerumque redundans acre & putridum attrahit, fluidum reddit, & evacuat; qua evacuatione diſpoſitio ad morbum tollitur, morbus aut minuitur, aut averruncatur.*

Modus applicandi præſidium veſicatorium vel etiam pene in vulgus notus eſt: imponitur enim locis certis & deſignatis, prius panno calido & aceto probe perfrictis emplaſtrum veſicatorium corio inductum, & aliis agglutinantis emplaſtri ligulis cruciatim affixis munitum, per horas ſex, octo, decem pro ratione ætatis, cutisque tenuitatis aut ſpiſſitudinis relinquendum, tunc vero emplaſtrum removeatur, excitata & elata veſicula forfice incidatur, ut ſerum illud extravaſatum effluat; hinc abſtergatur, & *folio braſſicæ butyro inſulſo illito*, vel *emplaſtro albo cocto cum, vel ſine camphora*, aut ex *ſpermate ranarum* (pulvere cantharidum, ſi fluxum poſthac conſervandi animus ſit, conſpergendum) impoſito, qui labor bis in die renovetur.

Atque adeo generoſum hoc præſidium, iisdem propemodum morbis, quibus medetur fonticulus, optatam locat opem & operam, *ſerumque* nempe *acre* & *putridum* ceu multifariam cauſſam morborum confeſtim & citius, fonticulus vero pedetentim, & tardius evacuat, hinc fonticuli in morbis chronicis, veſicatoria vero magis in acutis, eo, quod citius & expeditius operentur, merito commendantur.

Quousque igitur *ſerum, humidumque acre* & *putridum* redundat in corpore, cauſſæque morbificæ vices ſubit, eousque veſicatorium potens validumque remedium agit, unde in primis in *omni dolorum genere, in doloribus nempe acerbioribus cephalalgicis, ophtalmicis, hæmicranicis, odontalgicis, arthriticis, iſchiadicis, poda-*

gricis, nec non in *convulsionibus*, *epilepsia*, *apoplexia*, *lethargo*, *phrenitide*, *in recessione variolarum*, *morbillorum*, *petechiarum*, *erysipelatis*, *podagræ*, *in catarrhis suffocativis*, aliisque ægrotationibus, quæ a sero redundante, putrido, crasso, & viscido natales ducunt, vesicatoria saluberrimo præsidio fore, palam est, artisque peritis in confessis erit.

Loca, quibus vesicatoria applicantur, in summa quævis cutis pars est, modo declines nervos, & tendines, magis tamen usitatus locus est in primis totum caput rasum in apoplexia; in aurium, oculorumque affectibus regio retro aures, vel in ophtalmia & odontalgia ad nucham, vel prope flexuram cubiti, ubi vena secatur. In febribus malignis a sanguinis & humorum potius coagulatione & spissitudine, quam resolutione & tenuitate pendentibus, nec non affectibus soporosis gravioribus supra carpos in manibus, & supra malleolos internos in pedibus, vel prope inguina in cruribus. In *pleuritide*, & *peripnevmonia*, præsertim dum angustior evadit spiritus, expectorandi sputi difficultas crescit, & gradus capit, ut suffocandus æger videatur, ocyus tibiis & cruribus vesicantia remedia apponenda sunt. En jam celeberrimum Romanorum Medicinæ Interpretem BAGLIVIUM! qui CAP. III. *de commod. & abus. vesicant. fol. 655.* in hæc verba statuit: „ In pleuritide, ut ut præcesserit, vel non præ„ cesserit sanguinis missio, quandoque circa quintum, vel se„ ptimum, vel aliis intermediis diebus apparere magnam spi„ randi, & expectorandi sputi difficultatem, quæ patientem in „ summum vitæ discrimen conjiciebat. Irritis aliis duo vesican„ tia, tibiis, vel cruribus admota, non solum expectorationem, „ quæ primaria crisis est morborum pectoris, fere ad stupo„ rem statim promovebant, verum etiam & spirandi difficul„ tatem leniebant cum mutatione morbi in melius. Majora „ dico: quacunque die in pleuriticis spirandi, & excreandi „ sputi difficultas successerit, statim applicanda sunt duo vesi„ catoria tibiis.

At-

Atque nec quidem temere hæc ſtatuit BAGLIVIVS, cui prorſus conſonat HIPPOCRATES Medicorum Sapientiſſimus, qui LIB. II. *Prognoſt. 66.* his vocibus effatur: *In pulmonibus, quicunque tumores ſiunt ad crura, boni; nec poteſt aliquid quidquam melius accidere, præſertim, ſi mutato ſputo ſic appareant.*

Prohibetur vero nonnunquam uſus veſicantium, dum nempe corpus, & corporis partes *inflammatio, rubor, tumor, ulcus, major virium reſolutio, graviditas, inſtans menſium fluxus, ardor, & incontinentia urinæ,* aliique veſicæ affectus, nec non quævis ægritudines a *ſanguinis* & *humorum acredine* & *tenuitate* pendentes occupant, in quibus circumſtantiis & morbis plus utique damni, quam commodi humani corporis rebus & rationibus omnino accederet, verendumque foret.

SECTIO III.

De Acidulis, ſeu Prophylaxi, & purgatione corporis per acidulas.

§. I.

ADEO O.M. in præcipuum humani generis Bonum commodumque acidulas æque, ac thermas, quibus miſerorum mortalium languores & ægritudines ſanarentur, quæ & publicis, privatisque valetudinis noſtræ ſervirent uſibus, & utilitatibus, procreatas fuiſſe, palmarium eſt, id, quod variis in locis, & terræ plagis animo, oculisque judicare licet.

Quid igitur in primis acidulæ ſint, quidque tuendæ valetudini proſint, definire noſtrum intereſt, unde ſubit animum:

ACIDVLAS *eſſe aquas medicatas variis ingredientibus mineralibus, alcalinis nempe, martialibus, calcariis, ſalinis, ſulphureis, æthe-*

reisque ſpirituoſis & tenuiſſimis eſſe fœtas partibus, ad humani corporis uſus deſtinatis, quibus morbi diſpoſitio tollitur, morbus imminens arceatur, præſensve non raro avellitur, & perſanatur.

Quam ob rem acidulas, aliasque ſoterias aquas non unius, ejusdemque, ſed diverſæ eſſe virtutis, & facultatis, qua in humani corporis partes *ſolidas*, & *fluidas* agunt & operantur, ipſa diverſa elementa, diverſæque partes minerales, modo *Martiales*, jam *Salinæ*, nunc *Sulphureæ* &c. quibus medicatæ aquæ conſtant, dilucide demonſtrant, id, quod ex diverſis effectibus, quos diverſæ aquæ producunt, itidem elucet, rurſusque confirmatur.

Atque adeo jam apparet ratio, cur aquæ, quas innumeras benigniſſima parens natura ex terræ latebris & receſſibus in bonum hominis profert, differant: hinc aliæ ſint *alterantes*, aliæ *purgantes*, illæ per *ſudorem*, hæ operentur per *urinam*, aliæ ſoſpitatrices aquæ huic morbo, aliæ alii morbo medeantur, adeoque diverſi fontes & ſcaturigines diverſas exerant vires & facultates.

Sed miſſis tot fontibus, quos natura nobis ſuggerit, ob anguſtiam temporis magis uſitatos duntaxat expendemus, eorumque vires & facultates tum conſervandæ, tum reparandæ valetudinis gratia pro virium noſtrarum tenuitate ſiſtemus coram. Vnde ſit

§. II.

De aquis Sedlizenſibus, earumque ſalubritate.

Hujus fontis Sedlizenſis incomparabilis rerum phyſicarum arbiter HOFFMANNVS ſcaturiginem primus aperuit, orbique ſcriptum reliquit: quanto cum fructu, commodoque in bonum labentis cadentisque humanæ valetudinis hæ aquæ Sedlizii in Bohemia natæ ſaliant, atque adeo inventum hoc celeberrimum Magno Academiæ Fridericianæ Interpreti HOFFMANNO cum nunquam intermoritura nominis ſui gloria

ria in acceptis referendum esse, nemini hæret aqua, dum in clara luce res est.

Sale igitur *amaro neutro, acidum inter & alcalinum medio* ex calciformi & acido elemento composito, quo in corpore operantur, aquas fœcundas esse, plene planeque constat, id, quod fontis arbiter publicis, privatisque testimoniis ostendit, ostensa quotidiana experientia confirmavit, adeoque fontis sal medium a nemine ullo in dubium vocari potest.

Atque adeo ostenso hoc sale medio palam est: tribus in primis modis Sedlizenses aquas in corpore operari: uno nempe omnibus aquis communi & proprio, quo partes tum *solidas*, tum *liquidas* diluunt, emolliunt, & abstergunt. Secundo, quo sale suo medio aperiunt, digerunt, resolvunt, resoluta, & digesta per corporis excretiora *alvum* cum primis, & *urinam* e corpore proscribunt. Tertio denique modo operantur, quando partibus suis salinis corporis partes solidas, viscerum scilicet nervos, & fibras stimulant, & ad motus sollicitant, quo stimulo & motu concitatæ partes, præsertim ventriculus, & intestina novum robur, novasque vires subeunt, eorum tonus instauratur, redit, & redintegratur motus peristalticus, adeoque actiones naturales, *ciborum nempe concoctionem, & alvi excretionem* valide adjuvari, & gradus sumere, quibus morbi dispositio tollitur, perspicuum est, id, quod plene, planeque colligi potest.

Qua de caussa in iis præcipue malis, humani corporis ærumnis, & ægrotationibus, quæ a *copiosis noxiis & putridis humoribus, sordibusque acidis, viscidis & tenacibus, ventriculum, & intestinorum canalem occupantibus, ac sanguinis & humorum massam commaculantibus* dependent, ad has acidulas, ceu sacram panacæam, ultimamque in valetudinis naufragio tabulam confugiendum esse, apertius constat, quam ut ignorari queat.

Vnde nominatim tum *curatorie*, tum *præservatorie* in *cardialgia frigida, vomitu pituitoso, inappetentia, ventriculi & abdominis* in-

inflatione, in malo hypochondriaco, hysterico, in febribus frigidis, & intermittentibus, lentis & tabidis, in atrophia, seu corporis extenuatione a læsa ciborum concoctione, sordibusque acido-viscidis & flatulentis oriundis, in doloribus colicis & alvi obstipationibus; in affectibus capitis a læso ventriculo, ejusque turbata digestione enatis, in melancholia hypochondriaca, vertigine, metu apoplexiæ, in defluxionibus oculorum & aurium, in angina spuria, coryza, catarrhis, difficili anhelitu, & asthmate, a repletione & congestione materiæ viscidæ, tenacis, & mucosæ descendentibus, in calculo, ischuria, stranguria, in cachexia, ictero, hydrope, scorbuto, in doloribus hæmorrhoidalibus, arthriticis, ischiadicis & podagricis, aliisque calamitatibus ab humorum putridorum acido-viscidorum, & flatuum colluvie pendentibus aquas Sedlicenses optatas ferre suppetias, horariis exemplis stabilitur.

Sunt tamen certi morbi, certæque ægritudines, quibus usus laudati fontis, ob suam, qua præditus est, salinam acrimoniam, æquo & jure prohibetur, unde cum primis in *phtysi confirmata a præsente pulmonum labe & ulcere oriunda, in tussi convulsiva, asthmate sicco, & convulsivo, in dolorum sævitia, & enormitate, in schirrhis viscerum confirmatis, in internarum partium ulceribus, in gravidis, & puerperis, iisque morbis, qui ab humorum acredine, ac bilis putridæ salino-causticæ & sulphureæ labe scaturiunt*, ipsæ Sedlizenses salino-acres aquæ vetantur, eo, quod ob suam acrimoniam morbos ab humorum acrimonia pendentes amplius promoverent, iisque suis salibus materiam, & fomitem suggererent, id, quod non abs re hic annotari meretur.

Quod jam ad usum fontis attinet, duplex occurrit modus, quo fons administrari solet; vel enim sal fontis hoc modo exhibetur: sumitur nempe *uncia una*, vel *una & dimidia*, in difficulter mobilibus *unciæ duæ* salis, quibus affunduntur aquæ fontanæ unciæ VI. ad VII. & amplius, atque hæc mixta stent per noctem in loco calido, & vase tecto, mane soluta colentur per pannum, aqua colata pro dosi sumatur. Vel prior dosis salis

sol-

ſolvatur lento carbonum igne in affuſſione aquæ, & ut prior ſolutio detur uſui. Ex quibus pronum jam, promptumque eſt colligere, doſin pro re nata variandam, jam minuendam, jam augendam fore.

Vel etiam fontis aquæ & *curative*, & *præſervative* in uſum vocantur; atque *curative* fons bibitur omni anni tempore, & morbo quovis harum aquarum potum exigente, ſequente vero modo cura adornatur: ſimplex nempe, quæ ſex aquarum duntaxat libras, ſeu menſuram unam & mediam adæquat, tridui ſpatio abſolvitur, quo in dies horis matutinis quadrantis horæ intervallo libræ duæ, ſeu menſura media fontis tepidiuſcule repetitis hauſtibus ingeritur; ubi ſi quædam laſſitudo corpus viriumque proſtratio ex ſumpto pharmaco ſubſequitur, per tres dies a fontis uſu vacandum, & quieſcendum, poſtea repetenda doſis, & ſecunda cura, eo, quo prima modo ſolebat, uſurpanda erit, atque hæc bibendi, & fonte utendi ratio duplicis curæ nomine venit. Qui vero difficilis plane operationis ſunt, ab initio curæ in prima libra aquæ una uncia ſalis ſolvi, & bibi poteſt, quo vis operandi omnino acuetur, & facultas purgandi adaugebitur. Atque adeo fontis Sedlizenſis curam ſimplicem trium dierum, duplicem vero ſex dierum ſpatio, ubi ad uſum aliarum acidularum unius ſaltem menſis tempus requiritur, abſolvi, ex fontis præſcripto utendi modo & conſilio perſpicue liquet, id quod cum bonis ægri rebus accidet. Diætæ ratio huic curæ accommodata eadem, quæ in venæ-ſectionis adminiſtratione commendata fuit, durante uſu fontis obſervanda eſt, non ergo vacat eam hic repetere.

§. III.

§. III.

De humani corporis purgatione per acidulas, ſeu aquas Selteranas.

Aquæ Selteranæ tractum Trevirenſem, in quo larga vena ſaliunt, & ſcaturiunt, ceu natale ſolum colunt, quarum vires & virtutes Medicæ rurſum Authore & Auſpice Halæ Magdeburgicæ Medicinæ Profeſſore in univerſa propemodum Germania eo modo inclaruere, ut commendatiſſima fontis ſanandi facultas, ante oculos poſita, eximiis laudum elogiis celebrari mereatur.

Quemadmodum igitur fons Sedlizenſis primas vias, ventriculum & inteſtina potiſſimum reſpicit, horumque humores noxios, ſordesque per alvum purgat, & educit: ita Selteranæ aquæ in ſanguinem potius, & humores agunt, eorum feces, & quisquilias, partesque inutiles & excrementitias a vitalibus ſuccis ſegregant, quas per urinæ vias e ſua ſede deturbant, atque lotii ope e corpore exterminare conſueverunt. Sed hac excretione perit morbi diſpoſitio, morbi geneſis impeditur, vel morbus levatur, aut profligatur.

Quam ob rem, quo modo, quibus principiis, qua & operandi facultate fons promiſſis ſolvat fidem, atque præſtanda præſtet, jam inquirendum erit, unde, quum *mira perſpicuitate, grataque ſaporis amœnitate radient, nec non largiore ſale alcalino, & ſubſtantia ſubtili penetrante æthereo-ſpirituoſa* fontis aquæ excellant, his ſuis principiis in corpus vires ſuas prodere, explorata res eſt, nullamque dubitationis ſubit aleam.

Atque adeo aqua Selterana cum primis ſuo *principio aqueo*, ſeu *ipſo aquoſo humido* ſordes ſanguinis *acido-acres* abſtergit, temperat, *humores ſpiſſiores* reſolvit, & attenuat; partes vero *ſolidas, duras, tenſas*, & *ſpasmodice contractas* humectat, emollit, & relaxat; hinc *fluidorum* motum & circulum adjuvat, *ſolidorum*

tonum

tonum & robur reparat, adeoque humorum redit motus circulatorius, actiones & excretiones naturales perficiuntur, redeunt optata salus & sanitas.

Secundo vero, largiore nempe *alcalino principio* non in ventriculo modo, & intestinis, verum in ipsa quoque sanguinis & humorum massa, aliisque corporis partibus latitantes humores noxios, sordesque *putridas, acidas, salsas, viscido-biliosas* attemperat, præcipitat, dulcificat, resolvit, & attenuat, iisque fluiditatem conciliat, qua denuo circulentur, promptiusque e corpore proscribantur. Quum vero simul hoc principium in solida agat, partium fibras & nervos stimulet, & ad motus sollicitet, infirmæ solidæ partes firmantur, iisque robur & vires conciliantur; quibus non solum hinc inde in visceribus reconditi, stagnantes, & noxii humores excrementitii commoventur, ulterius pelluntur, & in motus urgentur, verum etiam his sordibus obstructa vasa, canales, & viscera solvuntur, & aperiuntur, materia obstruens tollitur, atque per urinæ vias (quas cum primis hoc alcali ad lotii excretionem stimulat) e corpore amandatur.

His demum tertium *penetrans, subtile, & æthereo-spirituosum* accedit principium, quo non modo illud fluidum nerveum, seu spiritus animales in cerebro geniti, & per nervos in omnes corporis partes dispensati (ut fibris nervisque robur & vires addant, hinc *solida* & *fluida* in suo motu & vigore conservent) mirifice recreantur, & ad motus animantur, verum etiam hoc principium æthereum sua subtilitate, & spirituosa sese movendi potentia & facultate omnes corporis partes penetrat, & permeat, vasa obstructa, & canales aperit, ac vias invias pervias reddit, nec non in iis contentos humores noxios, sordesque loco pellit, & circulationi restituit, atque adeo tum ipsi aquæ, tum peccanti in corpore materiæ viam sternit, qua promptius & expeditius fons penetret, & peccanti materiæ fluiditatem

 con-

conciliet, ut viis undique patentibus materia peccans, sordesque noxiæ & excrementitiæ e corpore excernantur.

His igitur cognitis perspectisque fontis Selterani principiis, ejusque viribus & virtutibus, in promptu judicare est, quibus morbis & calamitatibus fons medeatur, ad quas vel leniendas, vel omnino pellendas ægritudines natus sit, quibusque humani corporis ærumnis optatam allaturus sit opem & operam.

Atque adeo iis in primis morbis, qui a *sanguinis & humorum labe acida, salino-acri, nec non solidorum tensione, & spasmodica contractione* natales ducunt, congruit, hinc nominatim speciatimque præsertim cum lacte seu vaccino, seu caprillo (quocum præ aliis acidulis prompte miscetur) *tussi chronicæ, tabi, atrophiæ hæmophtysi, phtysi ab humorum acredine, & solidorum atonia oriundis, scorbuto, scabiei, prurigini, purpuræ rubræ & albæ, artuum ulceribus, & quibusvis cutis maculis & defœdationibus, acribus & ardentibus artuum defluxionibus, arthritidi, rhevmatismo, malo ischiadico, & podagrico, doloribus spasmodico-convulsivis, cephalalgiæ, maniæ, cardialgiæ, dysuriæ, stranguriæ, calculo, gonorrhææ, malo hypochondriaco-spasmodico, & hysterico, epilepsiæ,* aliisque ægrotationibus, quæ a sanguinis & humorum putredine, seu sordibus acido-acribus, partiumque solidarum spasmis & convulsionibus ortum trahunt, fontes nostros pro re nata cum vel sine lacte saluberrimam commodare opem & operam, firmo nobis stat talo, id, quod horariis casibus medicis, & observationibus clinicis corroboratur.

Præterea in eo fons noster præ aliis acidulis excellere videtur, quod longe lenius & mitius, quam alii medicati fontes, *terra calcaria*, vel *martiali fœti*, in corpore nostro agat & operetur; unde sua mitiore operandi indole, non modo robustis & nervosis, verum etiam debilibus & extenuatis (quibus alias acidulas sive *calcarias*, sive *martiales* &c. ordinare nefas foret) fontes nostros congruere, & consentaneos esse, gravidæ, & puerperæ, ipsi viribus fracti, enerves, & languentes abunde loqui videntur.

§. IV.

§. IV.

De fontis Selterani debito utendi modo, & tempore.

Fontis Selterani uſus æque *curative,* ſeu præſente corporis ægritudine, ac *præſervative,* ſeu in imminentis morbi præſervatione locum habere poteſt, adeoque omne tempus bibendis aquis aptum, opportunumque fore videtur. Verum tamen tempus vernale, & autumale tum ob aeris calidioris opportunitatem, tum ob perſpirationem inſenſibilem magis ſuccedentem, propius ad curationis præſervatoriæ ſcopum accedere, ne vana quidem conjectura auguramur.

Quapropter ſicut in omni cura aquarum medicatarum, balneorum, thermarum & acidularum, ita etiam in prophylaxi, ſeu curatione præſervatoria fontis Selterani probe corpus ad conſequendum optatum, proſperumque curationis effectum, præſtat diſponere, eaque adhibere præſidia, quæ curam adjuvant, eique opitulatrices præbent manus.

Atque adeo iis, quibus ſanguis in venis redundat, aut nimia ſpiſſitudine, vel tenuitate peccat, aperiatur vena, qua ſive cruoris redundantia, ſive ſpiſſitudinis, aut tenuitatis labes corrigetur. Biduo tamen, vel triduo ante venæ-ſectionem idem corpus ab omni labe eluere, & cum primis primas vias ventriculum & inteſtina a *ſordibus acido-viſcidis, acribus bilioſis & putridis* quodam lenitivo laxante pharmaco (quale ſupra de purgatione lenitiva per alvum videre eſt) expedire, & mundare, curæ fontis auxilio erit, quo optatus effectus egregie adjuvabitur.

Corpore jam ad curam diſpoſito cura fontis cum, vel ſine lacte, pro diverſa nempe medentis utentisque intentione ſequente modo inchoanda erit: ſcilicet, dum fons ſine lacte bibitur, lagena aquis Selteranis repleta, & rite obturata in vas aqua communi fervida turgidum immittatur, & aliquamdiu, donec fons Selteranus naturale frigus ponat, & tepeſiat, daß der Brunnen über=

überſchlage, relinquatur, atque tunc attemperati fontis mane, hora ſexta, vel ſeptima, ſpatio dimidiæ horæ menſura media ſub obambulatione repetitis hauſtibus, & tertia vel quarta pars veſpere eodem modo ingeratur, pari ratione diebus procedendo ſubſequentibus, ſicque octo vel decem dierum ſpatio continuetur. Inter bibendum vero quovis hauſtu abſoluto aliquid *corticum limonum, vel aurantiorum ſaccharatorum, vel ſeminis aniſi, vel fœniculi obducti ſaccharo* maſticandum eſt, quo magis ventriculi rebus & facultatibus providebitur.

Atque hac bibendi methodo fons, ut dixi, octo ad decem dies continuetur, quibus elapſis (quum fons minus per alvum, magis vero per urinam operetur) ſupra dictum lene laxans pharmacum repetatur. Poſtea aquæ rurſus, ut primis octo diebus ſolebant, bibantur, corpus denuo laxetur, atque hoc modo tertia vel quarta vice cura pro re nata repetenda eſt, quæ tunc abſoluta, ut conducat, ſitque ſaluti, ex animo precamur.

Qua jam ratione, & in quibus morbis curatio fontis cum lacte mixti inſtituenda ſit, paucis commemorare juverit.

Vnde in cura Fontis cum lacte vaccino, vel caprillo mixti corpus ut prius, felicis curæ ſucceſſus gratia pro re nata leni laxante remedio, & venæ-ſectionis præſidio diſponatur, tunc vero æquales partes aquæ & lactis, vel tres aquarum partes cum una lactis parte miſceantur, quæ eo modo, ut ſine lacte, uſurpandæ, bibendæque veniunt.

Atque ubi intentio corpus tum alterandi, tum nutriendi eſt, fons lacteus locum habere poteſt, hinc cholericis præcipue, macilentis, & extenuatis, qui *humidi radicalis* penuriam paſſi ſunt, ut in *tabe, atrophia, phtyſi* &c. in quibus depaſcentibus morbis corpus humectandi, ſimulque nutriendi ratio urget, convenit, ac eo prorſus modo & conſilio, quo fons ſine lacte ſolebat, bibendus, in uſusque vocandus erit.

Ipſa vero miſcendi ratio ſequente modo inſtituatur, vel enim lac calidum, fervidumque cum aquis frigidis miſceatur,

vel

vel lac frigidum fonti frigido affundatur, quæ mixta liquida in vas immittantur, quod aqua & lacte mixtis repletum in aquam calidam & fervidam immittendum, quo pacto naturale aquarum frigus cedet, aquæ cum lacte tepeſcent, nec non cum optimis aquis utentium rebus & commodis ſalubri temperie induentur.

§. V.

De debito diætæ regimine durante uſu fontis obſervando.

Tametſi fons Selteranus per ſe & abſolute ventriculo non officiat, res tamen ſtomachi in tutis prorſus collocabis, dum id tua ſpectaverit induſtria, quo ejus vires & facultates ſervari integræ, robur, tonusque cuſtodiri poſſint.

Vnde non modo dimidia hora ante menſam, vel in fine menſæ cujusdam præſidii ſtomachici, *elixiris nempe ſtomachalis balſamici* HOFFMANNI, vel *ſtomachici temperati* diſpenſatorii Viennenſis, aut *tincturæ rhabarbari aquoſæ* cochlear unum, ſeu quadraginta, aut quinquaginta guttæ vel ſolæ, vel in brodio carnis macro in dies ſumantur, verum etiam nulla cibi, potusque helluatione, neque noxiorum eduliorum ingeſtione ventriculus offendatur, aut ejus vires & facultates arrodantur, vel violentur. Hinc alimentis difficilis concoctionis, & fermentantibus *dulcibus, acidis & flatulentis, in primis fructibus horæis, pomis, pyris, ceraſis acidis & dulcibus, oleribus, leguminibus, carnibus fumigatis & ſylveſtribus, pinguibus, lacticiniis, farinaceis, caſeis, ovis induratis*, idque genus noxiis eduliis omiſſis, laudabilis chyli dapes, *brodia nempe carnium macra, juſcula cancrorum fluviatilium, cremores hordei & avenæ, ova ſorbilia, carnes vitulinæ, agninæ, pullinæ, & gallinaceæ juniores*, aliaque hujusmodi cibaria facile a ventriculo coquenda in cibos eligantur, quibus fontis virtutes adjuvantur, atque aquarum cura proſperum, optatumque conſequatur effectum. Potus ordinarius non ſit alius, quam ipſus fons Selteranus, qui per diem

diem solus, ad mensam vero cum bonæ notæ vino mixtus & attemperatus in usum vocandus est. Aer vero purus, serenus, & temperate calidus sit, qui, quum foris potius & extra urbes in locis salubrioribus, vicis, pagis, & arcibus sublimioribus spiret, mutandus est, atque in id genus locis, aquarum curationi accommodatis magis, & opportunis, fontis præsidio utendum erit. Corpus vero debito moderatoque exerceatur suis horis motus exercitio, quod aura serena foris, secus vero domi, & in hypocaustis celebrare præstat. At dum alvi obstipatio molesta fuerit, blando clystere domestico, aut alio præsidio alvus solvenda venit.

Exsulent vero durante cura in primis adversa animi pathemata, *ira*, *tædium*, *curæ*, *solicitudines*, *mentis lucubrationes*, *mœror*, *tristitia* &c. animus vero amica conversatione fruatur, ad *spem*, *moderatam lætitiam*, & *tranquillitatem* excitetur, & erigatur, quo animi pathematum moderamine & temperie optimis Selterani fontis rebus, & curæ utilitatibus egregie velificaberis, desideratumque effectum, quod totis precamur viribus, consequeris.

SECTIO IV.

De balneis & thermis, seu de prophylaxi, & humani corporis purgatione per balnea, & thermas.

§. I.

Inter innumera, & propemodum infinita saluberrimæ artis præsidia, quibus SVMMVS DEVS miseris, afflictisque humani generis rebus prospectum, consultumque esse voluit, vel etiam simplicissima, & ubivis pene obvia remedia numerantur, quæ tantis viribus, tantisque infirmo ægrotoque humano corpori medendi virtutibus resplendent, ut non raro pretiosissima arcana artificialia, & phar-

pharmaceutica antidota non adæquent modo, verum etiam iis potiora ſint, & nonnunquam quam longiſſimo intervallo perfectiſſimis ſanandi viribus & facultatibus antecellant.

Atque horum præſidiorum cenſum ſubit vel etiam *ſimpliciſſima aqua communis fontana* & *fluvialis*, quam haud immerito medicinam propemodum univerſalem ſalutaveris, quæ morbis pene ad unum omnibus, & innumeris humani corporis afflictionibus medelam ferre, ac teſte experientia, optima rerum magiſtra, opitulatrices porrigere manus ſolet. Aqua inquam, quæ & interna, & externa ſanandi facultate excellit, id, quod tum veteris, tum novæ Medicinæ Scriptores loquuntur, balnea & thermæ confirmant, ac apertiſſime demonſtrant.

§. II.

De balneis, & eorum differentiis.

BALNEVM *eſt liquor medicamentoſus, vel ex ſola aqua naturali dulci, aut mineralibus, vel vegetabilibus aut animalibus partibus & ingredientibus fœta, paratus, in quem tepide ſive totum corpus, ſive quædam tantum corporis partes immerguntur, quo corpus, aut partes diluantur, & ſanitatis præſentis tuendæ cauſſa, vel amiſſæ reparandæ gratia abſtergantur & depurentur.*

Quod ſi totum corpus ſolo excepto capite in aquam immergatur, liquor iſte *balneum univerſale*, Germ. ein Voll-Baad nominatur; ſi corpus tantum inferius ad lumbos usque lavetur, liquor nomine *ſemicupii* ein Halb-Baad venit. Si denique duntaxat pedes ad genua usque in liquorem immittantur, & laventur, hoc lavacrum *pediluvium* nuncupari ſolet.

Quovis igitur horum balneandi genere corpus purgatur, morbi diſpoſitio tollitur, & ſic morbus imminens præcavetur, vel præſens lenitur, aut profligatur.

Atque adeo ex ipſa jam notione balnei colligitur: non ſolum balnea diſtingui in *univerſalia*, & *particularia*, verum etiam in

in *naturalia*, & *artificialia*, quorum illa ſunt, quæ vel ex ſola aqua communi ſimplici, fontana, vel fluviatili, aut mineralibus ingredientibus, *Marte* nempe, *terra calcaria*, vel *ſalina*, *ſpirituoſa*, aut *ſulphurea* fœta conſiſtunt. Iſta, nempe *artificialia* ſunt, quæ ex aqua communi cum *lacte*, *oleo*, *avena*, *hordeo*, vel *herbis* & *radicibus* &c. cocta componuntur, atque hoc modo aquæ cum aliis ingredientibus mixtæ, & coctæ balneum artificiale conſtituunt.

Alia rurſus balnea ex natura ſua, & ſcaturigine eſſe calida, quæ *thermarum* nomine veniunt, alia frigida, quæ frigida ſcaturigine fluunt, experientia teſte liquidiſſime conſtat.

Balnea itidem alia ſunt *aquea* & *humida*, de quibus modo diximus; alia *aerea*, & *ſicca*, ſeu *ſudatoria*, in quæ nec corpus, nec corporis partes reapſe immittuntur, ſed vel vicino externo calore, vel quovis aqueo aſcendente vapore corpori approximatis ſudor excitatur. Quod contingit, quando in hypocauſto ſilices, vel lateres candentes ægro proxime apponuntur, & iis ſpiritus vini, vel alius quicunque liquor affunditur, ſicque ſudor (interne prius ſumpto lignorum decocto, aut alio ſudorifero) provocatur. Atque huc quoque pertinet *balneum vaporarium*, in quo per ſellam perforatam a ſpiritu vini, vel decocto calido, lapidibus, ſilicibus calefactis, aut ferro candenti affuſo, vapor aſcendens per anum excipitur, cujus ope totius corporis ſudor concitatur.

Lubet jam ire per ſingula hæc balnea, & periclitari, quænam ex eorum uſu commoda in corpus humanum redundent, qui & fructus ex lavacris reportentur. Vnde ſit

§. III.

De balneo aquæ dulcis, ejusque ſalubritate.

PER BALNEVM AQVÆ DVLCIS *illud intelligitur, quod ex aquis limpidis, puriſſimis, ſive fontanis, ſive fluviatilibus, omnis alieni ſaporis & odoris expertibus, ac ab aliis mineralibus partibus,*

bus, terreis nempe, salinis, calcariis &c. immunibus constat, quo morbi dispositio removetur, vel morbus lenitur, aut profligatur.

At quoniam non omnibus datum est adire Corinthum, neque aquæ dulces tam puræ, tamque beata & illibata scaturigine ubique fluunt, sed graviores, & insalubres, partibus scilicet *limosis, terreis* & *calcariis* contaminatæ non raro scaturiunt, id genus impuras aquas corrigere, iisque pro re nata, *lac, hordeum, avenam, hordei,* & *tritici furfures*, vel *herbas* & *radices* addere & coquere, quo dulcis balnei vices subeant, omnino necesse fuerit.

Atqui modo vires, virtutesque, ac insignem in corpus humanum agendi potentiam, & facultates *balnei aquæ dulcis* suo rationum pondere ad judicii stateram appendere materiæ ratio exigere videtur.

Quam ob rem balneum aquæ dulcis in primis partes solidas præsertim subcutaneas, aridas & siccas, spasmodice contractas & tensas humectat, aperit, emollit, & relaxat, quo operandi modo motus sanguinis & humorum acceleratur, humores spissiores resolvuntur, & attenuantur, atque ad habitum corporis diriguntur & sollicitantur, cutis pori & meatus hiant & aperiuntur, unde *insensibilis perspiratio* sarta tecta servatur, vel diminuta aut suppressa redintegratur, quo impurum & excrementitium excernitur, corporis *solida* & *fluida* depurantur, sanitatis rebus & facultatibus egregie providetur.

Neque temperatum balnei dulcis calorem, quo sanguis & omnis generis fluida calefiunt, & fluidiora evadunt, cutis pori hiant & dilatantur, hic dissimulamus, quippe his stantibus inutilium & excrementitiorum humorum excretiones promoventur, corpus ab impuris & noxiis sordibus repurgatur, hinc morborum dispositiones tolluntur, materia morbifica, sic & ipsi morbi pelluntur & repudiantur.

Sed his aquarum dotibus *humiditati* nempe & *calori* tertiam dotem, qua corpora magnam mutationem subeunt, mirumque

 alte-

alterantur, gravitatem nempe adjungere præſtat; enim vero id genus gravitate cutis & cuticula impetuntur, corporis ambitus & ſuperficies comprimuntur, ſanguis & humores a ſuperficie verſus partes interiores redeunt, & repelluntur, proinde ſanguinis motus tum *inteſtinus*, tum *progreſſivus* celerior redditur, hoc celeriore ipſe cruoris motus circulatorius adaugetur, motibus fluidorum circulantium adauctis, ſordes impuræ & putridæ hinc inde in tubulis & vaſculis ſtagnantes loco moventur, fluidæ redduntur, & diſſolvuntur, infarctus & obſtructiones vaſis apertis ceu viis perviis tolluntur, atque adeo humores inutiles & excrementitii ſoluti, & ſuæ circulationi reſtituti per vias pervias ceu portas apertas e corpore amandantur.

Qua de cauſſa nominatim in affectibus ſpasmodicis, & ſpasmodico-convulſivis, omnisque generis doloribus leniendis & pellendis, ſpeciatim in *cephalæa, & cephalalgia, in mania & melancholia, in ſomno inquieto cum inſomniis juncto, in vertigine, ſcotomia, & hemicrania, in odontalgia & epilepſia; in artuum doloribus, & doloroſis affectionibus, arthritide, rhevmatismis, malo iſchiadico, chyragrico, & podagrico; in partium externarum ariduris & contracturis, atrophia, tabe, membrorum frigiditate, paralyſi; in cardialgia, vomitu, affectu hypochondriaco & hyſterico, in alvi ſegnitie, doloribus cholicis & ſpasmodico-convulſivis infimi ventris, in hæmophtyſi & ſputo ſanguinis, in lue venerea, & hæmorrhoidibus cæcis, ac doloribus ex iis prognatis, in ſcorbuto, in morbis renum & veſicæ, iſchuria, ſtranguria, calculo, hujusque doloroſo paroxiſmo, in facilitando partu, in cutis defœdationibus, ſcabie humida & ſicca, purpura, lepra,* aliisque innumeris ærumnis & ægritudinibus ab humorum acredine, & putredine, ac ſpasmodica partium ſolidarum criſpatura & contractione pendentibus prudentes balneorum dulcium uſus, vel tanquam balnea *univerſalia*, vel ut *particularia* more *ſemicupii*, aut *pediluvii* mederi & opitulari, clarius & apertius conſtat, quam ut quisquam dubitare poſſet. Atque id genus aquæ puriſſimæ, quæ balnea dulcia conſtituunt, tamque validas ſuppetias ferunt, ſunt præcipue *Pluviales*, *Teplicenſes*,

Pi-

Piperanæ, *Castaneenses*, & aliæ, quæ dulcis aquæ nomine veniunt, tamque insignibus sanandi viribus & facultatibus splendent, hinc jure meritissimo tantis salubritatis elogiis salutari merentur.

Verum, quum non semper & ubique, præsertim quibus res angusta domi est, hæc naturalia aquarum dulcium adeundi balnea occasio faveat, e re fuerit, his naturalibus lavacris artificialia balnea sufficere, quæ eorum vires, & facultates vel adæquarent, vel æmularentur. Vnde sit in primis

BALNEVM VNIVERSALE DVLCE PRO TABIDIS & HECTICIS: sumantur nempe *radices altheæ unciæ* XX. *hordei crudi manipuli* X. ad XII. *herbarum malvæ*, *brancæ ursinæ*, *lactucæ*, *cujusvis manipuli* VIII. *florum violarum*, *nymphææ*, *rosarum malvæ*, *singulorum manipuli* II.

Misceantur, & incidantur, ac coquantur in sufficiente quantitate aquæ fontanæ, vel purioris fluviatilis, & lactis vaccini ad unam, alteramque ebullitionem.

Sgtr. Voll-Baad für Dürr-und Lungl-süchtige, darinn lablecht warm zu baaden.

ALIVD IN SCABIE, & CVTIS DEFOEDATIONIBVS accipiantur *sulphuris communis unciæ* IX. *radicis oxilapathi unciæ* IV. *radicum enulæ*, *bryoniæ*, *malvæ cujusvis unciæ* III. *herbarum fumariæ*, *saponariæ*, *lapathi acuti*, *parietariæ*, *veronicæ*, *singulorum manipuli* IV. *florum hyperici*, *verbasci*, *cujusvis manipuli* II.

Misce omnia, & concisa include in sacculum in sufficiente quantitate aquæ fontanæ vel fluviatilis coquendum.

Sgtr. Species zum Kräutter-Baad, so in einem Kössel voll Wasser 1. Stund lang zu sieden, und das gesottene Wasser in die Baad-Wann zu giessen, in welchem früh, oder auch Nachmittag um 4. Uhr 1. oder 2. Stund lang (darnach mans leicht erleyden kan) lablecht warm zu baaden.

SEMICVPIVM ANTINEPHRITICVM, seu balneum contra calculum, ejusque dolores. Sumantur *radicis altheæ & petroselini utriusque unciæ* III. *seminis lini unciæ* V. vel VI. *herbarum malvæ*

væ cum toto, verbasci, violariæ, parietariæ, florum chamomillæ cujusvis manipuli III. *seminis fœni græci, baccarum juniperi contusi utriusque uncia una & media.*

Misceantur, & concisa dentur ad usum, coquantur in tribus partibus aquæ communis, & una parte lactis vaccini per horam, & amplius.

Sgtr. Schmertzen stillendes Baad, darinnen früh, oder nach Mittag um 4. oder 5. Uhr, in Stein-Gries-und Sand-Schmertzen 1. Stund lang, oder so lang es die Kräften gestatten, lablecht warm öfters zu baaden.

SEMICVPIVM PAREGORICVM & ANODYNVM in vomitu, doloribus colicis, & hæmorrhoidalibus, ac pertinace obstipatione alvina volvulum minante.

Accipiantur *hordei crudi, & seminis lini, utriusque unciæ* X. *herbarum malvæ, parietariæ, brancæ ursinæ, verbasci, cujusvis manipuli* II. *florum malvæ, verbasci, & chamomillæ, singulorum manipuli* III.

Mixta, & concisa dentur ad usum.

Sgtr. Schmertzen-stillende-und erweichende Species in einem Kessel mit halb Wasser, und halb frischer Kuh-Milch 1. Stund lang zu sieden, hernach alles in ein Baad-Wannen zu giessen, darein im Brechen, Leibs-Verstopfung, und anderen Schmertzen, des untern Leibs sich bis über die Lende zu setzen, und früh oder abends 1. oder 2. Stund lablecht warm zu baaden.

PEDILVVIVM HYPNOTICVM IN NIMIIS VIGILIIS. sumantur *capitum papaveris albi numero* X. ad XII. *foliorum salicis, herbarum lactucæ, malvæ, violariæ, cujusvis manipuli* II.

Mixta, & concisa dentur ad usum pro pediluvio.

Sgtr. Schlaff-bringende Species zum Fuß-Baad, so in 4. Maaß Wasser, und so vil frischer Milch zu sieden, in welchem 2. Stund nach einem gelinden Nacht-Essen die Füß bis schier an die Knye ein halbe, oder drey Viertl Stund lang lablecht warm zu baaden.

PE-

PEDILVVIVM CONFORTANS, & TONICVM in pedum frigore, debilitate, & paralysi.

Recipi poterunt *baccarum juniperi parum contusi unciæ* VI. *herbarum rorismarini, manipuli* IV. *serpilli, salviæ, & melissæ cujusvis manipulus* I.

Misce, concisa & mixta includantur in sacculum, qui coquatur vase clauso in tribus partibus aquæ, & una vini, quantum sufficit. Detur ad usum.

Sgtr. Fůß-ſtårckendes Baad, welches in Verkåltung, Schwachheit, oder Låhmung der Fůſſen wie voriges zu gebrauchen.

Nec vanum modo, irritumque iter fore, confidimus, quod jam cœptum, a balneis aquæ dulcis artificialibus ad balnea naturalia tum *frigida*, tum *calida* eundo prosequemur.

§. IV.

De balneis naturalibus, & mineralibus ex natura sua frigidis.

BALNEA NATVRALIA MINERALIA *frigida sunt, quæ non modo ex aquis, variis mineralibus principiis & ingredientibus, spiritu nempe minerali purissimo, penetrante & elastico, vel calcaria, aut subtiliori martiali terra, vel salibus neutris mediis, aut alcalinis &c. fœtis, verum etiam vena frigida fluunt, & scatuiunt, unde & balnea frigida nuncupantur.*

Diversa vero id genus banea in diversis terræ plagis existere, quæ non raro aggesta morborum, malorumque agmina persanant, ac humani corporis rebus & utilitatibus egregie patrocinantur, notum est omnibus, vivisque oculis judicari potest.

Sed missis tot lavacris præsertim exteris & remotioribus, inquilina nobis & viciniora, quæ patria tellus protulit, balnea perquirere, & invisere licebit, eo, quod instituti ratio id obsequii a nobis omnino efflagitare videatur.

 At-

Atque adeo primum horum balneorum in conſpectum prodit illud patrium non procul ab oppido Aſchavienſi ſitum, & Milacenſe balneum nuncupatum: quod principio *vitriolico, & ſulphureo, cum martiali terra, & ſubſtantia calcaria temperate mixtis*, fœtum eſſe, ajunt: hinc virtute moderate *calefaciendi, exſiccandi, nec non digerendi, reſolvendi, & aperiendi, ac partes ſolidas debiles roborandi* excellere, adeoque tum primas vias, ventriculum, & inteſtina humoribus *acido-viſcidis*, & *putridis* referta, depurandi, tum ipſam ſanguinis & humorum maſſam id genus labe, & humoribus corruptis, & putridis contaminatam repurgandi viribus & facultatibus præditum eſſe, ſordesque, & humores peccantes e toto corpore per ſolita loca excretoria, *alvum* nempe, *urinam* & *inſenſibilem perſpirationem* eliminandi potentia fontem noſtrum inclareſcere, experientia teſte explorata res eſt.

Vnde ſpeciatim fons Milacenſis convenit in *omnis generis defluxionibus, cum primis capitis, oculorum, aurium, dentium, in coryza, cephalæa & cephalalgia, vertigine, apoplexia, hemiplexia, in reſolutione & paralyſi artuum, manuum & pedum, in rheumatiſmo, arthritide, generali & particulari, in malo iſchiadico, chiragrico & podagrico, in aſthmate ſeroſo, & difficili anhelitu; in appetitus proſtratione, cardialgia, debili ventriculo, & læſa ciborum concoctione, in malo hypochondriaco & hyſterico, in inteſtinorum doloribus colicis, & inflationibus infimi ventris, in obſtructionibus hepatis, lienis, & meſenterii, in cachexia, ictero, & hydrope incipiente, in fluore albo mulierum, in fluxu menſium nimio, & diminuto aut ſuppreſſo, in nimio, & impedito fluxu hæmorrhoidum; in morbis renum & veſicæ, iſchuria, ſtranguria, & calculo*. Præcipua vero laude dignæ ſunt hæ aquæ in *omnis generis cutis defœdationibus, in ſcabie humida, & ſicca, lepra, elephantiaſi; in radicatis artuum ulceribus, & exulcerationibus*, aliisque malis & ægrotationibus, ab humoribus *putridis acido-viſcidis* pendentibus, quibus non ſemel validiſſimam attuliſſe opem & operam Milacenſes ſcaturigines, firma fide conſtat, & frequente experientia teſte ſtabilitur.

At-

Atqui absoluto fontis Milacensis scrutinio, mox obviam habemus aquarum sulphuratarum, quæ oppido Windischgarstensi vicinæ sunt, scaturigines, ex quibus tam beatæ, tam salubres & salutares aquæ fluunt, ut ob egregias suas dotes, & sanandi facultates, quibus in bene multis morbis & ægritudinibus miseris, & languentibus solatio sunt, patrios inter soterios fontes haud postremum sibi vendicare locum merito videantur. Siquidem, referente celeberrimo Linzensium Physico, & spectatæ eruditionis Æsculapio BLISCHERO, fons iste *terra calcaria, & Martiali, cum modico vitriolo, & sale alcalino, ac largiore substantia sulphurea*, unde etiam fons *sulphuratus* dicitur, fœtus & fœcundus est, quibus ingredientibus calefacit, & exsiccat, humores spissiores resolvit, attenuat, & fluxiles reddit, partium solidarum fibras debiles & laxas adducit, firmat & corroborat; atque adeo sanguinis & humorum motum circulatorium adjuvat, actiones omnes perficit, & excretiones naturales secundat; quibus ita comparatis, sordes corporis *putridas acido-viscidas* resolvi, digeri, & fluxiles reddi, ac per loca communia, *alvum, urinam, & perspirationem insensibilem ac sudorem* proscribi e corpore, res constante fama notissima est, omniumque sermone celebratur.

Duplicis vero generis sulphurati fontis usus est: *Internus*, & *externus*.

Interne fons bibitur ad libram unam & amplius in stomachi & intestinorum ægrotationibus, malisque & ærumnis, a læsa ciborum concoctione descendentibus, nominatim in *cardialgia, inappetentia, ructibus acidis, inflatione ventriculi & abdominis, indeque pendente difficili spiritu, & materiæ viscido-acidæ putredicosæ vomitu, in affectu hypochondriaco & hysterico, in febribus frigidis intermittentibus, morbisque ab infarctu & obstructione viscerum, cachexia, ictero, incipiente hydrope pendentibus; in morbis uterinis, fluore albo, & contameniorum fluxu nimio, vel impedito, in excessivo venarum hæmorrhoidalium stillicidio, earumque fluxu diminuto, aut suppresso. In affectibus acido-tartareis, salinis & acribus, arthritide, podagra, malo ischiadico, in morbis renum*

num

num & vesicæ, *arenulis & calculo* &c. medetur, optatamque porrigit opem & operam.

Sed vel etiam omisso interno fontis usu, solus usus externus, & aquæ balnei more adhibitæ præstanda præstant, atque in morbis bene multis ab humorum *putridorum acido-viscidorum*, *& salsorum colluvie*, *partiumque solidarum atonia & laxitate* oriundis, a quibus & corporis *solida* & *fluida* labe contaminantur, saluberrimo præsidio sunt.

Quam ob rem in varii generis *defluxionibus acribus*, *in rheumatismis*, *artuum resolutionibus*, *manuum*, *pedumque paralysi*, *præsertim ex præcedente apoplexia*, *arthritide*, *aut podagra profecta*, *in extremorum tumore & laxitate*, *in grandævis & senibus ex nimia artuum debilitate & atonia laborantibus*, *in arthritide*, *podagra*, *in externis glandulosis tumoribus*, *omnis generis siccis & fluentibus ulceribus*, *& radicatis exulcerationibus*, *scabie humida*, *& sicca*, *& quibusvis cutis defœdationibus*, *in tributo menstruo diminuto fœminarum*, *& virorum hæmorrhoidali fluxu impedito & suppresso*, *in cachexia mulierum & fluore albo*, *in fœminis frequentioribus abortibus obnoxiis*, *in malo hypochondriaco & hysterico*, aliisque calamitatibus, a sordibus corporis *putridis acido-viscidis & lentis salinis* oriundis, balnea hæc sulphurata miseris & languentibus levamini & solamini esse, experientia non una ratum compertumque habetur.

Porro fovet adhuc alios fontes soterios patria in sinu suo, ut illum ad SANCTVM PETRVM prope Gundskirchen, cum primis in affectibus *arthriticis*, *rheumaticis*, *paraliticis*, in *omnis generis defluxionibus acribus*, *tumoribus & ulceribus*, *ac quibusvis cutis exulcerationibus*, *& defœdationibus* curandis opportunum summisque celebrandum laudibus, cui & propius sanandi viribus Kirschlacensem scaturiginem accedere ajunt; sed quoniam de horum fontium medendi facultatibus in patria languentibus aliunde constat, pro modo iis prolixiore tenore describendis supersedemus.

§. V.

§. V.

De balneis naturalibus & mineralibus ex natura sua calidis, seu de thermis.

Aquæ minerales, quæ ex imis terræ alveis calida scaturigine fluunt, & prodeunt, *thermarum* nomine notantur, atque mirum dictu non raro quovis pene modo languentibus, ac innumeris humani generis ærumnis & ægritudinibus medicinam afferunt, & sanitatis adversa repellunt, nec non semel modo morbos propemodum immedicabiles, & calamitosas humani corporis afflictiones persanare consueverunt.

Sunt vero aliæ thermæ, in quibus manifesta ingredientia mineralia deprehenduntur, ut *thermæ Carolinæ*, quæ *sale alcalino*, & *terra calcaria* conspicuæ sunt, *Baadenses* item inferioris Austriæ, quæ referente Celeberrimo DIETMANNO *nitro calcario, terra calcaria, & substantia sulphurea, cum sale communi* inclarescunt; aliæ vero sola sui summa *puritate, levitate*, & *subtilitate* memorabiles, sine vestigio alterius ingredientis mineralis vel *alcalini*, vel *salis medii*, aut *terræ* sive *mineralis*, sive *martialis* &c. in conspectum prodeunt, quorum censum subeunt thermæ *Töplicenses*, *Piperanæ* in Rhetia, *Castäneenses*, quæ in Salisburgensi solo scaturiunt. Vt jam harum thermarum vires expendamus, earumque sanandi facultates & rationes ponamus ob oculos, ad officium, institutumque nostrum pertinere, omnino existimamus.

Atque adeo balnea calida, seu thermæ in nostrum corpus agunt calefaciendo & exsiccando, humores putridos viscidos, inspissatos resolvendo, attenuando, & reddendo fluxiles, spiritus serenando, partes vero solidas, nervos & fibras contrahendo, solidorum tonum reparando, ac nervos, fibrasque laxas & remissas firmando & roborando; quibus ita comparatis *solidis* & *fluidis* humorum motus circulatorius adaugetur, solidorum motus tonicus adjuvatur, actiones corporis, sordium viscidarum, par-

tiumque inutilium & excrementitiarum ſe- & excretiones perficiuntur, & gradus ſumunt, tollitur ad morbos diſpoſitio, morbus imminens prohibetur, præſens vel levatur, aut profligatur.

Quam ob rem cum primis, *Caſtaneenſes* & *Baadenſes* thermæ conveniunt in morbis ventriculi, *læſa ciborum concoctione, cardialgia, vomitu pituitoſo, inflatione ventriculi & inteſtinorum, malo hypochondriaco, & hyſterico, alvi ſegnitie, obſtructionibus hepatis, lienis, & meſenterii, cachexia, ictero, hydrope, in calculo renum & veſicæ; in affectibus pectoris, tuſſi chronica, & aſthmate ſeroſo, viſcido; in defluxionibus capitis, aurium, oculorum, viſus & auditus hebetudine, in vertigine, apoplexia, epilepſia, in paralyſi, & artuum reſolutionibus, in artuum doloribus, arthritide, malo iſchiadico, podagra, in morbis uterinis, ſterilitate, frequentiore abortu, in fluxu menſium, & hæmorrhoidum nimio & diminuto, in fluore albo, in cutis & extremorum affectibus, omnis generis ſcabie, ulceribus & exulcerationibus recentioribus & habitualibus,* aliisque morbis & ægritudinibus frigidis & pituitoſis, quæ a cachoymia, ſeu impuritate humorum vitioſorum, & *acido-viſcidorum, ſeroſorum*, ac nervorum & fibrarum debilitate & atonia ortum trahunt, ſummo thermas præſidio fore, nobis firmiter perſuadetur.

At vero in affectibus, a ſanguine calidiore, ſanguinisque bilioſa acrimonia pendentibus, nec non in *phtyſi, empyemate*, & *abſceſſibus internis, in tumoribus viſcerum ſcirrhoſis*, in *longiore tempore gravidis*, quibus ex thermarum uſu catamenia moventur, in naturis item, & morbis calidioribus, nec non ubi viſcerum labes metuenda eſt, cautius cum thermis mercandum eſſe, quin his poſitis morbis & circumſtantiis, ſatius fore, a thermarum uſu abſtinere, prorſus exiſtimetur.

§. VI.

§. VI.

De balneandi horis, & tempore, ac tum in balneis frigidis, tum calidis, ſeu thermis debito obſervando diætæ regimine.

Tempus, horæque balneandi cum primis matutinæ, & veſpertinæ ſint, oportet, eo, quod his horis concoctio ventriculi, nec non excretiones naturales abſolutæ ſunt, hinc naturæ vires melius balneo impendi poſſunt. Atque adeo mane hora quinta, poſt prandium hora quarta digeſtione prope peracta, purgantibus inſideatur aquis, commorando in primo balneo per horam unam, vel unam, & dimidiam, ſecundo balnei die balneando per horam unam & dimidiam, vel per duas horas, tertio die balneando per duas horas, aut duas & mediam, ſicque ſingulis diebus tum ante, tum poſt prandium media hora, vel amplius aſcendendo, donec per diem, ſex ad ſeptem, & octo horas balneatum fuerit. Cui horarum numero, balneando ſex, octo, vel decem diebus inſiſtendum, quibus finitis eo modo, iisque balneandi horis deſcendendum eſt, quo modo, quibusque horis aſcenſum fuit, adeoque hoc ordine, his balneandi horis & tempore balnei uſus finiatur.

Verum tamen non ſemper & ubique, ac ad punctum temporis hæ balneandi horæ obſervandæ ſunt, ſed *naturæ potius robur, viresque, temperamentum, ſexum, ætatem* &c. metiri præſtat, quorum ratione accidentium Petro pluribus, Paulo paucioribus horis balneare licet; unde debiles per diem quinque, ſex, vel ſeptem duntaxat horis ferunt balneum, fortes vero, valentes, & robuſtiores plures balneis horas impendere poſſunt. At vero te nunquam hæc fallet regula, ut eousque balnees, ac tamdiu balneo inſideas, quousque id vires tuæ facile ferunt, balneumque tibi commodum viſum fuerit. Id tamen in ſumma notari meretur, ne unquam ſub balneatione, aquæ plus æquo calidæ, ſed

ſed tepidæ duntaxat ſint, quum, ex immodico balnei calore *corporis incaleſcentias*, *ſitim*, *capitis dolores*, *vigilias*, *præcordiorum anxietates*, *tuſſes ſiccas*, *febres*, *laſſitudines*, *virium*, *& appetitus proſtrationes* ex facili ſuccedere, conſtante experientia ratum, compertumque habeatur.

Egreſſus jam e balneo corpus tuum linteis mundis & calidis abſtergatur, abſterſum lecto calido committatur, in quo per horam decumbendo udor, vel lenis ſudor expectetur.

Porro balneantibus id memori mente tenendum eſt, ut, ſi balnei tempore cutis *prurigine*, *maculis*, *ſcabie*, aut *alia exanthematum labe* contaminetur, balnei uſus eousque continuetur, donec cutis priſtina induta ſpecie mundata & perſanata fuerit.

Quod jam ad diætæ regimen attinet, imprimis omnis aeris inclementia, præſertim aer frigidus & humidus evitetur, eo quod *inſenſibili perſpirationi* limites ponit. Frigidus vero dum graſſatur, temperato cubilis calore corrigendus venit. Rurſus balneandi tempore frugaliter vivendum eſt, eligendo cibos *eupeptos* & *euchymos*, qui prompte concoctioni auſcultant, & laudabilem chylum ſuppeditant, *carnium nempe juſcula macra*, *hordei & avenæ excorticatæ cremores tenues recentercarnium juſculis*, *& butyro*, *cocti*, *carnes vitulinæ*, *agninæ*, *leporum juniorum*, *caponum*, *pullorum*, *gallinarum*, *avicularum montanarum*, *elixarum*, *& aſſatarum*, *ovorum ſorbilium* &c. exulet contra *ciborum varietas*, *plenaque ſatietas*, *atque cibos nimis ſalitos*, *aromaticos*, *acetarios*, *infumatos*, *pingues*, *fructus horæos*, *pyra*, *poma*, item *lacticinia*, *leguminoſa*, *flatulenta*, *ſaccharata*, *dulcia* &c. perpetuo declinare præſtat. Potus ſit ad menſam vinum aqua probe dilutum, extra menſam urgenti ſiti temperata frigida obviam eundum erit. Adverſa animi pathemata, ira, odium, iracundia, tædia, curæ, ſollicitudines &c. balneantibus ſane noxia conſtanter repudientur.

Denique prius monendum, modo moneo, ne balnei cura uſuri unquam balneum adeant, *corpore ad balneandum indiſpoſito*, ſed corpus diſponatur, & ad lavacri uſum præparetur, ſive pro re

nata

nata *prævia leni laxatione*, ſive *ſanguinis miſſione*, quibus omiſſis non modo curæ ſalubritati & effectui ponuntur limites, verum etiam durante balnei cura noxia non raro, & mali moris enaſcuntur ſymptomata, de quibus ocyus commemoraturi ſumus.

§. VII.

De morboſis ſymptomatibus, & accidentibus, nonnunquam balneandi tempore ſuccedentibus, remediisque ea corrigentibus.

Si morboſa ſymptomata balnei cura utentes adoriantur, eisdem certis & opportunis remediis e veſtigio occurrendum erit. Vnde ſi in primis *cephalalgia*, aut *cephalæa*, plerumque ab obſtipatione alvina oriunda, balneans corripiatur, huic præſidio erunt *clyſter domeſticus, potio leniter laxativa, frontalia præſidia*, ſpeciatim *unguentum alabaſtrinum*, vel *temperata pediluvia*, quæ ſuperius videre eſt, quibusque dolor capitis perſanabitur.

Si vigiliæ te laceſſant, præter modo dicta præſidia, *emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis, & papaveris albi* malo tuo medelam ferent, tollent vigilias, tibique placidam quietem afferent. Immodicæ ad ſomnum propenſioni, & ſomnolentiæ obviam itur *acrioribus clyſteribus*, & *diſcutientibus frictionibus*, quibus ſpiritus in motus concitantur, corpus ad vigilandum diſponitur. Defluxiones capitis, ſi infeſtent, *rito diætæ regimine, aeris temperato calore, & lenibus præſidiis ſudoriferis*, quæ ſupra de inſenſibili perſpiratione videre erit, curantur, & perſanantur. Dum febris & ſitis superveniunt, a balneo & vino abſtinendum eſt, atque decocto ex *hordeo*, & *paſſulis aqua fontana coctis*, vel *infuſionibus tamarindorum eadem aqua coctorum*, aut *emulſionibus ex ſeminibus IV. frigidis*, & *amygdalis excorticatis* præparatis ceu potu ordinario uti præſtat. Pereunte in balneo cibi deſiderio, & ciborum inappetentia ſuccedente, lenia laxantia, & præſidia appetitum excitantia, *infuſio nempe*

prior tamarindorum, & *temperata tragæa ſtomachica* malo medelam afferent. Si alvus ſegnis, & clauſa ſit, vel obſtipetur, ſolvetur, portaque clauſa reſerabitur *clyſtere domeſtico ſupra de excretionibus notato; drachmis duabus cremoris tartari in brodio carnis ſolutis & ingeſtis, vel prunis laxativis, & id genus paſſulis.* Dum vero cutim labe contaminant exanthemata, *purpura rubra vel alba, ſcabies humida vel ſicca*, aliæque cutis defœdationes, eousque balnei uſus continuetur, donec cutis, & habitus corporis mundetur, & ab omni labe depuretur.

Si denique menſium & hæmorrhoidum flores durante cura balnei prodeunt, lavacri uſus (niſi nimius fuerit fluxus cum diſpendio virium, ubi tunc a balneo deſiſtendum) continuandus erit.

SECTIO V.

De humani corporis purgatione per nicotianam, ſeu tabacum.

§. I.

De tabaco, ejus nomine, differentia, & origine.

Nicotianam, ſeu tabacum, cujus deliciis, & cupediis totus pene mundus his noſtris temporibus ſacrificat, de plantarum genere eſſe, manu tenetur, certiusque, & apertius eſt, quam ut ignorari poſſit. Tametſi vero varia, & plura Scriptores huic plantæ imponant nomina, nobis tamen, notioribus duntaxat, & magis uſitatis nominibus herbam ſalutare, e re fore, viſum fuit.

Qua de cauſſa, quod Ioannes Nicotius Regis Franciæ Legatus in Luſitania, primus tabacum ad Galliarum Reginam miſiſſe fertur, hæc planta, *herba Reginæ*, atque a Legato Nicotio *nicotiana* nuncupari ſolet. Generali tamen, & vulgari nomine a patrio ſolo

&

& ſede, Inſula nempe *Tabago*, ſeu *Tabaſco* hujus plantæ feraciſſima, ubique gentium, & ubivis locorum herbam hanc nominari *Tabacum*, res tota Sicilia notiſſima eſt, omniumque ſermone celebratur.

Atque adeo ab origine ſua plantam repetentes fugit minime, ejus natale ſolum eſſe Americam, in cujus diverſis locis & Provinciis ſponte ſua, & nullo labore, nullaque humana induſtria herbam Reginæ creſcere & germinare, diverſa tabaci nomina *Virginianum* nempe, *Braſilienſe*, *Floridanum* &c. perſpicue teſtatum volunt.

Verum ſumptibus parcendum eſſe, & charam patriam his nicotianæ foliis (quæ ex America, & remotiſſimis terræ oris caro ære & pretio repetuntur) optimo jure carere poſſe, merito judicetur: quum Europa, ejusque regiones plurimæ nominatim Anglia, Hollandia, Hiſpania, Italia, Hungaria, & vel ipſa quoque Germania, cujus Argentini, Bremenſes, & Hannoveriani agri tabaco fertiles omnino exiſtunt, adeo nicotianæ feraces & fœcundæ ſunt, ut non modo Americæ, tabaci fœcunditate nihil cedere, verum potius hujus herbæ copia & bonitate America eſſe ſuperiores, æquo & jure exiſtimentur.

Demum & id addere, haud abs re fuerit, callidos, & libidine lucri incenſos Mercatores, mirum non raro Americæ nicotianam, neſcio, quibus fecibus, quisquiliis, & ſordibus corruptum ire, quod ipſum & tabaci patrii improbi fœneratores facere ſolent, id, quod tabacophilus animo ſuo inſculptum gerat.

§. II.

De herbæ nicotianæ dotibus, ejusque fumigationis, & pulveris uſu, viribus & virtutibus.

Duplicis generis principiis nicotianam inſtructam eſſe, uno ſcilicet ob particulas ſuas *ſalino-acres volatiles, penetrantes*, calefaciente, aperitivo, & reſolvente, ſordesque viſcidas mucoſas

ſas in corpore redundantes digerente, & purgante; altero ob particulas *oleoſas ſulphureas non adeo naturales*, demulcente paregorico, anodyno, efferos motus coercente & ſedante, ex nicotianæ ſubamaro, acute penetrante, & piperino ſapore, aliisque tabaci dotibus & effectibus aperte colligitur, & nec vel ſemel dubitatum fuit.

Atque adeo primi generis principio, ſeu particulis *ſalino-acribus*, & *volatilibus* nicotiana humani corporis ſordes excrementitias, præcipue *mucoſas*, *viſcidas*, & *putridas*, vel caput, vel pulmonum bronchia, aut ventriculum, inteſtina, meſenterium, vel alia interna viſcera occupantes, incidit, reſolvit, attenuat, abſtergit, digerit, & fluxiles reddit, atque coctas, & digeſtas ſordes per ſua excretoria, modo nempe per nares, modo per os, jam per pulmones, jam per vomitum, modo per alvum, &c. purgat, & eliminat, quo morbi diſpoſitio avellitur, morbus præſens lenitur, vel profligatur.

Non ſolum vero *internus* & *externus*, verum etiam *curatorius*, & *præſervatorius* nicotianæ uſus eſt. Atque adeo *interne* vel in forma *decocti*, vel *infuſionis*, aut *eſſentiæ*, vel *ſyrupi ſpecie* cum primis in *cardialgia pituitoſa*, *aſthmate humoroſo*, *orthophnæa*, *tuſſi humida*, aliisque affectibus a ſordibus *viſcidis tenacibus putridis*, quæ viſcerum vaſa & tubulos replent, & obſtruunt, oriundis valide medetur, validasque ſuppetias ferre ſolet.

Verum tamen id noſtra unice induſtria ſpectet, ut, quo ad uſum internum nicotiana ab arte peritis & debita circumſpectione a nimia ſui acrimonia cauſtica per repetitas infuſiones, aut alio quovis modo depuretur, certa doſi & ordine interne exhibeatur, qua circumſpectione, & debita præparatione vis tabaci *draſtica*, *purgans* & *vomitoria*, quam nicotiana in ſinu ſuo condit, non modo domari, verum & prohiberi poterit.

Sed ab interno tabaci uſu, ad ejus uſum externum prorſus familiarem, & more receptiſſimum (*qui in fumigatione, & nicotianæ per nares attractione* conſiſtit) venientes, jam videamus,

qua

qua ſanandi facultate, quibus medendi viribus herba Reginæ præſtet, & antecellat.

Quam ob rem utroque, & *fumigandi*, & *herbam per nares attrahendi modo* nicotiana cum primis caput & capitis partes humidas, ſeroſas calefacit, ac exſiccat, ſupervacaneas & excedentes humiditates abſumit, cruditates *ſeroſas, viſcidas putridas* pectoris, oris & ſtomachi diſcutit, incidit, reſolvit, & fluidas reddit, atque ſordes ſolutas & digeſtas per os, & nares purgat, & excernit, hinc præcipuas corporis partes ab omni *ſeroſo-viſcida humorum colluvie* & *putredine* nicotianæ ope elui & purgari, ac præcipue ſerenari rationis regiam, palmarium eſt, pridemque a Medicinæ Optimatibus definitum fuit.

Vnde nominatim in *temperamentis, & naturis frigidis, pituitoſis, viſcidis, defluxionibus acribus, & catarrhis obnoxiis*, in *melancholia, epiphora, defluxionibus & læſionibus frigidis, aurium, oculorum, colli, diminuto viſu & auditu, coryza, vertigine*, in *metu lethargi, apoplexia, paralyſi, angina ſpuria, dolore dentium, & cephalalgia*, in *catarrhis, aſthmate humido, orthopnœa*, aliisque affectibus, & ægrotationibus, quæ a *craſſis, viſcidis, mucoſis*, & *corruptis humoribus* ſuos natales ducunt, tabaci maſticationem vulgo, plebique familiarem, vel ejus fumationem, aut per nares attractionem ceu ſaluberrimum antidotum ſalutandum fore, notum eſt, nihilque pendet animus.

Quum vero infirmo capiti, ejusque defluxionibus cum primis medeatur, Litteratis, quorum caput plerumque debile, & defluxionibus obnoxium eſt, nicotianæ pulveriſatæ moderatum uſum pro roborando, & ſerenando capite, ejusque curandis defluxionibus opportunum ſuggerere præſidium, minime in dubium vocari poteſt. Immo nec id prætereo, non raro Doctiſſimo teſte WILLIO cibi loco ſervire, ſitim ſedare, a morbis contagioſis, & peſtilentibus præſervare, quando ejus cum

primis fumigatio in castris commeatus inopiam supplet, morbis castrensibus, *febribus*, *colicæ*, *diarrhææ*, *artuum doloribus*, & *capitis vulneribus* medetur, & nonnunquam optato præsidio est. Id quod ipsum Clarissimus contendit DIEMERBROCKIVS, qui *Tract. de pest.* conceptis verbis asserit: pestis præservativum, & curativum in tabaci fumo consistere, atque alexipharmacas nicotianæ fumi vires sibi exploratas esse, palam attestatur.

Porro non solum modo *fumatione*, & *per nares attractione* suas nicotiana vires exerit, verum etiam in *balsami*, *unguenti*, & *emplastri* forma ceu insigne præsidium vulnerarium prodit in medium: adeoque in affectibus subcutaneis *scabie*, *impetigine*, *contusionibus*, *tumoribus*, *vulneribus* & *ulceribus*, *tum recentibus*, *tum inveteratis*, in *fistulis* & *cancris* excellere, & validas suppetias ferre, ex ipsis nicotianæ viribus colligitur, & judicatur. Enim vero particulis suis *salinis* & *penetrantibus* abstergit, & mundat, *oleosis* vero dolores lenit, & consolidat, ut hac de caussa in Medicina *pharmacevtica*, & *chyrurgica* vix vulnerarium & balsamicum sit remedium, sive *decoctum*, sive *infusum*, seu *balsamum*, seu *unguentum*, *oleum*, aut *emplastrum*, cujus tabacum non sit præcipuum ingrediens & constitutivum, atque adeo jure merito vulneraria inter balsamica pharmaca principatum nicotiana obtinere videatur.

§. III.

De herbæ Nicotianæ abusu, ejusque damnis, & incommodis.

Nicotianæ abusum radices cepisse, ac quam ample, lateque per orbem grassari, testis est celeberrimus HOLLERIVS de DOBLHOF, olim Vniversitatis Oenipontanæ in Medicis Professor tum docendi, tum scribendi gloria Clarissimus, quando de *abus. tabac.* his refert terminis: „ Nobilio-

„ res

„ res, & Domicellæ hujus fœdæ panacææ influentias in pulvere,
„ ignobiliores, & milites in fumo, adhuc rudiores in masticatione
„ tanta animi & corporis dulcedine degustant, ut malint carere
„ prandio, quam hujus exoptatissimi simplicis gratissimo usu pri-
„ vari. In urbibus & oppidis vix invenies tabernam, quæ inter
„ reliquas merces non monstret tabacum, immo in ipsis pagis,
„ & miserorum tuguriis venale cum pippis per fenestras pro-
„ spicit.

„ Tabacistæ (expressi hujus simplicis Mercatores) longe
„ majorem faciunt quæstum ex tabaco, quam pistores ex pane
„ quotidiano. Et quod olim non nisi ex Brasilia & Virginea ad
„ nos deferebatur, hodie in Franconia, Hannovia, Suevia, Tyroli,
„ immo vix non omnibus campis, & rusticorum hortis in con-
„ sortio frumenti germinat: eo quod rustici pane carere ne-
„ queant, & tabaco carere nolint. Non enim solo, inquiunt, pa-
„ ne vivit homo, sed & aliis, quæ apponuntur ei, id est: tabaco.
„ Hanc herbam masticant lixæ in culina, lurcones in popina, su-
„ tores in officina; hanc fumant rustici arantes, operarii labo-
„ rantes, milites itinerantes; hanc naribus attrahunt Magnates
„ in Dicasteriis, Domicellæ in puerperiis, Religiosi in Mona-
„ steriis. Cui quæso, herbæ a mundo condito tot honores fue-
„ runt exhibiti? Aurum, argentum, & gemmæ eidem inserviunt
„ pro capsula, ambra, & moschus pro gratia, & quid quid na-
„ tura pretiosi, & odoriferi protulit pro connubio. Vbi majo-
„ rem videbis artium solicitudinem, & ingenii varietatem? quam
„ in construendis tabaci pixulis, in conficiendis pippis, in filandis,
„ macerandis, & ornandis tabaci foliis? nihil jam dicam de titu-
„ lis, hæc namque tabaci mixtura vocatur *Papalis*, alia *Imperia-*
„ *lis*, tertia *Regalis*. Reliqua. „

En igitur prodigalitatem! mirare nicotianæ abusus, qui eo-
usque invaluere, ut nicotiana tanquam unica & generalis humani
generis omnium ægritudinum panacæa colatur, & invocetur;

 ajunt

ajunt enim hi insani tabacophili, sentiuntque: tabaci suavium æstivo tempore calorem mitigare, hyeme frigus propulsare, jam somnum avertere, modo requiem conciliare, nunc sitim, nunc famem sedare, modo appetitum provocare, jam melancholiam pellere, nunc lætum, tranquillumque animum reddere, & nescio, quos innumeros, & infinitos, stupendos effectus tabaci viribus & virtutibus in acceptis referendos esse, id genus nicotianæ sectatores opinentur.

Sed o vos Archi-tabacophili! quousque non insanitis? nollem ego sane his aureis tabaci promissis me vadem obstringere, nec unquam eo adducar, ut mihi persuaderi sinam, tantas, & propemodum Divinas, quas vos somniatis, herbæ Brasiliæ inesse vires, & facultates, probe mihi conscius: non omne, quod splendet, aurum esse; vos vero immersi nicotianæ cupediis potius mementote, *nonnunquam latere anguem in herba*, & certe in nicotiana latet, qui quandoque mordet, & sauciat, latet, inquam, in tabaco venenum, quod humanum corpus contaminat, sanitatis rebus & rationibus non raro infligit vulnera, nulla arte sananda, nullo consolidanda præsidio vulnerario.

Siquidem una omnium Medicorum voce, & consensione tabacum *Hyosciami* genus, adeoque ejusdem cum *Hyosciamo* indolis, & venenata herba est, quæ non rite præparata, aut indebito tempore, ordine, & dosi applicata, pares cum herba *Hyosciami*, & veneno effectus producit, *lethales nempe vomitus, cardialgias, animi deliquia, ventris tormina, spasmos & convulsiones, vertiginem, lethargum* &c. atque adeo latere anguem in herba lædentem, & mordentem, certum & expeditum est, minimeque in dubium vocari potest.

Porro quis ignoret? *Nimia tabaci per nares attractione, ejusque excessiva fumigatione* non modo caput, & cerebrum, verum etiam pulmones & stomachum gravius sauciari, supra modum torrefieri, & exsiccari, adeoque partium harum nobilium tolli *calidum*

dum innatum, & abſumi *radicale humidum*, quibus diſſipatis, ſanitatem vacillare, & morbos cum primis *capitis, pulmonum* & *ſtomachi, memoriæ nempe diminutionem, ſenſuum internorum & externorum læſiones; tuſſes ſiccas, difficile reſpirium, aſthma, phtyſin, tabem, atrophiam: læſam ciborum concoctionem, cardialgiam, vomitum*, & *alvi obſtipationes*, aliasque infimi ventris ægritudines pulſare fores, caſus Medici, & obſervationes clinicæ abunde loquuntur, atque tot mala & humani corporis ærumnæ ex nicotianæ abuſu oriundæ palam atteſtantur. Vnde nominatim *ſanguinei*, & *cholerici*, ac *exſucco* & *arido corpore præditi*, nec non a *defluxionibus liberi & immunes* a nicotianæ abuſu abſtineant, aut moderatius ſaltem, & temperatius tabaci illecebris delectentur, qui saluti ſuæ conſulere, ſanos, & incolumes vitæ dies vivere, in ſuum induxere animum.

APPENDIX.
De Gereologia.

§. I.

De Gereologiæ notione, natura, & fine.

Quemadmodum HYGENIA Medicinæ pars eſt, quæ ſanitatem, ſeu corpus humanum ſanum & incolume per certa præcepta, certaque remedia tum *Diætetica*, tum *Prophylactica* conſervandi modum tradit, ita GEREOLOGIA illa artis Medicæ pars eſt, quæ vitæ longævitatem reſpicit, ac vitam prolongandi, eamque ad extremum usque ſenium producendi methodum docet.

Finis igitur HYGENIÆ *ſanitatis integritas, & conſervatio*, GEREOLOGIÆ vero ſanitatis duratio, & vitæ prolongatio eſt, quæ a prudente uſu, & adminiſtratione SEX RERVM NON NA-

NATVRALIVM tanquam effectus a ſuis cauſſis promanare, ſuosque natales ſortiri ſolet.

Noſtra jam intereſt, in longævæ vitæ media, & præſidia inquirere, quæ ocyus in medium proferemus.

Atque adeo I. longioris vitæ ſummum præſidium ſedes & domicilium ſalubrior aer eſt, qui puritate, & ſerenitate gaudet, neque nimis *calidus*, & *ſiccus*, neque nimis *frigidus* & *humidus*, quandoque ventis perflatus & immutatus, ac in editioribus locis ſitus eſt, & qui longius & remotius a cloacis & paludibus diſtat; quantum enim id genus aer modo in ſcenam datus ſanitatis integritati conferat, quam & valide vitæ longævitati patrocinetur, alibi, ubi de ſalubritate aeris agitur, videre erit. II. Validiſſimum longævæ vitæ præſidium cibus & potus boni & laudabilis chyli, eorum ordo, & debita ingerendi ratio ſuggerunt, quippe ſalubrem ſuccum nutritium, a quo valetudinis conſervatio, & longioris vitæ ratio potiſſimum pendet, ſuppeditant; contra edulia immodica quantitate ingeſta, vel prava qualitate, *dulcedine* nempe, vel *aciditate*, *tenuitate*, vel *ſpiſſitudine*, *flatuumque* labe contaminata, præſertim neglectis legitimo cibandi ordine, tempore, & maſticatione, concoctionem turbant, chylum crudum generant, atque cruditates varias fœcundas morborum genitrices pariunt, a quibus gravius ſalutem violari, & reſcindi dierum longitudinem, explorata res eſt, & conſtante experientia ſtabilitur. III. *Motus* & *quies*, *ſomnus & vigiliæ* ad extremum ſenium, modo intra limites contineantur, ſuum addent calculum; ubi vero modum exceſſerint ſanitatem vulnerari, & maturari vitæ terminum, ex damnis & incommodis, quæ *motus* & *quietis*, *ſomni* & *vigiliarum* exceſſus ſequuntur, dilucide colliges, id, de quo, horaria experientia teſte, nunquam dubitari poteſt: ſiquidem nimios *motus*, & exceſſivas vigilias *fluida*, & corporis *liquida* exſiccare & abſumere, *calidum innatum*, & *radicale humidum* depaſcere; *immodicam* vero *quietem*, *& ſomnum nimium*, ſanguinem & humores inſpiſſare, eo-

rum

rum itus & reditus ſufflaminare, atque corporis actionibus, & ſalubribus excretionibus limites ponere, hinc ſanitatis res & opes offendere, ac prohibere vitæ ſenium, plene, planeque conſtat, & ne vel ulli, niſi in clara cæcutienti meridie obſcurum eſſe poteſt. IV. Forte, validumque longioris vitæ præſidium conſtituunt naturales humani corporis excretiones, præſertim *alvi*, *urinæ*, & *inſenſibilis perſpirationis*, quibus læſis, aut abolitis, varii generis ſordes, & cruditates, quæ morbis, & ægritudinibus fomitem & materiam ſuggerunt, colligi, & congeri, atque adeo bona corporis, & valetudinis commoda minui, & coanguſtari, ac vulnerari vitæ ſenium, mirum nemini novumque videatur. Vnde has excretiones ſartas tectas ſervare, ſanitatis ſuæ tuendæ gratia, plurimum refert, quod valetudinis ſuæ amantibus memori mente tenendum erit. V. Sicuti adverſa animi pathemata, *ira*, *metus*, *triſtitia*, *mœror*, *curæ*, *ſollicitudines*, mirum dictu! non ſemel modo in pretioſiſſimæ valetudinis opes & facultates deſæviunt, atque venerandam canitiem minuunt, & arctioribus circumſcribunt limitibus: ita animi pathematum moderationem valetudini impenſe favere, & cano ſenio validas ferre ſuppetias, palam eſt, omnium conſenſu firmiſſimum ſtat, manuque tenetur. Atque adeo VI. omnibus modis adverſæ mentis paſſiones declinandæ, aut dum quandoque evitari non poſſunt moderandæ erunt, atque in primis animi tranquillitati, & ſalubrioribus mentis affectionibus, *ſpei nempe*, *amori*, *moderato gaudio* &c. ſubſcribere, & locum dare præſtat, ſi animum ſubit, proſperæ valetudinis fortunas ſervare integras, vitæque conſequi longævitatem.

§. II.

§. II.

De rebus non neceſſariis rite uſurpandis, ceu validis vitæ longæ præſidiis.

Jam ſupra dictum fuit: per RES NON NECESSARIAS humani corporis purgationem, per *vomitum*, *alvum*, *ſudorem*, *diureſim*, *venæ-ſectionem*, *ſcarificationem* &c. celebrari ſolitam, intelligi: quibus in rebus quum non raro oppido excedatur, optatæ valetudini, vitæque longævitati ituri obviam, harum rerum abuſum omnino diſſuademus, in legitimum RERVM NON NECESSARIARVM uſum conſentientes: id, quod monere, operæ eſſe pretium exiſtimetur.

Quam ob rem I. homo ſanus & incolumis ne familiarius agat cum Medicis & medicamentis, candido hortamur animo, ſaluberrimi potius conſilii MONTANI memor, quo in terminis Auctor ait: *Et Medicos, & medicamenta fugere debet, qui ſanos vitæ dies, & ſeras ætates conſequi deſiderat.* Medicamenta namque, & pharmaca aliquid præternaturale ſunt, atque præter naturam in corpore agunt, neque corpus nutriunt, neque corporis vires cuſtodiunt, immo in ſana & integra humani corporis *ſolida*, & *fluida* agendo, hæc potius alterant, corrumpunt, & conterunt; & porro *ſanis non eſſe opus Medico, & medicamentis*, pridem ab ore Domini pronunciatum fuiſſe, iterato audivimus, neque repetendum amplius Divinum hoc effatum videtur. II. Si etiam opus fuerit Medico, & medicamentis, cum primis purgantia ſive *frequentiora lenitiva laxantia*, *ſive rariora, ſed validiora cathartica*, *vel etiam ſudorifera præſidia*, eo quod *humidum radicale* potenter depaſcunt, *fluida* abſorbent, præcipue vero corporis vires proſternunt, res & facultates ſtomachi proterunt, ac non raro immedicabilem labem poſt ſe relinquunt, quæ nulla poſt-

hac

arte, nulloque præsidio elui, & abstergi potest, angue pejus fugienda erunt. III. Si quis VI. REBVS NON NATVRALIBVS, & speciatim cibo & potu excesserit, nimiumque forte ingesserit, ut morbum imminere vereatur, commissos errores debito Diætæ regimine, *abstinentia* in primis, *motu* & *quiete*, quibus forsan materia peccans solvetur & evacuabitur, emendet; quæ vero si non sufficiant præsidia, tunc demum imploranda est Medici opera, qui malis suis, & commissis erroribus medelam feret, læsumque, & offensum consolabitur stomachum. IV. Qui bene ingerunt, corpusque suum laudabili cibo & potu nutriunt, & reficiunt, in his sanguinem crescere, & succos vitales redundare, quæ redundantia morborum genesi patrocinatur, indubium est, atque tunc sanguis nimius & supervacaneus venæ-sectione tollatur & minuatur, quam morbo præsente *curative*, *præservative* veris plerumque, & autumni tempore celebrare præstat. V. Quum contumaces & chronicæ, seu longiores ægritudines vel ex male ingestis, maleque coctis & digestis, vel ab excretionibus naturalibus suppressis penitus, aut deficientibus, *alvi* præcipue, & *insensibilis perspirationis*, suos natales mutuentur; hinc sordes a læsa digestione ortæ educendæ e corpore, ventriculus vero infirmus, evacuatis sordibus, balsamicis, & stomachicis præsidiis, quibus acidum in primis viis corrigitur, novus & laudabilis chylus renascitur, emendetur; excretiones vero deficientes aut suppressæ revocentur, & suis remediis in naturalem redigantur ordinem; unde stomachica, & excretiones adjuvantia præsidia suo loco repetenda erunt. VI. In morbis dictis chronicis, qui plerumque a cruditatibus *acido-viscidis*, & *putridis*, quæ in ventriculo, & intestinis luxuriant, nec non inflationes infimi ventris, infarctus, & obstructiones caussant, fontes soterii, *acidulæ* nempe, *balnea* & *thermæ* omnibus pene aliis medendi præsidiis palmam præripiunt, hinc pro re nata in chronicis & diuturnis his afflictionibus

bus perfectissimo subsidio erunt, quo perdita reparabitur salus, prior redibit sanitas, & vitæ integritas reflorescet.

Atque hæc sunt, quæ Tibi Benevole Lector! *Sanitatis tuæ tuendæ, & conservandæ* caussa, ac *vitæ longæ consequendæ* gratia suggessimus consilia, & præsidia; quæ ut ex animi tui sententia procedant, ac prorsus ad voluntatem, & vota tua fluant, toto precamur animo, totisque viribus. Nobis vero, & conatibus nostris jam non aliud amplius pro Coronide Opellæ addendum superest, quam illud ACTIONVM OMNIVM PRINCIPIVM, & FINIS, solemne votum, & ardens desiderium, quo optemus jugiter:

V. I. O. G. D.

IN-

INDEX MATERIÆ, ET PARAGRAPHORVM TOTIVS OPELLÆ.

CAPVT I.

De Prolegomenis Opellæ.

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

De humani coporis partibus contentis, internis, in primis coctioni, & nutritioni inservientibus.

SECTIO IV.

De partibus vitalibus.

SECTIO V.

De partibus & actionibus animalibus.

SECTIO VI.

SECTIO VII.

CAPVT II.

De VI. rebus non naturalibus.

SECTIO I.

VI.

SECTIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

De Diverſa victus ratione reſpectu temperamenti, virium roboris, vitæ ſtatus, & anni temporis.

SECTIO V.

De potulentorum, & liquidorum ſalubritate, & inſalubritate.

SECTIO VI.

De vinis.

SECTIO VII.

SECTIO VIII.

De reliquis potuum generibus.

VI.

SECTIO IX.

SECTIO X.

SE-

SECTIO XI.

SECTIO XII.

SECTIO XIII.

CAPUT III.

SECTIO I.

SECTIO II.

De purgatione corporis per venæſectionem.

II. De

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

De humani corporis purgatione per Nicotianam, seu tabacum.

APPENDIX.

DE GEREOLOGIA.

F I N I S.

Errata, quæ ob Auctoris abſentiam irrepſere, ſic corrigenda.

Pag.	Lin.	Loco	Lege
10.	1.	cartilagionem	cartilaginem
10.	3.	veſophagi	œſophagi
15.	12.	concurſione	concuſſione
16.	16.	ſuosque nervos	ſuisque nervis
17.	22.	nutrioni	nutritioni
18.	11.	deglutione	deglutitione
ead.	18.	deglutionis	deglutitionis
19.	14.	ſpincteris	ſphincteris
20.	22.	gaſtro-epigloicæ	gaſtro-epiploicæ
23.	5.	pancrente	pancreate
ead.	10.	teniuum	tenuium
25.	22.	porris	porro is
35.	4.	ſimæ lienis parte	ſima lienis parte
36.	29.	vaporum	vaſorum
37.	26.	hachecticis	cachecticis
ead.	27.	chaccexiam	cachexiam
37.	33.	lymphacicis	lymphaticis
45.	14.	dependetnes	dependentes
49.	6.	branchialis	bronchialis
49.	26.	chyoſæ	chyloſæ
ead.	28.	refolutiones	reſolutiones
52.	19.	dilatatur	dilatantur
60.	4.	ſiniſtræ	ſiniſtra
73.	19.	ſpænoidea	ſphænoidea
90.	22.	albulginea	albuginea
101.	15.	in ad extremitate	in extremitate ad
107.	20.	conporis	corporis
144.	9.	exſtituturum	exſtiturum
151.	1.	imqune	impune
154.	16.	Diætici	Diætetici
155.	8.	corradere	arrodere
161.	15.	ſiccatiæ	ſiccatæ
ead.	16.	piſtachia	piſtacia
164.	10.	abſeſſibus	abſceſſibus
167.	17.	proſpere	proſperæ
174.	ead.	farincea	farinacea
203.	14.	finitimas	in finitimas
222.	30.	cupriosque	cupriasque
224.	25.	edulcarentur	edulcorantur
240.	20.	ſufflamminat	ſufflammat
278.	5.	immoderando	immorando
ead.	25.	vocabulo	vocabulum
282.	6.	optime	optimo
ead.	25.	nitroſos	nidoroſos
286.	12.	arabicæ	americanæ
288.	5.	hoc nectar	huic nectari
ead.	26.	arabicum	americanum
289.	14.	Chocoltæ	Chocolatæ
293.	8.	perſauſiſſimum	perſuaſiſſimum
ead.	27.	hæumophtiſi	hæmophtyſi
295.	22.	in motus nefas leges	in motus leges nefas
322.	6.	cohlericis	cholericis
ead.	14.	climicæ	clinicæ
340.	15.	aphtalmiæ	ophthalmiæ
351.	23.	egregium	egregiam
354.	28.	aphtalmias	ophthalmias
360.	25.	viget	riget
385.	29.	inficimur	inficiamur
389.	9.	minatur	minuatur
391.	3.	atrocia	atrocitate
392.	4.	liquiſſime	liquidiſſime
395.	19.	aphtalmia	ophthalmia
399.	26.	tutica	tutia
418.	21.	cholicis	colicis
423.	30.	contameniorum	catameniorum